UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156


Visual Library

SV
14

Th. 6091.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


IOANNIS SCHEFFERI
Argentoratensis
De
RE VEHICULARI VETERUM
Libri Duo.
Accedit
PIRRI LIGORII V. C.
DE VEHICULIS
Fragmentum
Nunquam ante Publicatum
Ex Bibliotheca Serenis: Reg: D:
CHRISTINÆ
Cum ejusdem Schefferi Annotationib.
FRANCOFURTI Ex Officina ZUNNERIANA.



JOANNIS SCHEFFERI
Argentoratensis

Ex legato Celmi Principis De Fürstenb: Epi Paderb: et Monasterii:
Ao 1683.

# DE RE VEHICULARI VETERUM LIBRI DUO.

Accedit

PYRRHI LIGORII V.C.

# DE VEHICVLIS FRAGMENTUM

*Nunquam ante publicatum*

Ex Bibliotheca Sereniss. Reg.

CHRISTINÆ.

*Cum ejusdem I. Schefferi Arg.*

Annotationibus.

Collegij Soc. IESU Paderb.




Bibliotheca Patrum
F

FRANCOFURTI
Ex Officina ZUNNERIANA.
Typis JOHANNIS ANDREÆ.
*M DC LXXI.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# BENIVOLO LECTORI

*JOANNES SCHEFFERUS*

S. D.

ANte omnia optamus, ut quod maxime laborem huncce noſtrum Juventuti ſtudioſæ utilem evadere. Quod ſi voti hujus compotes fuerimus, quicquid ex eo favoris gratiæve proveniet, id omne Nobiliſſimi Magnificentiſſimiq; Viri, Domini REINHOLDI BLUMII JCti ſummi erga nos meritis in ſolidum transſcribimus. Ipſi enim uni ſoliq; debebitur, quicquid ex hoc opere in uſus cujusquam poterit venire. Qui ſe obtulit ultro, ad protrahendum id in lucem, conciliandumque nobis idoneum typographum, cujus obſtetricante manu edatur. Et non diſplicebat argumentum, hactenus, quod ſciam, integrum tractatum nemini. Niſi uni *Pyrrho Ligorio*, & ne ipſi quidem ex profeſſo, quod à nobis primum publicatum, noſtris hiſce ſubjecimus, eo potiſſimum fine, ut ex comparatione liqueret, qualis noſter iſte eſſet labor. Scio fore, qui monſtrata pedum via, elaboratius proponent olim ſingula, excitati hac cura, nec, ſi vitam Deus dederit nos quoque poſthac penitus è manibus deponemus. Nobis tamen

men decus hoc manebit, spero, quod rem hactenus sine caussa neglectam ingeniorum doctiorum magisque perspicacium sedulitati ac industiæ commendaverimus. Qui vel ob hoc ipsum premere diutius promissum pridem hunc laborem nostrum non debuimus, & quia videmus in incerto esse omnia humana, corpusculique nostri imbecillitates quotidie ingravescentes vitæ spem suppeditare haud profecto longam. Vale, studiisq; nostris fave.

Ad

*Virum Nobilissimum & Amplissimum*

JOANNEM SCHEFFERUM

Jur. Nat. & Gent. in Ac. Upsaliensi Professorem celeberrimum.

Post Commentarios de Re Navali, Rem Vehicularem illustrantem.

*DUm tibi curvata compingitur abiete navis,*
*Et reparat priscas pagina docta rates,*
*Adversæq; Tibi decertant prælia classes,*
*Nascitur è vasto gloria prima mari:*
*Dum Tibi nunc agilis campos rota corripit omnes,*
*Terra Tibi magnum sternit honoris iter.*
*Et jam qua properant currus, qua navita tendit,*
*Immensi pretium grande laboris habes.*
*Qua patet orbis, abis, tibiq; omnia subjicis uni,*
*Ingenioq; via est invia nulla tuo.*
*Post mare, post terras, æther tibi restat, ad illum,*
*Jam pennas fama sufficiente vola.*

In

In

# Ejusdem Commentarium de Re Vehiculari.

*Scheffere, magnum, ô orbis Arctoi jubar,*
*Nutantium spes literarum, maximo*
*Evecte semper eruditis nomine,*
*Cujus per omnes volvitur partes genI*
*Vir alta, promta, pasta pulcris ignibus,*
*Et inter ipsas nunc rotabitur rotas,*
*Currus curret inter, ac amplissimum*
*Decurret infrequente campum tramite.*
*Quis ardor iste spiritus agit tuos,*
*Terrâq; figit editum cælo caput?*
*Te literatos colligentem pulveres,*
*Acto per omnes usq; curriculo vias,*
*Centum palmis te decorum vidimus:*
*Num iste te, Scheffere, nunc campus vocat*
*Novum te Erichthonium, novum plaustrarium.*
*Ito ergo, currus junge, rumpe carceres*
*Faventibusq; diis tibi vialibus,*
*Per plana, perq; confragosa & aspera*
*Nulli subactam primus occupa viam.*
*Quam rarus hospes ambulat: nam publica*
*Samius Magister ingredi vetat via.*
*Nihil volanti ponet obices rotæ,*
*Nemo invehetur, omne de trivio tibi*
*Vulgus recedet, & minuti Satrapæ*
*Post terga ducti: qualis esseda solet*
*Regum satelles circumire plurimus.*
*Ipse iste tardo jambus adrepit pede.*
*Te nullus hac moratur error in via.*
*Præterveheris nil, nec extra semitam*
*Non audiens currus habenas abripit,*
*Celerem curulis ipsa supponit rotam.*

For-

*Fortuna, quæ ludis ſuis Circenſibus*
*Magni orbis incolas hamaxobios agit.*
*I, docte nunc Scheffere, qua ducit via,*
*I nunc, fer auras, mitte lora gloriæ,*
*Laurusq; prenſa, debitum tibi decus,*
*Extrema quas jam meta præfigit tibi.*
*Currus parabitur triumphalis tibi*
*Et ipſa doctum Fama te aurigam vehet,*
*Tuosq; currus Dædala factas manu*
*Hominum per ora, perq; ſumma ſidera.*
*Et ipſe ſummo deſpicit tuos polo*
*Currus Bootes, dum tibi nunc frigido*
*Cæli ſub axe ſudat axis hic tuus,*
*Geminumq; ſpondet nomini plauſtrum tuo,*
*Quod per ſereni candidam ætheris viam,*
*Qua cœlitum eſt acceſſus ad palatia*
*Te ducet. Ipſæ te celerrimæ vehent*
*Bigæ deorum, vel Iovis verſatiles*
*Scandes quadrigas: Si voles, Phœbéi eris*
*Auriga currus Pegaſejusq; eques.*

Daniel Georgius Morhofius D.
& in Acad. Kilonien. Prof. P.

JOAN-

# JOANNIS SCHEFFERI
Argentoratensis
*De*
# RE VEHICULARI
# LIBER PRIMUS.

## Cap. I.
## De Vehiculi vocabulo, & qvid significationis habeat.

*Vehiculi vocabulum unde. Varronis de eo sententia examinatur. Veha. Vea. Via. Num à veha. Veja. Ὄχος. Ὄχημα. Currus generaliter pro vehiculo. Curriculum, curriculus. Vehiculum pro navi. Ὀχήματα ἵππων, ἁρμάτων. Arcerius notatur. Ὀχήματα ζευκτὰ. Vehicula juncta. Vectatio, vectio equi. Ὀχηματροφῆς. Vectaculum, vectabulum. Tertullianus explicatur. Iumentum pro vehiculo. Vehiculorum usus ubi optimus.*

VEhiculi vocabulum Varroni dubiæ originationis est, nam à *viendo* putat, & *vehendo* posse derivari. Nempe id sic dicitur, ut ait ipse, *qvod è viminibus vietur, aut, qvod eo vehitur.* Sed fortasse rectius priorem derivationem pertinere credimus ad genus certum & peculiare, cum non omnia vehicula sint è viminibus, ceu res docet ipsa, & seqventia uberius monstrabunt. Deinde qvomodo à *viendo*

esse qveat *vehiculum*, & non potius *vieculum?* Neqve tamen à *vehendo* derivari commodè videtur, cum vehiculum sit prius, qvam eo vehatur. Itaqve & Varro ipse aliter post superiora: *Brevis veha, vehiculum dictum est.* Si vehiculum est brevis veha, sequitur sic à *veha* dici, non *vehendo*, seu qvod eo vehatur. Porro *veha* est à *via*, qvod illius usus sit in viis: dicebant enim veteres non *viam*, verum *veham*, sive *veam*. Varro iterum: *Rustici etiamnum quoque viam veham appellant, propter vecturas.* Putat, ut opinor, veham à vehendo dici, qvod existat per vecturas. Verum nescio, annon ex adverso à veha, vehere sit nominatum. Sanè veha sive vea, qvæ & via non ab iis solum, qvi vehunt, verum ante, multoqve magis etiam ab illis, qvi incedunt pedibus, ut natura ipsa prior via sit aut vea, post veha, cujus usus est in veis viisve, ac deniqve vehiculum. Via verò sive vea est ab ἴω, præposito digamma Æolico, qvod significat πορεύομαι, hoc est, *ambulo* seu *vado*. Neqve mirum, à *vea* factum esse *via*, cum pro ἴω dixerint & ἰω. Qvin imò hæc caussa, cur conjunxerint antiqvi, dixerintqve *veiam*. Sic enim vocasse viam colligas ex vea, qvæ vehiculum aut currum denotat. Festus Pauli: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum.* Qvando plaustrum sic testatur dictum, idem indicat de via, cum commune rei utriusqve nomen fuerit, ut suprà vidimus. Sanè via hodieqve meis Rusticis per Alsatiam est *Wei*, qvod ipsissimum est *veia* veterum Oscorum. Græcis vehæ seu vehicula sunt ὄχοι. Unde habes apud Sophoclem in Electra δέκαλον ὄχον, pro decimo vehiculo. Convenit Germanorum Zech & Svecorum *ook*, item *ooka*, qvod Græcorum est ὀχέειν, sono prorsus simili. Qvod sine dubio est ab ὄχος, non contra ὄχος ab ὀχέειν, ut Magistri voluerunt. Pro ὄχος tamen magis ὄχημα in usu. Glossæ veteres: *Vehiculum*, ὄχημα. Sed hoc aliqvando *currum* Latini exponunt. Nempe currus qvoqve idem notione generaliori apud ipsos, qvod vehiculum. Glossæ: ὄχημα, *vehiculum, currus.* Philoxenus: *Currus*, ὄχημα. Ita Cicero, qvod habetur apud Platonem in Timæo: Ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα, reddidit in libro de Universo: *Quasi in currum universitatis imposuit.* A curru etiam derivarunt *curriculum*, sicut à veha, vehiculum. Varro lib. 1. de

de Vita Pop. Rom. *Equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.* Metii supplicium commemorat, qvi ad currus fuit religatus, ut est notum. Curtius lib. VIII. cap. 14. *Per lubrica atque invia immissi currus concutiebant eos, à quibus regebantur. Aliorum turbati equi non in voragines modo lacunasque, sed etiam in amnem præcipitavere curricula.* Hic *curricula*, qvæ paulo ante *currus*. Videtur ita Tullius qvoqve usurpasse Or. de Har. Resp. ubi ait: *Tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, &c.* Saltem Apulejus fecit lib. VII. Asin. ab initio, qvando ita loqvitur: *Primum tenebris abjectis dies inalbebat, & candidum Solis curriculum cuncta collustrabat.* Dicit collustrasse curriculum Solis, qvia vehi curru Solem autumabant, uti alibi monstrabo. Festus maluit in masculino ponere, ut conveniret originario. *Curriculus*, ait, *diminutivum est à curru.* Atqve ita legimus in Glossis: Ἁρμάτιον, *curriculus.* Nempe alias in neutro non vehiculum, sed ipse cursus est. Plautus in Trinummo, Act. III. scen. 4.

*Curre in Piræum, atque unum curriculum face.*

Sed hæc agens aliud, & vehæ ac vehiculi occasione. De qvo noto amplius, non ὄχημα solummodò à Græcis esse dictum, sed & ζεῦγος. Hesychius. Ζεῦγος, πᾶν τὸ ἐζευγμένον, καὶ ὄχημα. Inde ζεύγη μίσθια, qvæ Latinis *meritoria vehicula*, Plutarcho, qvod jam alii notarunt. Etiam ἅρμα qvandoqve sic generatim eis usurpatur. Hesychius iterum: Ἅρμα, ὄχημα, καρέχα. Cæterum vehiculum non pro curru solum ponitur, sed re qvalibet, qva qvis vehi potest. Navim sanè non poëtæ modò ita nominarunt, sed & Tullius de Nat. Deor. II. *Atque ille apud Atium pastorem, qui navem nunquam ante vidisset, ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum è monte conspexit.* Similiter in Verrina V. navem Verris ædificatam à Mamertinis, *furtorum vehiculum* appellavit. Ita habemus apud Æschylum in Prometheo, θαλασσόπλαγκτα λινόπτερα ὀχήματα: & apud Oppianum in Hal. Ὄχος ἁλὸς νῆας. Etiam eqvi aliqvando vehicula veteribus. Colligit Turnebus lib. XXVII. Adv. cap. 26. istis verbis: *Vt ὄχημα apud Græcos non tantum carpentum aut currum significat, verum etiam jumentum, qvo vectamur, ut apud Ari-*

*ſtophanem notant Grammatici; ſic apud Latinos vehiculum. Quod niſi ita eſt, velim, aliquis mihi dicat, cur lege Oppia cautum erat, ne mulier juncto vehiculo uteretur. Junctum enim vehiculum hic pilentum eſt, quod junctis trahitur jumentis, quaſi etiam ſit quoddam vehiculum non junctum.* Ariſtophanis qvæ innuit, ex Suida ſumpta videntur, cujus hæc ſunt verba: Ὄχημα καὶ ἐπὶ ἁρμάτων μόνον. Ἀριστοφάνης. Οὐκοῦν δικαίως ὅς τις εἰς ὄχημα καν θάρρῃ ἐπιβὰς ἔσωσα τοὺς Ἕλληνας. Ait Suidas, vocem ὄχημα non de curru ſolum uſurpari, ſed & aliis; Ariſtophanem enim ſcarabæum qvoqve ita nuncupare, cui qvis velut eqvo inſideat. Sed tamen Ariſtophanes hoc joco fecit, ut apparet. Serio Ælianus in de Inſtr. Acieb. cap. 2. cujus meritò proindè verba hic adſcribimus: Τὸ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων τὸ μὲν ἐφ' ἵπποις, τὸ δὲ ἐφ' ἐλεφάντων. Τὸ δὲ ἐφ' ἵπποις τὸ μὲν ἐφ' ἁρμάτων, τὸ δὲ ἐπ' αὐτῶν ἱδρυμένοις τῶν ἵππων. Verbis manifeſtis docet, eſſe aliqva ὀχήματα τῶν ἵππων. Arcerius ſic reddidit: *Qui vehuntur, alii ab equis, alii ab elephantis feruntur. Qui ab equis feruntur, eorum quidam curribus inſident, quidam ipſis equis.* Theodorus Gaza prius ita verterat: *Vectores, qui aliquo feruntur vehiculo, quorum duplex eſt genus, nam alii equis, alii elephantis feruntur, &c.* Non mutare debuit Arcerius, cum vehiculum ſignificet & eqvum, ſicut demonſtravi. Et qvoniam ὀχήματα de eqvis etiam, hinc ὀχήματα ἁρμάτων in Epigrammatibus, cum addito, qvod alias neceſſe non fuiſſet: item ὀχήματα ζευκτὰ apud Plutarchum in Qvæſt. Rom. planè ſicut apud Latinos *juncta vehicula.* Sed & apud Heſychium reperitur: Ὄχησις, ἱππασία. Et Euſtathius apud Homerum Il. P. ὀχέεσθ interpretatur per ἱππάζεσθ. Qvemadmodum & Latini uſurparunt *vehi* de iis, qvi feruntur eqvis. Vellejus II. Hiſt. cap. 114. *Solus ſemper equo vectus eſt.* Legimus & *vectationem* tali ſenſu apud Svetonium in Cajo, cap. 3. *Gracilitas quoque pedum paulatim repleta aſſidua equi vectatione.* Tullius pro eo uſurpavit *vectionem*, lib. II. de Nat. Deor. *Efficimus etiam domitu noſtro quadrupedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipſis affert vim & celeritatem.* Non ſunt aliæ *vectiones* Tullii, qvam Heſychii ὀχήσεις. Pari ratione elephanti qvoqve ſunt ὀχήματα. Ita ſanè ſuprà vidimus ex Æliano. Sed & Arrianus in Indicis: Βασιλικὸν δὲ ὄχημα ὁ ἐλέφας παρ' Ἰνδοῖς ἐστι. *Regium apud Indos*

*Indos vehiculum est elephantus.* Apulejus qvoqve posuit pro asino, gestante Deam Syriam illis verbis: *Dea vehiculo meo sublata est humi reposita.* Beroaldus eo loco: *Hic vehiculi nomine non plaustrum significatur, sed festiviter ipsum jumentum, cujus dorsum vehiculi vicem præstabat Deæ.* Optimè, nisi qvod ex dictis liqveat, non tam festiviter, qvam ex consvetudine Latinorum ita esse locutum. Sunt qvin imò etiam vehicula, qvibus qvoqvo modo vehitur vel movetur qvidpiam. Ita enim apud Plutarchum, Symp. VI. Erasistratus τὸ ὑγρὸν, seu *humidum*, id est potum, vocat ὄχημα τῆς τροφῆς, *cibi vehiculum.* Et jam ante ipsum pridem fecerat Hippocrates, lib. de Alimento circa finem. Verba ejus: ὑγρασίη, τροφῆ ὄχημα. Qvod Foësius sic reddidit: *Humiditas alimento vehiculum præbet.* Aëtius privatim usurpavit de aqva. ὕδωρ τροφῆς ὄχημα, inqvit Tetrab. I. serm. 3. c. 165. id est, *aqua, cibi est vehiculum.* Secuti deinceps alii aliiqve, sic, ut hodieqve inter usitatas Medicorum sit locutiones *vehiculum*, pro humido succove qvolibet, qvo durius spissiusve aliud diluitur & eliqvatur. Deniqve qvibusdam sangvis est *vehiculum spirituum*, qvoniam eo continentur qvasi, cumqve ipso per corpus universum diffunduntur. Corpus totum ita nuncupavit Tertullianus peculiari libello de Anima his verbis: *Auriga corporis spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo deficit, opere decedens, non vigore.* Hic *vectaculum deficiens* vocavit corpus ægrum exhaustumqve, in qvo diutius moveri spiritus animalis neqvit. Est autem nihil aliud *vectaculum* Tertulliano, qvam *vehiculum.* Sextus Cæcilius apud Gellium, lib. XX. cap. 1. *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicatè arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum.* Habes ecce etiam hic *vectaculum* pro vehiculo. Ita enim legitur in editionibus vetustioribus. Et profectò, ut à *jento, jentaculum*, ab *obsto, obstaculum*, ita planè etiam à *vecto* bona analogiæ ratione potest esse *vectaculum.* Qvanqvam in iisdem libris paulò ante apud Gellium occurrat *vectabulum* etiam. Verba hæc sunt: *Iumentum non id solum significat, quod nunc dicitur, sed vectabu-*

*lum est, quod adjunctis pecoribus trahebatur.* Atqve ita ediderunt etiam in superioribus verbis Lugduni Batavorum Anno MDCLXVI. Neqve aliter reperias apud Nonium in voce *jumentum.* Verba hæc sunt: *Nam & vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum dicitur.* Atqve potest fieri, ut formatum ita sit à *veho*, sicuti *rutabulum* à *ruo*, *pulsabulum* à *pulso.* Cum præsertim legas etiam in Onomastico veteri Argentoratensi, qvod recudi fecit Bonaventura Vulcanius in Glossario: *Vectabulum,* ἁπλῶν. Alias Græcorum ὄχημα seu Latinorum currum olim non *vehiculum* modò, sed & *jumentum* esse nominatum discimus ex Gellii superiore loco. Et confirmant verba legis veteris duodecim tabularum, qvæ ab eo laudantur, atqve ita habent: *Si in jus vocat, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in ius vocabit, iumentum dato.* Hic jumentum est, qvod Romani aliàs *iunctum* nominarunt *vehiculum*, Cæcilius vocavit *plaustrum.* Atqve ista de vocabulo vehiculi. Res ipsa nil est aliud, qvam instrumentum, qvo qvid molis majoris ponderisve de uno loco vehitur in alium. Unde Varro: *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur.* Plato in Theæteto describit per partes. Ἀγαπῶμεν ἂν ἐρωτηθέντες ὅ,τι ἐστὶν ἅμαξα, εἰ ἔχοιμεν εἰπεῖν, τροχοὺς, ἄξονα, ὑπερίδια, ἄντυγας, ζυγόν. Vertunt, *Satis nobis esset, si interrogati, quidnam esset currus, dicere possemus, rotæ, axis, superiores storeæ, summæ rotarum curvaturæ, iugum.* Verùm longè aliud ὑπερίδια & ἄντυγες, ut suo loco demonstrabimus. Usus ejus proprius in terris, maximèqve viis publicis, unde nomen etiam accepit. Commodior tamen ac facilior in planis regionibus æqvalibusqve, qvàm asperis & montuosis, nam in his non procedit, nisi maximo cum labore. Tacitus XXXVI. Ann. de militaribus Britannorum vehiculis: *Densis tamen hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant.* Etiam palustres & uliginosæ regiones parum utiles vehiculis. Itaqve in iis rarius inveniuntur, vel si qvando adhibentur, promoventur juvanturqve arte qvadam, de qva rectius dicemus in seqventibus.

Cap.

## Cap. II.

# De vehiculorum primo auctore.

*Vehiculum videtur ab Adamo inventum. Cur hoc tribuant Minervæ, aut Vulcano. Erichtonium num, & quid invenerit. Scholiastis Pindari & Tertulliani lapsus. Vehicula Regum apud AEgyptios. A Iosepho qualia missa. Bocharti laus. Iudæorum mulieres vehuntur asinis, viri eunt. Pelops vel Neptunus num invenerint vehicula. Scholiastis Pindari error alius, & Aristidis. Num Prometheus. AEschylus exponitur. Plaustrum à quo sit inventum, & vehiculum unius rotæ. Hyginus emendatur. A quo bigæ. Castoris inventum quale. Scholiastes Pindari exponitur. Hyginus emendatur denuò.* Συνωρὶς *aliquando usurpatur de amphippis. Trigas quis invenerit. Argolus notatur, & Gyphanius. Quis quadrigas. Quadrigæ quando primum datæ in ludis Panathenaicis. Trochili inventa. Eusebius & Theon Alexandrinus explicantur. Ado, Eusebius, Tertullianus emendantur. OEnomai, Orsilochi, Semi inventa. Hyginus & Savaro notantur. Corippus emendatur. Locus Diphili examinatur. Scholiastes Pindari emendatur. Pœnorum, Libyum, & Minervæ Coriæ inventa. Lambini, Gothofredi & Gyraldi emendatio rejecta. Ciceronis lectio vulgaris defensa, & cum Harpocratione conciliata. Salmasius notatus, ejusque emendatio. Papinii repudiata. Philostratus & Papinius expositi.*

VEhiculi qvis auctor primus fuerit, necdum proditum veteribus invenio. Rem esse vetustissimam dubitare usus ejus non permittit, qvi cum sit amplissimus maximèqve necessarius in re rustica cultuqve agrorum, una cum ipso cœpisse consentaneum videtur. Ac fortassis ipse generis humani princeps, cum instrueret aratrum, etiam vehiculum excogitavit. Nihil qvippe facilius est, qvam ab aratro ad vehiculum procedere. Qvod enim de Minerva tradidit Homerus in Hymno:

Πρώτα

Πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίους ἐδίδαξε
Ποιῆσαι σάτινα καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.

*Prima fabros lignarios viros terrestres docuit facere scuta & currus varios ære:* id vel fabulosum est, nec intelligendum aliter, qvam qvatenus Minerva, qvæ ingeniorum dea habetur, invenisse omnia censeri potest, cum qvodcunqve deniqve ab arte proditum extat, id excogitatum sit ab ingenio humano; vel ad currus non in universum omnes, sed qvi spectant ad militiam & prælia, referri oportebit. Certè antecedunt ibi pluscula de bello, & in ipsis istis verbis scuta cum vehiculis junguntur. Postremò manifestè Aristides in Panathenaica de Minerva: Ἵππων ἁμιλλητηρίων καὶ πολεμιστηρίων ἔφηνεν ὀχήματα. *Equorum ad bella & certamina comparatorum prodidit vehicula.* Sed & qvando vehiculum Vulcani munus appellat Ovidius, lib. II. Met. f. 1. istis verbis:

-- -- -- -- -- *ad altos*
*Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.*

Id vel propter ignem dictum, cujus fiunt beneficio, qvæcunqve ex ferro, ære, aliisve metallis parantur, etiam in vehiculis; vel privatim de vehiculo Solis ex commentis Poëtarum est intelligendum. Neqve verum, qvod de Erichtonio tradit Scholiastes Pindari, ac ex eo retulerunt alii, tanqvam ipse fuerit vehiculorum auctor: vel qvod de Acrophylo Argivo memorat Tertullianus. Vixit enim uterqve Athenis, qvæ urbs diu post extructa, qvam vehicula in usu esse cœperunt. Saltem longè ante Erichtonium Acrophilumqve vixit Moses, cujus ætate memorantur vehicula, etiam bellica; longè ante Mosen Josephus, à qvo usurpata plaustra, & ad suos accersendos missa, qvæ fortassis vetustissima vehicula, qvorum mentio apud veteres occurrit. Nisi qvod eodem tempore inveniantur qvoqve Regia vehicula, usurpata Pharaoni in Ægypto, ejusqve indulgentia concessa etiam Josepho, de qvibus Gen. cap. 41. Ita namqve Moses de Pharaone: *Fecitque eum* (Josephum) *ascendere super currum suum secundum.* Græcus habet: Ἐπὶ τὸ ἅρμα τὸ δεύτερον, qvo planè singulare Regiumqve vehiculum notatur. Et videntur Reges Ægyptii freqventius vehiculis fecisse iter, qvam eqvis; sic-

ut

ut & Persarum Reges, qvod de his ad Ælianum nostrum qvondam annotavimus. Sed nec plaustra Josephi ex vulgari genere fuisse videntur, etiamsi verba veteris sic habeant: *Præcipe etiam, ut tollant plaustra de terra AEgypti ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum.* Castalio profectò honoratiori voce ita vertit: *Hoc ei mandat, ut illis AEgyptiorum vehiculorum copiam faciat, quibus parvuli & mulieres vehantur.* Græci reddiderunt ἅμαξας, qvod sæpe qvodvis genus notat. Jonathan in Paraphrasi sua סדנים, *hassedanim* exposuit, unde proveniisse veterum Gallorum esseda, qvibus ob id forma fuerint non multum absimilia, incomparabilis doctrinæ vir, Samuel Bochartus, arbitratus est. Deniqve vehicula vulgaria & agrestia mandato Regis missa, & tanto missa terræ spacio, & ad vehendas mulieres missa, veritati parum convenire videtur. Qvare si fuerunt cultiora, qvanto ante inculta & vulgaria in usu fuisse apud Ægyptios saltem arbitrabimur? Nam si apud gentes alias, & præcipuè Judaicas nota minus fuere, mirum esse neqvit, qvoniam Judæorum vita fuit ferè pastoritia, ut Jacobus ipse coram Rege Pharaone profitetur. Et profectò eqvitare potius solebant. Moses de Rebecca, Gen. XXIV. *Rebecca & puellæ ipsius ascensis camelis secutæ sunt virum.* Et cap. XXXI. de Jacobo: *Impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.* Viri ambulant pedibus, mulieres & tenera ætate liberi vehuntur camelis. Vehiculorum cæterorum nulla mentio, ex causa, qvam prædixi. Alia fuit ratio in Ægypto, ubi propter agriculturam freqventem plaustrorum usus semper fuit necessarius. Jam si nec Acrophilus, nec Erichtonius vehiculorum esse possunt auctores, multò minus inventum eorum tribuendum erit Pelopi, qvippe qvi post illos vixit. Et tamen paulò ante dictus Pindari Scholiastes, ad Ol. i. Ἰσέον, ὅτι τὸ μὲν ἅρμα Πέλοψ πρῶτος ἔδειξεν, ὑπὸ Ποσειδῶνος λαβών. *Sciendum, qvod vehiculum monstrarit primus Pelops, à Neptuno acceptum.* Qvanqvam per hæc ipsa verba inventio ipsorum non tam spectet ad Pelopem, qvam ad Neptunum. Qvod Scholiastes ipse vidit, ac propterea ποσειδώνιον seu *Neptunium* dixit appellatum. Subdit enim mox: Ποσειδῶνι δέ, διότι Ποσειδῶν πρῶτον Πέλοπι ἅρμα ἐνεχείρισεν. *Posidonios, id est, Neptunius dictus*

*ctus est ex eo, quod Neptunus ipsi primum tradidit vehiculum.* Cæterum is ipse Scholiastes alibi Neptuno non tam tribuit inventionem vehiculi, qvam juncturam eqvorum, uti post monstrabitur. Potuerunt autem diu ante inventa fuisse vehicula, qvam ad ea jungerentur eqvi. Qvanqvam sic in universum de vehiculo affirmet qvoqve Aristides, Or. Isth. in Neptunum, ubi de eo: τῷ ἀνθρώπῳ διπλοῦν ὄχημα ὑπέθηκεν, ἅρμα μὲν ἐν γῇ, ναῦν δὲ ἐν θαλάττῃ. *Homini duplex suppeditavit vehiculum, currum quidem in terra, navim verò in mari.* Ac fortassis per Neptunum intelligere Noachum filiumve illius Japethum debemus, qvomodo non uno loco ipsum explicavit Vossius. Neqve alius opinione mea est Prometheus, cui vehiculi inventum tribuit Poëta Æschylus. Facit enim sic loqventem:

-- Πρῶτος ὑφ' ἅρμαθ' ἵππαγον φιλοννίους
Ἴππους. -- -- -- -- --

*Primus ad vehicula iunxi frenigeros equos.* Hic Prometheus, id est, Noachus, primum sese ait junxisse ad vehiculum eqvos, post diluvium videlicet, nec absq; ratione, qvia primus agrum coluit, qvam ad rem vehiculorum plurimus atqve necessarius est usus. Sanè per Prometheum significari Noachum ostendit Vossius cum alibi, tum lib. I. Theol. Gent. c. 18. & planè convenit, qvod hic diximus. Idem aliqvando est Neptunus; aut saltem filius Noachi, Japhetus. Qvi cum forte obtinuisset maris Mediterranei insulas continentemqve Europam, ad qvas regiones occupandas plus, qvam cæteri & eqvestri arte opus habuit & nautica, qvid potest esse mirum, si vehiculum id duplex invenisse Aristidi dicatur? Qvanqvam hæc inventio ad tempora diluvium secuta, reparatumqve altera vice genus humanum pertineant. Ante qvæ jam olim vehicula fuisse in usu, ipsumqve fortassis Adamum habuisse auctorem qvare dubitare debeamus, ego caussas qvidem haud video idoneas. Græci tamen ejus generis, qvod ἅμαξα, Latinè *plaustrum* dicitur, Philomelum, Cereris Jasionisqve filium, faciunt auctorem. Sic enim Hyginus ex Hermippo, qvi scripsit de syderibus: *Philomelum & Plutum fratres negant inter se convenisse. Nam Plutum, qui ditior fuit, nihil fratri suo de bonis concessisse: Philomelum autem necessariò adductum,*

*ctum, quodcunque habuit, eo boves duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse. Itaque arando & colendo agros ex eo se aluisse: cujus matrem miratam inventum, ut arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem nominasse.* Sic Hyginus ex Hermippo, junctoqve illi Petellide Gnosio, Historiarum scriptore, sicut dixi. Cæterum Jasion filius fuisse dicitur Coryti & Electræ. Electra una Plejadum putatur, qvæ cum sororibus educarit Liberum. Qvi cum ferè innuat Noachum, qvid censeri debeat de Philomelo, liqvet. Tibullus profectò ipsi Libero & Cereri hoc tribuit, lib. II. el. i.

*Illi etiam tauros primi docuisse feruntur*
*Servitium, & plaustro supposuisse rotam.*

Recentius inventum est vehiculum cum rota una, id enim excogitasse Triptolemum ferunt. Hyginus iterum lib. II. Astron. *Ceres cum sua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cujus ipsa fuerit nutrix, in curru draconum collocatum (qui primus hominum unarotam dicitur usus, ne cursum moraretur) iussit omnium nationum agros circumeuntem semina partiri.* Ita totus ille locus emendandus est. Ostendit enim Hyginus auctorem unarotæ, ostendit etiam inventionis causam. Adhibitam nimirum unam rotam propter festinationem, ne si expectarent, donec altera qvoqve fieret, negotium tam salutare differretur nimis longo tempore. Vulgati parum aptè istud *unarota* dividunt, sicut alias monstrabo, & mox: *Nec cursu moraretur*, sine sensu. Porrò si, ut vult Hyginus, Triptolemus demum genus hoc vehiculi excogitavit, patet, serius innotuisse. Vixit enim Triptolemus tertius post Cecropem, aut qvartus, qvi æqvalis Mosi fuit. Bigas Phryges volunt invenisse. Plinius, lib. VII. cap. 56. *Bigas primum iunxit Phrygum natio.* Plinio Polydorus addit Probum, verba ita habent: *Bigas primum Phrygum natio iunxit, ut Probus & Plinius auctores sunt.* Ubi Probus hoc tradiderit, qværo studiosè, nec invenio. Qvicqvid sit, non Phrygas, verum Castorem auctorem hujus rei facit Scholiastes Pindari, ad Od. V. Ita namqve habet: Δοκεῖ συνωρίδα καλαζεῦξαι πρῶτος Κάστωρ. *Videtur primus Castor iunxisse bigas.* Item paulò post: Κέλητα καὶ χαλινὸν πρῶτος Βελλεροφόντης καλέζευξε, συνωρίδα Κάστωρ. *Equum singularem frenumque primus*

*Bellerophontes; bigas verò iunxit Castor.* Sed hoc nemo alius de Castore. Id genus potius tributum ipsi videtur, qvod ἀμφίππους alias seu eqvos desultorios vocarunt. Hyginus sanè fab. 80. *Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit, quod ille* (Pollux) *sua & fratris* (Castoris) *vice fungatur.* Sic legenda sunt hæc verba, in qvibus vulgo deest *de* post *capite*, omissum absqve dubio, propter similitudinem postremæ syllabæ in vocabulo præcedenti. Nec fortassis aliud Scholiastes vetus voluit, qvando συνωρίδα opposuit κέλητι, hoc est, eqviti singulari. Suidas: Συνωρὶς κυρίως ἵπποι δύο συνεζευγμένοι· κέλης ὁ ἐπὶ ἑνὸς ἵππου ὀχούμενος, καὶ μόνος ὁ ἵππος. *Synoris propriè equi duo juncti. Celes verò, qui uni equo insidet, ipseque equus singularis.* Loqvitur eodem planè modo, sicut Scholiastes, & synorida intelligit de nudis eqvis. Idem fit & ab Hesychio, qvando non vehiculum modò binis junctum eqvis, sed & eqvos junctos ait denotare. Συνωρὶς, ait, ἅρμα ἐκ δύο ἵππων, ἢ συζυγία. *Synoris vehiculum duorum equorum, vel eorum coniunctio.* Qvæ omnia efficiunt, ut hoc genus Scholiasten censeam intellexisse, auctoremqve eqvorum desultoriorum seu ἀμφίππων fecisse Castorem, atqve ita Plinii sententiam de bigis servem integram. Bigæ sanè diu cognitæ ante Castorem videntur, cum ad Trojam fuerint in tam freqventi usu. Heroës certè alio pugnasse genere vix leguntur. Itaqve & Hector præmium speculatori promittit apud Homerum, Il. K.

— Δίφρον τε, δύο τ' ἐριαύχενας ἵππους.

*Currum & duos elatæ cervicis eqvos.* Achilles qvoqve duos tantum ad vehiculum suum jungit eqvos, cum in prælium iturus esset: duos tantum affatur illo versu:

Ξάνθε τε καὶ Βάλιε, τηλεκλυτὰ τέκνα Ποδάργης.

Nec in certamine curuli ludicro plus, qvam duo eqvi ad currus singulos apud Homerum Il. Ψ. nisi credimus Menelaum tantum duos, reliqvos habuisse plures, qvod lex & ratio certaminis, qvæ æqvalitatem exigit etiam in numero eqvorum, non permittere videtur. De Menelao autem clarè Homerus:

— Ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους
Αἰθωνὶ τῷ Ἀγαμεμνονέην, τὰ ἑὸν τε Πόδαργον.

Sub

*Sub iugum duxit veloces equos, AEthen Agamemnonium, suumque Podargum.* Sed & qvod ibidem tradit de Diomede, hoc confirmat. Nam qvando scribit, junxisse eqvos, qvos abstulit Æneæ, duos tantum junxisse ostendit, cum plures non abstulerit. Et clarissimè Dictys Cretensis, lib. III. *Bigarum præmia Diomedes meruit.* Hector qvoqve tractus bigis legitur, non trigis, vel qvadrigis. Virgilius, Æn. II.

*In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector*
*Visus adesse mihi, largosque effundere fletus*
*Raptatus bigis, ut quondam.* -- --

Trigas sunt, qvi Martem invenisse putant. Argolus præcipuè in Notis ad Onuphrium, qvia Hymni auctor de hoc deo:

-- -- -- -- Ἔνθά σε πῶλοι
Ζαφλεγέες τροτάτης ὑπὲρ ἄντυγ' αἰὲν ἔχουσι.

Hoc est, ut exponit idem Argolus:

-- -- -. *Vbi quadrupedes te*
*Per flammata trigæ iuga decurrentia portant.*

Gyphanius paulò aliter: *Vbi equi te valdè flammosi tertio super currum semper habent.* Sed haud dubiè minus rectè, cum qvid illud *tertio* sibi velit, haud appareat, & si *semper* bene sese habet, *tertio* stare neqveat. Licet autem trigas hic intelligamus, tamen Martem invenisse hinc colligere non possumus. Martem potius accipimus pro bello, & in illis usurpatas qvocunqve deniqve auctore arbitramur. Nisi auscultamus Magistris Hebræorum, qvi à Pharaone dicunt primum institutas, cum perseqveretur Israëlitas. Verba citant viri docti ex Jonathane: *Et mulam tertiam ad trahendum & insequendum cum celeritate addidit singulis curribus.* De qvadrigis qvoqve dubia sunt non pauca. Multi Erichtonium habere auctorem arbitrantur. Plinius lib. VII. cap. 56. *Quadrigas iunxit primum Erichtonius.* Vetus Germanici Commentator: *Erichtonius primus currus homines equis iunctis docuit similes quadrigæ Solis facere.* Ante omnes hosce Virgilius III. Georg.

*Primus Erichtonius currus & quatuor ausus*
*Iungere equos.* -- -- -- -- -- --

Vixit Erichtonius Mosis circiter temporibus, aut paulò post, qvod colligitur ex eo, qvia Danao æqvalis fuit, cujus ætas incidit in Josuæ initia. Porrò ad hæc usqve tempora incognitas fuisse qvadrigas, difficulter persvadetur, cum habuerint vehicula diversorum generum, etiam bellica & militaria, saltem Ægyptii, ut ex superioribus apertum est. Qvare magis probo, qvod habet Eusebius de hoc Erichtonio in Chronicis: *Erichtonius primus quadrigam iunxit in Græcia, erat quippe apud alias nationes.* Privatim in Græcia hoc feciſſe ait; qvanqvam etiam hoc restringat Pomponius Sabinus, & de sola Attica accipiat. Qva in re consentientem sibi habet Varronem, qvi hoc amplius de solis intelligendum ludis Panathenaicis ostendit, itemqve Philargyrium, qvi Varronis verba laudat. *Varro*, inqvit loco anteà citato Virgilii, *in libro, qui Admirabilium inscribitur, Erichtonium ait primum equos quatuor junxisse ludis, qui Panathenæa appellantur.* Annotandum hoc est eo magis, qvod in opere peculiari de hoc festo Meursius omisit. Sed existimet nonnemo istæc non de curru aut vehiculo, sed eqvis solis accipi fortassis oportere. Verum aliud ex Virgilio Grammaticoqve veteri, qvem nominavi ante, constat. Neqve voluit diversum Ælianus lib. III. cap. 35. qvando prodit de Athenienſibus, qvod certamen corporum primi instituerint, nudaverint sese unxerintqve, ac tum subdit: Καὶ ἵππους ἔζευξε πρῶτος Ἐριχθόνιος. *Et equos primus junxit Erichtonius.* Id qvod pridem indicavimus in notis nostris. Cæterum is ipse Eusebius alio loco diversum secutus auctorem, qvadrigarum inventum tribuit Trochilo. Verba sunt ad Numerum CCCCXLVII. *Trochilus primus fertur junxisse quadrigam.* Atqve ita Theon Alexandrinus in Notis ad Aratum: Λέγουσιν εἶναι εἴδολον ἢ Βελλεροφόντης, ἢ Τροχίλου τῆς Καλλιθέας παιδὸς, τῆς πρώτης ἐν Ἄργει γενομένης ἱερείας, ἅρμα πρώτου ζεύξαντος. *Ajunt esse imaginem vel Bellerophontis, vel Trochili, Callitheæ filii, quæ Argis prima fuit sacerdos, sicut ille primus iunxit vehiculum.* Qvod generatim hic de curru refert, speciatim pertinet ad qvadrigas. Freculphus tom. I. Chron. lib. II. cap. 6. *Trochilus dicitur primus iunxisse quadrigam.* Ad eundem modum Ado ad Annum 1645. *Hac etiam ætate primus Trochilus quadrigam iunxit.*

Vete-

Veteres editiones habent *Procidus*, qvod est pravum, licet etiam in Eusebii codicibus qvibusdam *Proclytus* legatur, aut *Arogilus*, ut in Tertulliano de Spectaculis *Acrophilus*. Neqve enim alius intelligendus est, cui inventum ibi tribuit vehiculorum, nec vehicula alia, qvam qvæ dixi. Vixit porrò Trochilus post Erichtonium, qvod colligitur ex eo, qvia pater fuit Triptolemi, qvi post Mosen, cui æqvalis pænè fuit Erichtonius, vixit tribus minimum ætatibus. Unde liqvet, qvid de fabula hac statui oporteat. Erichtonium videlicet qvadrigas inveniisse Athenis & adhibuisse primum ad ludos sacros, Trochilum paulò post publicasse, atqve usurpasse Argis. Ut hoc qvidem sensu rectè Eratosthenes tradiderit de Erichthonio apud Hygin. lib. II. Astr. *Cum vidisset eum Iupiter primum inter homines equos quadrigis iunxisse, admiratus est ingenium hominis ad Solis inventa accessisse, quod princeps quadrigis inter deos est usus.* Saltem ante Erichthonium Solem inveniisse qvadrigas atqve usurpasse ostendit. Qvo respexit qvoqve Commentator vetus Germanici, qvando in superioribus ajebat, Erichthonium docuisse currus facere *similes quadrigæ Solis*. Adeò earum inventum sic simpliciter Trochilo assignari neqvit. Qvemadmodum nec Orsilocho, qvi haud dubiè hic ipse Trochilus. Hyginus ante dicto loco: *Nonnulli, qui de syderibus scripserunt, hunc natione Argeum, Orsilochum nomine, primum quadrigarum inventorem esse dixerunt, & pro inventione syderum locum possedisse.* Et multo minus OEnomao, Pelopis æqvali, atqve ita juniori dictus, cui tamen tribuit Savaro ad Sidonium. Auctorem certè veterem pro hac sententia laudare potest nullum. Nam Sidonii qvæ adfert loca, peritum aurigandi faciunt, non qvadrigarum auctorem. Neqve debuit Corippi locum sic supplere:

*OEnomaum referam primas iunxisse quadrigas.*

Qvanto melius Scaliger, qvi pro eo posuit *Orsilochum*. Sicut autem post Erichthonium Orsilochus vel Trochilus Argis, ita locis aliis alii usurpare primi potuerunt. Hinc fortassis est, qvod ait Diphilus, poëta vetus Theseidos, apud Scholiastem Pindari Olymp. od. X.

Θρέ-λας

Θρέψας δ' πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος
Ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν Ἀλφειῷ.

Semum vocat qvadrigarum auctorem. De qvadrigis enim explicat hæc verba Scaliger ad num. Euseb. DXLIII. qvoniam Hygenus scribit: *Elide, quæ urbs Peloponnesi est, certamen quadrigarum primum institutum.* Nempe fluvius est Elidis Alphæus, ubi currum junctum ait Diphilus, sicut Servius testatur. Qvanqvam possit esse dubium, an de fluvio loqvatur, cum præsertim Mantineum ipsum Semum faciat, hoc est, Arcadem. Nec de Semo satis constat, qvando qvidam legunt Σάμος, alii per hunc ipsum accipiunt Neptunum, inter qvos est Didymus, nobilis Grammaticus, auctore dicto Scholiaste. Unde subdit: Παραλέλειπται ὁ καὶ τὸν γράφοντα τὼ Θησέα, μαρτυρεῖται τῷ ἥρωι τὸ ἅρμα ὡς ἐπινοηθὲν ἀρετῶ· γράφας ὁ πώλους ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος. Qvibus verbis Diphilum adducit, tanqvam eandem sententiam probantem versu antea citato. Hic enim est γράφων τὼ Θησέα, sicut ibi scribi debet. Qvicqvid verò sit, neqve Semus Diphili neqve cæteri, qvos hactenus attulimus, simpliciter qvadrigas inveniſſe intelliguntur, sed vel in Græcia solum, vel ibi etiam ad solos primum admoviſſe ludos. Potuerunt autem ante aliis in terris & ad usus alios notissimæ fuisse. Ac profectò Pœnis tribuit inventi ejus gloriam Eustathius. Verba ita habent ex interpretatione Latina (Græca enim videre non potuimus) in Notis ad Perieg. Dionys. *A Pœnis quadrigarum usum esse inventum memoriæ proditum est. Scribit enim Herodotus, Græcos à Pœnis didicisse quatuor equos iungere.* Qvanqvam, qvod de Pœnis refert, sit Eustathii, non Herodoti, qvi pro eo Libyos usurpat. Ita enim habet in Melpomene: Τέσσαρας ἵππους ζευγνύναι πρῶτοι Λιβύων οἱ Ἕλληνες μεμαθήκασι. *Quatuor equos iungere à Libybus didicere Græci.* Adhuc aliud qvid prodit Tullius lib. III. de Nat. Deor. nam Minervam ait inveniſſe. *Quarta*, inqvit, *Minerva, Iove nata & Coryphe, Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, & quadrigarum inventricem fecerunt.* Annotant Lambinus atqve Gothofredus ex Protreptico Clementis *Coryphasiam* legendum. Sed Coryphasia est dicta à Messeniis, ut ait Clemens. Idem innuit Pausanias, qvando in Messenicis: *Est*

*Pili*

*Pili Minervæ templum, cognomento Coryphasiæ.* At Ciceronis Coria Minerva sic est dicta ab Arcadibus, cujus templum fuit prope Clitorium, Arcadiæ urbem. Ille ipse Pausanias in Arcadicis: *In montis vertice, procul ab urbe stadia fermè triginta, ædes est cum signo Minervæ Coriæ.* Nulla igitur in Tullio est opus emendatione, neqve seqvi debuerunt Victorium, qvem primum ajunt locum hunc fecisse suspectum. Qvanqvam & Gyraldum ita videam legi voluisse. Etiam pro *Coryphe* vetustiores libri habent *Polyphe,* qvod fortassis ipsum etiam non debuissent immutare. Harpocration clarissimè: Ἱππεία Ἀθηνᾶ, Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Καλυδῶνα. Μνασαίας ἐν πρώτῃ Εὐρώπης, τὴν ἱππίαν Ἀθηνᾶν Ποσειδῶνος εἶναί φησι θυγατέρα καὶ Πολύφης τῆς Ὠκεανοῦ, ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν, διὰ τοῦτο Ἱππίαν κεκλῆσθαι. *Hippea Minerva. Sic Isæus in oratione ad Calydonem. Mnaseas in primo libro Europæ Hippiam Minervam Neptuni esse dicit filiam & Polyphes, Oceani filiæ, primam verò invenisse currum, eaque propter Hippiam esse dictam.* Pari modo Suidas: Ἱππεία Ἀθηνᾶ. Ταύτην Ποσειδῶνος εἶναί φασι θυγατέρα καὶ Πολύφης τῆς Ὠκεανοῦ. Ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππείαν κληθῆναι, qvæ ipsa Harpocrationis verba sunt. Liqvet autem, eam ipsam Minervam, qvæ invenit currum, vel, ut ait Tullius, qvadrigas, esse filiam non Coryphes, ut est in vulgatis, apud Tullium, sed Polyphes, sicut olim habuere. Neqve obstat, qvod hic Pater ejus dicatur Neptunus, apud Ciceronem verò Jupiter, cum & Neptunus Jupiter sit aliqvis in mari, & Reges sæpius, qvatenus sunt Reges, appellentur Joves, qvatenus sub imperio suo habent insulas & vicinum mare, vocentur Neptuni. Cæterum qvod de Minerva ista prodit Cicero, id aliter intelligendum non videtur, qvam ut supra etiam à nobis est relatum. Bene Phornutus: *Minerva est Iovis intellectus, haudquaquam diversa existens, quæ Iovi inest prudentia.* Interea hoc liqvet, qvadrigarum esse vetustissimum inventum, longèqve ante excidium Trojanum usum earum innotuisse. Qvo magis mirum potest videri, qvod proditur Cl. Salmasio Exercitationum Plinianarum, p. m. 900. Heroibus Trojanis fuisse incognitas, ideòqve locum Statii Papinii contra veterem consensum codicum sic esse emendandum:

-- -- -- -- *Nam flavus Arion*
*Vt vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos*
*Stat, sociumque jugi, comitemque utrique laboris*
*Secum altè suspendit equum.* -- -- --

Veteres & recentes omnes habent, *comitesque*, ac mox, *equos*. Neque potest aliter, aut debet, quoniam præcedit paulò ante:

-- *Atque illic ingens certaminis instar*
*Quadrijugi.* -- -- -- -- --

Quod non attendisse summum virum, ac propterea emendatricem abstinuisse manum utique mireris. Ecquod enim esse *quadrijugum* certamen potest, quod cum trigis instituitur? Neque mirum, formari quadrijugum certamen Statio, cum Homerus ipse quadrigarum mentionem faciat, easque saltem Hectori assignet. Ita enim Hector ipse suos in vehiculo compellans equos, Iliad. Θ.

Ξάνθε τὲ, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε
Νῦν μοι τίλὺ κομιδὴν ἀπολίνεσθον. -- -- -- --

*Xanthe, & tu Podarge, & AEthon Lampeque nobilis, nunc mihi pabulum rependite.* Apparet clarius meridiana luce, vectum esse Hectorem quadrigis, quoniam affatur equos quatuor, suis singulos nominibus in curru suo. Sed & certamen quadrijugum ad Trojam Dyctis memorat Cretensis lib. III. victoremque in eo extitisse ait Eumelum. *Tum primum*, inquit, *quadrijugis equis Eumelus ante omnes victor declaratur*. Unde liquet, quid censendum sit de Salmasii assertione. Nam quod habet Philostratus lib. I. Iron. in Amphiaro: Τὸ τοῖν δυοῖν ἅρμα ἵπποιν (τὸ γὰρ ἐπὶ τετράρων, ὥπω τοῖς ἥρωσι διὰ χειρὸς ἦν, εἰ μὴ ἄρα ἕκλορι τῷ θρασεῖ) φέρει τὸν Αμφιάρεων. Id est: *Currus cum equis duobus (nam cum quatuor nondum heroibus in usu fuere, præterquam alacri Hectori) fert Amphiarum*, juvare ipsum neqvit, cum & hic quadrigas saltem Hectoris agnoscat illa tempestate notas. Sed nec valet, quod tres tantum equos nominet Papinius in Admeti eo curru; nam *videtur* tantum *nominare omnes*, sicut ipsa verba sunt Salmasii, revera non nominat, sed omittit unum. Planè sicut facit in sequentibus vehiculis, ubi duos, aliquando unum modò appellat, cum tamen ipsa quoque fuerint quadrigæ. Verba clara sunt:

*Rapidum*

*-- -- -- -- -- -- Rapidum Danacius augur*
*Aſcheton increpitans, meritumque vocabula Cygni*
*Audit & Herculeum Strymon Chromin. Euneon audit*
*Igneus AEthion. Tardum Calydona laceſſit*
*Hippodamus, variumque Thoas rogat ire Podarcem.*

Præcipuos maximèqve nobiles cujusqve eqvos nominatim laudat, cæteros omittit, ut cuivis manifeſtum eſt.

## Cap. III.

## De Materia Vehiculorum.

*Vehicula fiunt vel ex craſſis ſtipitibus, vel ex viminibus. Varro emendatur.* Ἁρμαλα πολεκλὰ, ἐυπολέκεα. *Vel ex tabellis. Currus ferrei. Claudianus & auctor Iudicum in S. Bibliis explicantur. Interpres vetus Bibliorum examinatur. Currus ærei. Pindari Scholiaſtes & Lonicerus refutantur.* Πόσις. *Heſychius corrigitur. Pindarus explicatur.* Ῥεδίον ὁλόχαλκον. *Caſſianus exponitur. Bigæ & quadrigæ inter ornamenta ædium. Vehicula eburnea, & aurea. Demſterus & interpres Philoſtrati notati. Ammianus exponitur. Aureus currus Conſtantini. Martialis explicatur contra Pignorium. Aureus currus Solis. Horatius exponitur.* Ἐκαλὸν *pro multis. Arbores ad vehicula idoneæ, fraxinus, abies, ſmilax. Claudianus explicatur contra Barthium. Axis, rotæ, orbes, radii, juga quibus ex lignis fiant optima. Ferrum ad vehicula.*

MAteria vehiculorum eadem pæne fuit omnium apud veteres: pleraqve namqve fieri ex lignis conſveverunt. Ligna porrò vel ex caudicibus & fuſtibus craſſioribus inter ſeſe junctis, ſicut videmus hodieqve in plauſtris agreſtibus, vel ex cratibus vimineis, vel ex tabulis integris fuere, qvæ conſvetudo hodieqve ſervatur. De plauſtris profectò teſtari Silius videtur, qvando ait libro XIII. verſ. 441.

*Lubrica roboreis aderant ſubſtramina plauſtris.*

Sunt enim plauſtra roborea, velut de integris roboribus contexta.

Sed & Varro, qvando plaustrum censet ita dictum, qvod ex omni parte palam sint, qvæ in eo vehuntur, abundè ostendit, hanc fuisse rationem lignorum in isto genere. Nam in altero genere, qvod ex meris tabulis componitur, conspici, qvæ vehuntur, neqveunt. De eo etiam, qvod fit cratibus contextis, ex Varrone colligimus, qvando vehiculum ait dictum, qvod ex viminibus vieatur. Nec enim aliter ex viminibus intelligitur, qvam ut dixi. Verum locus Varronis corruptus est. Scaliger sic edidit: *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur, quo ex viminibus uteretur, & quod eo vehitur.* Nemo mihi dixerit, opinor, qvo pertineant, vel qvid velint verba, *quo ex viminibus uteretur.* Parisiensis vetus Anni MDXXXIX. ita habet: *Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quod est ex viminibus, & quod eo vehitur, vehiculum dictum est.* Vix est dubium, collata lectione utraqve, qvin legendum sit: *Vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quod ex viminibus vieretur, & quod eo vehitur.* Duplicem namqve Varro prodere vult vehiculi denominationem, vel qvod eo vehatur, vel qvod vieatur viminibus. Unde liqvet simul, fuisse saltem aliqva vehicula ex viminibus contexta, qvæ ob hoc ipsum primò appellata vehicula Varro putabat. Ex eadem caussa Hesiodus vehicula vocavit πλεκτὰ, ut opinor, in Scuto Herculis hoc versu: — — Κόνις

Κοπτομένη πλεκτοῖσιν ὑφ' ἅρμασι.

Reddunt vulgo: *Pulvis excitatus compactis à curribus.* Mallem ego: *Plexis à curribus,* hoc enim propriè Græcum verbum sonat. Non ita multò post εὐπλέκεια pro eo posuit in istis:

-- -- Εὐπλεκέων δ' ἐπὶ δίφρων


Ἡνίοχοι βεβαῶτες ἐφίεσαν ὠκέας ἵππους.

Qvæ verba ita reddunt: *Bene junctis autem curribus aurigæ stantes immittebant veloces equos.* Simili modo faciunt apud Homerum Il. Ψ. ubi verbum hoc occurrit. Versus ita habet:

Δίφρους τ' ἀνέρρειαν εὐπλεκέας. --

Vertunt: *Currusque everterent bene connexos.* Stephanus hoc verbum denotare ait *currus eleganter è lignis contextos ac compactos.* Frustra: nam εὐπλέκειες non contexti qvoqvo modo, verum plexi è vimi-

viminibus. Eustathius ad hunc locum: Ἰστέον δὲ καὶ ὅτι εὐπλεκτον δίφρον φησὶν, ἐπὶ εἴ τι πλέγμα ἔχοι· ὡς δεδήλωταί ὅπου ὁ ποιητὴς ἔφη ἐρινεὸν νέους ὄρπηκας· καὶ προιὼν δὲ, δίφρους εὐπλεκέας ἐρεῖ, ὡς μὴ γομφωτὰς ὄντας καὶ κολλητὰς ὅ ἐστιν ἡρμοσμένους ἐξ ὕλης βαρυτέρας, ἀλλὰ καὶ ἔκ τινων πλεγμάτων εὐθετισμένους δι' ἐλαφρότητα. *Sciendum, quod vehiculum appellet* εὐπλεκτον *seu bene plexum, quia plexum aliquid habet, sicut apparet ibi, ubi Poëta loquitur de caprifici virgis in eo. Quo respiciens vehicula vocat bene plexa, quod non clavis compacta essent, vel conglutinata ex graviori materia, sed ex cratibus plexis conserta levitatis gratia.* Locus memorabilis, & qvi clarissimè docet, vehicula ipsa fuisse contexta è cratibus vimineis. Nam alii aliter existimant, ut ex seqventibus liqvebit. Tertium genus ex tabulis integris compositum intelligimus, & ipsum ex Varrone. Ait namqve de arcera, *quod ex tabulis vehiculum fuerit factum, ut arca.* Tabulæ non aliæ, qvam qvales diximus, ut cuilibet ex ipsis loci ejus verbis potest apparere. Nam opponit interse plaustrum apertum undiqve, & hujusmodi vehiculum, qvod proinde clausum esse debuit. Clausum porrò tabulis intelligi aliter non potest. Atqve habes planè illud in columna Trajani non uno loco expressum, unde ecce tibi hic delineatum.



Non multum est dissimile, qvod ex tabula marmorea in descriptione ædium Barbarinarum exhibet Tetius, & alibi à nobis proponetur. Intellexit qvoqve hoc Eustathius in verbis antea productis, atqve γομφωτὸν καὶ κολλητὸν ἐξ ὕλης βαρυτέρας appellavit. Et hæc qvidem communissima materia vehiculorum. Legimus tamen apud

Claudianum *currum ferreum* in qvarto Consulatu Honorii, vers. 16. ubi arma describuntur Martis. Ita enim habet:

*Nec te laurigeras pudeat Gradive secures*
*Pacata gestare manu, Latiaque micantem*
*Loricam mutare toga, dum ferreus hæret*
*Currus, & Eridani ludunt per prata jugales.*

Verum currus ille à Poëtis fictus, Martiqve ad terrorem qvendam tributus videtur. Ex ferro sanè integros usurpasse non opinor. Eqvidem auctor qvoqve vetus libri Judicum in S. Bibliis, cap. 4. de Sissara, ut vertit Castalio: *Is enim nongentos habens currus ferreos, Israëlitas viginti annorum tyrannide opprimebat.* Neqve aliter Græci: Ἐννακόσια ἅρματα σιδηρᾶ ἦν αὐτῷ. Qvod retinuerunt qvoqve Syrus, Arabs, atqve alii Interpretes. Chaldæus ita habet: *Nam nongenti currus ferri illi*, qvod perinde est. Similiter apud eundem Scriptorem primo capite de habitatoribus vallis circa Ascalonem: καὶ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς. Qvod Castalio reddit: *Nam vallis quidem incolas, quod ferreis utebantur curribus, exturbare nequiverunt.* Conveniunt Chaldæus, Syrus, Arabs, cæteriqve. Verum ferreos illos currus ego non accipio, qvod ex ferro mero essent fabrefacti, sed qvod armati instructiqve ferro. Qvo respexisse Junius & Tremellius videntur, qvando verbum Hebraicum maluerunt vertere per non *ferreos*, sed *ferratos*. Ita enim habent in posteriori qvidem loco: *Sed perrexit expellere habitatores ipsius convallis, eo quod currus ferrati essent illis.* In priori verò: *Nongenti enim currus ferrati erant ei.* Interpres vetus loco utroqve *currus falcatos* posuit, qvod ignoro, an se bene habeat, licet altero retineat & Osiander, cum in altero pro eo *ferreos* substituat. Certè falcatos currus fuisse tam antiqvos mihi haud est verisimile, de qvo tamen loco alio videbo. Invenio & currus æreos. Pindarus profectò intuitu eorum in Pyth. Od. IV.

Οὔτι πῃ ἔτ' Ἀπόλ-
λων, οὐδὲ μὰν χαλκάρματ' ἐς ἱππόσις
Ἀφροδίτας. -- -- --

Reddunt ista verba sic: *Neutiquam hic Apollo, neque verò maritus Veneris, qui aureo curru vehitur.* Ita habet Stephani editio, Anno MDLXVI.

MDLXVI. publicata. Sed pro *curru aureo*, curru *æreo* legendum, ita enim Græca volunt. Atqve ad hunc modum edidit & Lonicerus. Neqve satis aptum illud *Veneris maritus*, licet Lonicerus qvoqve servet. Sanè, qvod agnoscit ipse etiam, sermo hic de Marte, subdit etenim in Scholiis: *AEreo curru*: χρυσάρματ@· *Martis epitheton, quod curribus gaudeat, quibus in bellis utebantur veteres.* Sic in Tigurina 1560. legas, cũ ex ipso Pindaro χαλκάρματ@ scribendũ sit. Cæterum maritum Veneris nemo dixit Martem, sed Vulcanum. Neqve πόσις, qvod est apud Pindarum, tam maritum denotat, qvam virum. Hesychius. Πόσιας, τὰς ἄνδρας. Item: Πόσι@, ἀνδρὸς. Πόσις, πόμα, ἀνὴρ, πότ@· ἢ οἶνος, ἢ ὕδατ@. Sic distingvenda verba ultima, qvæ ita habent in editione mea: Ἀνὴρ πότ@· ἢ οἶνος, qvod est nihili. Vult enim Hesychius duplicem significationem vocis demonstrare, unam, qva significat virum, alteram, qva potum sive vini, sive aqvæ. Cumprimis verò πόσις ille, qvi cum aliqva rem habuit. Qvod bene observavit Eustathius ad Iliad. Ω. Ελένη οὐκ ἄνδρα τὸν Πάριν ἔφη, ἀλλὰ πόσιν· ζητητέον, εἰ τις ἐςὶ διαφορὰ πόσι@ καὶ ἀνδρὸς· καθὰ Σοφοκλῆς ἐν Τραχινίαις ἐμφαίνῃ, ὅπου ἡ Δηϊάνειρα δέδοικε μήποτε ὁ αὐτῷ ἔχων Ἡρακλῆς, τῇ μὲν αἰχμαλώτῳ Ἰόλῃ, εἴη ἀνὴρ, αὐτῇ δὲ πόσις. *Helena non ἄνδρα Paridem appellat, verum πόσιν. Videndum igitur, si quæ sit inter hos differentia. Liquet autem ex Trachiniis Sophoclis, ubi Deianira metuit, ne quando, qui habebat eam, Hercules captivæ quidem Ioles fiat ἀνὴρ, ipsius verò πόσις.* Videlicet πόσις ita dictus est sententia magistrorum ὡς πρὸς τὸ ὕδατ@ φύσιν, ἐπὶ ὁ ἀνὴρ μιγνύμεν@ τῇ γυναικὶ, αἴτι@ γίνεται τῆς τῶν παίδων γενέσεως. Id est: *Propter aquæ naturam, quandoquidem vir mulieri se miscens causa evadit liberorum procreationis.* Qvicunqve igitur mulieri se jungit, licet nullo matrimonio legitimo, is illius πόσις. Atqve ita rectè Mars est πόσις Veneris, propter adulterium cum ipsa, de qvo fusè Ovidius, ut de cæteris Poëtis taceam. Tribuitur autem Marti æreum à Pindaro vehiculum, non qvod currus ærei in usu fuerint, sed qvod alias ad arma plurimus olim æris usus, anteqvam inventum esset ferrum, ut Hesiodus est auctor. Neqve aliter hic dictum æreum vehiculum, qvam ante ferreum apud Claudianum. Qvomodo intelligendum qvoqve censeo, qvod describit Cassianus de Reg. Cœnob. Ægypt.

Ægypt. Τριβῶνοι τινες δύο μὲν πολλῶ κόμματι ὡσελπλύθεισαν, ῥεδίον ἔχοντες ὁλόχαλκον. Hic ῥεδίον ὁλόχαλκον existimo vocari, qvòd ære undiq; munitum ornatumq; fuit. Certè de vehiculo ornato loqvi manifestum, qvia subdit, καὶ χρυσοχαλίνους ἵππους, qvod ad eqvos pretiosissimè ornatos referri, notissimum. Eqvidem & de Romulo Plutarchus: Ἐν ᾧ τοῖς ἄλλοις λαφύροις καὶ χαλκῶν ἐκόμισε τέτριππον ἐκ Καμαρίας. Qvod Xylander vertit: *Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum.* Sed hic currus fuit, ut opinor, non vehiculum ad usus vectionis fabrefactum, verum ornamentum aliqvod, ad effigiem veri vehiculi formatum ex ære. Neq; *currus*, verum τέτριππον, id est, *quadrigæ*, qvod vocabulum non tam currum denotat, qvam junctos ei eqvos qvatuor; qvi profectò non intelliguntur ænei, nisi eo, qvo prædixi, modo. Itaq; subjungit Plutarchus, dedicassa qvadrigas illas Romulum in templo Vulcani, credo, qvod censeret arte singulari, fusoria præsertim factas, cujus præses qvidam atqve conditor Vulcanus habebatur. Solebant certè qvadrigas istiusmodi bigasqve, nec ex ære modò, sed & aliis materiis collocare in Deorum templis, decorare illis ædium fastigia columnis deniq; ac arcubus imponere, ut loco alio monstrabitur. Non magis istuc pertinent Homeri ἅρματα ποικίλα χαλκῷ, *currus ære variegati*, qvia tantum propter ornamenta qvædam ita dicebantur, qvæ trademus in seqventibus. Atq; sic intelligenda & eburnea vehicula scriptorum, ut illa triumphantium, de qvibus Ovidius, lib. III. de Ponto, el. 4.

*Illa ducis facies in curru stantis eburno.*

Et Tibullus, lib. I. el. 7.

*Portabit niveis currus eburnus equis.*

Nam revera hæc ex ebore non fuere. Habuerunt qvidem integra etiam ex eo, sed fuerunt illa sive ludicra, ut qvadrigæ Neronis, de qvibus Svetonius in vita ejus, cap. 22. sive cultui ornatuiq; serventia, vel alias ostentandæ arti, ut qvadrigæ Myrmecidis, de qvibus Plinius, lib. VII. cap. 21. Aureos qvoq; currus aliter vix intelligo. Eutropius profectò de Paulo Æmilio, lib. IV. *Triumphavit magnificentissimè in curru aureo.* Qvod Demsterus accipit de curru, solido ex auro, taliaq; inde tribuit triumphantibus. At in illo Pauli triumpho

ho alii vetustiores magisq; fidi non currum aureum, sed simpliciter currum memorant. Livius, lib. XLV. c. 40. *Ipse postremò Paulus in curru magnam majestatem præse ferens.* Plutarchus in ipsius vita: Ἐπ' αὐτὸς ἐπέβαλεν ἅρμαθι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς. *Inde ipse curru magnificè ornato urbem invectus est.* Non dicit, *curru aureo*, non prætermissurus pro cætera diligentia sua, si talis fuisset, sed solummodò, *magnificè ornato.* Non itaq; is currus aliter fuit aureus, qvam ut vulgo triumphantium esse consveverant. Neqve aliter accipiendum, qvod habet Philostratus in vita Dionis: Τραϊανὸς αὐλωκράτωρ ἀναθέμενος αὐλὸν ὅτι τῆς Ῥώμης εἰς πλὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολεμίων πομπὰς πομπεύουσι. *Trajanus Imperator eum Romæ secum imposito aureo carpento, in quo sedentes Augusti triumphare solent.* Ita locum istum vertit vir eruditissimus ad Ammianum. Verum nec carpentum erat id vehiculum, nec in eo sedebant, ut liqvebit ex seqventibus. Itaq; hæc rectius Morellus, vel, qvem secutus est, vetustior Interpres: *Trajanus Imperator Romæ illum in currum aureum assumens, quo invecti Imperatores de confectis bellis triumphant.* Sed hoc obiter. De aureo Trajani curru constat abundè cum ex ipsa ejus Imperatoris modestia, tum qvod dicitur apertè, fuisse, qvalem vulgo triumphantes habere solerent. At verò aureos non habuere, ut in loco alio monstrabitur. Tamen Ammianus qvoqve lib. XVI. de Constantino: *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quædam misceri videbatur alterna.* Tribuit profectò hic Constantino aureum vehiculum, non qvidem triumphale, qvod haud satis cautè tradunt viri longè doctissimi, verum alias Imperatorium & ad pompam ac magnificentiam paratum. At tamen aureum fuisse totum non existimo, sed auratum. Qvalia & Heliogabali, Principis non magis, qvam Constantinus, parci aut splendorem negligentis, de qvibus Lampridius capite 29. *Habuit gemmata vehicula & aurata.* Neq; debet aliter intelligi vehiculum Qvinti, de qvo Martialis lib. V. qvanqvam totum aureum voluerit Pignorius de Servis:

*Aurea quod fundi precio carruca paratur.*

Fuit enim Qvintus ille, qvisqvis deniqve, privatus certè, qvi non

potuit esse usus aureo vehiculo: neq; ulla illo tempore vehicula ex mero solidoq; auro habuere. Nam qvod legimus de curru Castoris apud Pindarum Ode V. Pyth. ad id genus pertinet, qvale supra, cum de Martis curru loqvebamur, memoravimus. Verba Pindari sunt istiusmodi, ad Arcesilaum loqvens de divitiis:

Σὺ τοί νιν κλυτᾶς
Αἰῶν' ἄκραν βαθμίδων
Ἄπο, σὺν εὐδοξίᾳ
Μελανίσσᾳ, ἑκαλι χρυ-
σαρμάτῳ Κάστορ'.

Lonicerus ita vertit: *Tu verò à summis celebris vitæ tuæ gradibus bono cum nomine divitias accedis, Castoris aureo curru invecti gratia.* Hic currus aureus tribuitur Castori libidine Poëtæ. Qvalem Apollonius assignavit etiam Dianæ, lib. III. Argon. v. 877.

Χρυσείοις λιπωΐς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηῶα.

*Aureo in curru stans Diana.* Et Euripides in Phœnissis Soli:

Ω πῶ ἐν ἄστροις οὐρανῷ τέμνον ὁδὸν
Καὶ χρυσοκολλήτοισιν ἐμβεβὼς δίφροις
Ἥλιε, θοαῖς ἵπποισιν ἑλίσσων φλόγα.

*O Sol, qui vix in astris cæli frangis, quique sedens in curru aureo celerius equis flammam volvis.* Qvemadmodum & Boëtius lib. II. de Consolat. Philos. Metro VIII.

-- *Phœbus roseum diem*
*Curru provehit aureo.*

Atq; hinc fortassis currus Solis *nitidus* Horatio in Carmine Seculari, de qvo alias videbimus. Manet ergo, qvod initio dicebam, vehiculorum materiam ligna esse, saltem eorum, qvæ ad usus pertinent humanos, & vel itineribus faciendis, vel oneribus gestandis, negociisq; similibus aliis inserviunt. Cæterum ea ligna erant multiplicia. Qvo respectu Hesiodus lib. II. Oper. & Dier.

Νήπι', οὐδ' ἐτόγ' οἶδ', ἑκαλὸν δέ τε δέρατ' ἀμάξης.

*Stultus, qui nescit, centum lignis opus esse ad vehiculum.* Dicit centum lignis, pro plurimis. Sic enim Tzetzes exponit: Ἑκαλὸν, πολλά· οὐχὶ ἑκαλόν εἰσι ταῦτα. *Centum, multa, neque enim centum sunt.* Et paulò post:

Ἄφρονα

Ἄφρονα λέγῃ τοῦτον, ὡς οὐκ εἰδότα ὅτι πολλὰ τὰ τῆς ἁμάξης εἰσὶ ξύλα. *Stultum talem vocat, ut qui nesciat, quod vehiculi plurima sint ligna.* Idem Poëta nominatim ea memorat ferè singulis in partibus, docetq; non obvia, nec qvovis tempore, sed certa selectaqve capi ad ea consveisse. Verba ita habent ante dicto loco:

Ἡμος δὴ λήγῃ μὲν ὀξέος ἠελίοιο
Καύματος ἐσσαλίμου, &c.
Τῆμος ἄρ' ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον, &c.
Ἄξονα δ' ἑπταπόδην μάλα γὰρ νύ τοι ἅρμενον οὕτω
Τρισπίθαμον δ' ἄψιν τάμνειν δεκαδώρῳ ἁμάξῃ.
Πόλλ' ἐπὶ καμπύλα κᾶλα. — ⏑⏑ — ⏑⏑

*Quum itaque jam desinit robur acuti Solis à calore humido, &c. tunc sanè ligna signare tempestivum esse opus memento, &c. Axem septempedalem, valde namque conveniens sic currui. Trium spitamarum curvaturam rotæ decem palmorum. Multa præterea curva ligna.* Vides primò aridam, deinde certæ longitudinis, tum curvam postulasse materiam. Sed & certæ arbores huc pertinebant. Apud Plinium ante alias ad currus commendatur fraxinus. Verba sunt in lib. XVI. c. 43. *Obedientissima quocunque in opere fraxinus. Gallica verò etiam ad currus flexibilis.* Item abies, de qva sic ait lib. XVI. cap. 42. *Eadem & curribus aptissima.* Theophrastus laudat ilicem & smilacem lib. III. Hist. Plant. cap. 16. Verba ejus hæc sunt ex interpretatione Gazæ: *Vbi ilex non provenit, hac* (smilace) *ad plaustra similiaque utuntur opera, ut Lacedæmonii & Elii.* Idem ulmum ad hanc rem commendat, lib. V. cap. 8. *Vtilis ulmus ad fores, præla & torcularia, quin & ad carpentarium opus.* Sunt ex his ipsis arboribus aliæ ad alias vehiculorum partes magis aptæ, veterum opinione. Axes sanè rotarum laudat Plinius è fraxino, vel ilice, lib. XLIV. cap. 43. *Secatur in laminas prætenues & ilex, colore quoque non ingrata, sed maximè fida ius, quæ terantur, ut rotarum axibus, ad quos lentore fraxinus utilis, sicut duritia ilex.* Videtur respexisse huc & Claudianus, qvando ait lib. I. in Rufinum, vers. 276.

*Vivitur exiguo melius. Natura beatis*
*Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.*

*Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu.*
*Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,*
*Non ventus quateret puppes, non machina muros.*

Barthius per fraxinum intelligit hastarum omne genus. Ego, cur de hastis hic loqvatur Claudianus, vix intelligo, cum præsertim minus commodè hic dicantur ire. Itaq; de curribus aut vehiculis potius censeo interpretandum, qvibus res ad luxum pertinentes adducuntur terra, sicut mari navibus. Et bene dixit *stridula fraxinus*, sicut Ovidius *stridula plaustra*, lll. Trist. el. 12.

*Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.*

Cæterum de ilice ad axes utili habet qvoqve Theophrastus lib. V. Hist. Plant. cap. 8. *Ilici*, ait, *bonos ad axes plaustrorum verticis simplicis.* Idem in hos usus laudat buxum, eodem capite. *Buxus utilis ad axem plaustris.* Fagum qvoqve celebrat ad axes, eam maximè, qvam vocat salsicorticem, lib. lll. c. 10. *Salsicorticis materies ad axes similiaque tantum commoda est.* Hinc Virgilius lib. lll. Georg.

*Post valido nitens sub pondere faginus axis.*

Apud Plinium laudatur & ulmus. Nam post verba superius de fraxino & ilice allata subdit: *Et utroque legitur ulmus*, ubi *utroque legi* est *ex utroque*, sive ob utrumqve, lentorem nempe ac duritiem, de qvo utroq; antecessit. Jam ad rotarum orbes Homerus commendat platanum Il. Δ. circa finem. Ad radios Plinius cornum. Verba extant lib. XVI. cap. 40. *Ab his proxima est cornus, quanquam non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum non alio pene, quam ad radios rotarum, utile.* Juga laudantur è carpino. Vitruvius lib. ll. cap. 9. *Carpinus non est fragilis, sed habet utilissimam tractabilitatem. Itaque Græci, quod ex ea materia juga jumentis comparant, quod apud eos juga ζυγὰ vocitantur, item & eam ζυγίαν appellant.* Theophrastus isto fine acerem commendat, lib. V. cap. 8. *Acer & carpinus lectis jumentorumque jugis cæditur.* Nempe carpinus est certa qvædam aceris species, Plinio auctore lib. XVI. cap. 15. *Tertium genus aceris zygiam vocant, rubentem, fissili ligno, cortice livido & scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt, & Latinè carpinum appellant.* Virgilius ad hos usus vocat tiliam, Georg. I. vers. 173.

*Cæditur*

*Cæditur & tilia ante, jugo levis.* — —

Sicut autem ista omnia communiter fuere lignea, sic hæc ipsa ligna ferro passim munita, ne sub pondere, vel in viis à lapidibus saxisve facilè attererentur. Respexit huc Cato, & ex eo Stolo apud Varronem lib. I. de Re Rustica, cap. 22. *Stolo inquit, proposita magnitudine fundi, de eo genere Cato scribit; Oliveti jugera CCXL. qui coleret, eum instruere ita oportere, ut faceret ex ære ahena, urceos, nassiternam, item alia. Sic è ligno & ferro, ut plostra majora tria, &c.* Ad plaustra & id genus non reqvirit lignum modò, sed & ferrum, eo fine, qvo prædixi, ut constabit ex seqventibus. Addebatur aliqvando & corium maximè, si è viminibus aut tabellis aliis tenuibus craticulatim essent composita vehicula contextaqve. Docet Pollux, qvando ait lib. I. cap. 10. Τὸ δὲ ὑπεράνω τοῦ τόνου περίφραγμα, ὃ σκύτει εἴωθε διαλαμβάνεσθαι, τάρριον. Vertit Gvaltherus: *Quodque super tonum circumseptum, quod & tarrium dictum, corio tegi solebat.* Verùm ego mallem: *Quod verò supra tonum in ambitum est septum, & corio induci consvevit, tarrion appellatur.* De tarrio in seqventibus agemus, & id ostendemus fuisse, qvod parietes vehiculi constituebat. Id hic annotamus, corio muniri consveviſſe, planè illo modo, qvi & hodie in vehiculis plerisqve usitatus est. Atqve ista qvidem de materia vehiculorum.

## Cap. IV.

## De Vehiculorum Partibus & Temone.

*Temo pro vehiculo integro. Vnde dicatur. Vossius rejectus.* Ῥυμὸς. *Glossæ explicantur atque corriguntur. Plectrum. Phædri lectio defensa.* Ἔνδρυον. *Versio Hesiodi notata.* Ἰσοδοὶς. Σταδάριον. *Meursius notatus.* Ἀκλητὶς. Στήριγμα *quid fuerit. Hesychius expenditur.* Στήμων. Σταθμίον. *furca quid. De Plutarchi loco conjectura.* Τήριξ. *Lipsii emendatio repudiata.* Δίκρες. *Hesychius & Phavorinus explicantur, cum Plutarcho.* Ἀκρόῤῥυμον. *Gvaltherus notatur. Summus temo.* Τετράῤῥυμος. Ὀκλάῤῥυμος. Ἄμπρον.

VEniamus ad vehiculorum partes. Prima & præcipua est temo. Qvod enim in navi gubernaculum, id ipse in vehiculo. Unde sæpe temo Poëtis, qvod gubernaculum est aliis, sicut dixi-

mus in libris de Militia & Re Navali. Qvin imò ex hac cauſſa ponere pro integro vehiculo ſveverunt. Juvenal. Sat. IV. verſ. 126.

*Regem aliquem capies, aut de temone Britanno*
*Excidet Arviragus.* — — — —

Lubinus: *De temone eo dicit, nam Britanni in præliis curribus utebantur, ex quibus Regem victum deturbandum eſſe vaticinatur.* Eſt autem temo ita dictus à tenendo, ſi Varroni credimus. *Temo,* ait lib. VI. de L. L. *dictus à tenendo, is enim continet jugum.* Ita temo fuerit primum *tenimo,* dein contractè *temo.* Qvomodo & in aliis ſyllaba illa media ſolet omitti, & e. g. ex *movimen,* fieri *momen,* ex *orimen, omen.* Magisqve iſtoc veriſimile, qvam qvod volebat Voſſius, *ſic dictum à* τείνω, *quia à jugo* ἀποτείνεται, *id eſt, extenditur.* Certè non extenditur à jugo, ſed vehiculo, ut docet Pollux, verbis, qvæ mox ſubdo. Contra jugum tenet veriſſimè, ut, præter Varronem, ipſa res teſtatur. Græcis eſt ῥυμός. Philoxenus: *Temo,* αὐχὴν ἁρμαλίης. Ῥυμός. Gloſſæ veteres: Ῥυμὸς ἁμάξης, *temo, plerum, armamentum* Armamentum hic eſt inſtrumentum, qvod ſignificatione ſpecialiori tribuitur temoni, credo, qvod inter currus inſtrumenta eſſet primum ac præcipuum. At qvid *plerum?* Silet Vulcanius, neqve alii nos docent. Qvare dicam, qvod ſum pridem ſuſpicatus, legi *plectrum* oportere. Plectrum idem eſt, ac *flectrum* à plectendo flectendoqve, de qvo dixi ad Phædrum in editione ſecunda. Nam & ipſe lib. V. c. 10.

*Monſtrabat vitulus, quo ſe pacto plecteret.*

Qvod ſine cauſſa mutarunt. Itaq; & gubernaculis navigiorum tribui oſtendimus in libris de Militia Navali. Jam cum non magis illa in navigiis, qvam hi in curribus flectendi vertendiq; inſtrumenta ſint, qvin eodem venire potuerint vocabulo, vix dubitabitur. Heſiodus vocavit ἔνδρυον lib. II. Oper. & Dier. illo verſu:

-- Ὄρπηκα βοῶν ἐπὶ νῶτον ἵκηαι
Ἔνδρυον ἑλκόντων μεσάβῳ. --

Vertunt: *Stimulo boum terga attigeris quernum temonem trahentium.* Sed de qverno nihil eſt hoc loco, ſi Tzetzi credimus, cujus iſta verba: Ἔνδρυόν ἐστιν, ὅταν ἰσοδοιὺς, καὶ ῥυμὸς καλεῖται. Nudè ſimpliciterqve ait, ſignificare temonem. Et Heſychius medium exponit:


Ἔνδρυον,

Ἔνδρυον, καρδία δένδρου, καὶ τὸ μέσον. *Endrion, cor arboris, & medium.* Qvo efficitur, ut temonem credam ita dictum, qvod esset medius inter duos boves eqvosve, qvasi diceres Latinè lignum medium, aut interius lignum. Cæterum ex Tzetze liqvet, appellasse etiam ἰσοβοέα. Firmat idem Eustathius ad Iliad. Z. Σημείωσαι ὃ ὡς ἐπὶ ἅρμαλῳ μὲν ῥυμὸς λέγεται, ὡσὰ τὸ ῥύω τὸ ἑλκύω, οὕτω ὃ καὶ ἐπὶ ἀπλῶς ἐπὶ ὃ ἀρότρου, ἰσοβοεὺς ὡσὰ Ἡσιόδῳ, βαρβαριζόμενῳ νῦν ὡσὰ πολλοῖς, οἱ φάσιν αὐτὸν σαβάριον, ὡς οἷον ἰσοβάριον. Ostendit sanè etiam Eustathius ῥυμὸν & ἰσοβοέα idem esse. Addit tamen, alterum de cæteris vehiculis magis, hoc verò de aratris usurpari. Etiam hoc observandum est, qvod recentiores Græcos dicat appellasse barbare σαβάριον. Omiserunt enim indicare viri docti, qvi de barbaris Græcorum vocabulis Lexica composuere. Dicunt qvidem: σταβάριον sive σαύαρον, *sepS, munimentum:* verum minus aptè, ut opinor. Nam Eustathius Odyss. Ξ. Σταυροὶ, ὀρθὰ καὶ ἀπωξυμένα ξύλα, τὰ καὶ σαύαρα ὡσὰ τοῖς μὴ λαλοῦσιν εὐγενῶς. *Stauri recta & levigata ligna, quæ & stavara dicuntur iis, qui minus bene loquuntur.* Non sepimentum aut munimentum integrum σαύαρον aut σαβάριον, sed singula illius ligna, singuli valli, qvi etiam extra munitionem, ut erant stipites recti, σαβάρια nominabantur. Deniq; σαβάριον aut σαύαρον nil aliud, qvam qvod hodieq; Stab Germanis, Svecis staf est, rectèq; Eustathio dicuntur βαρβαρίζειν, sive loqvi barbarè, qvi voce illa utuntur. Qvi proinde ita formatam, velut ἰσοβάριον tradere non debuit. Et qvia temo lignum rectum, utiq; sic ipse qvoq; σαβάριον. Describit sanè ad hunc modum Hesychius, ut deinceps apparebit. Achæus Poëta vetus, & qvi vixit Miltiadis temporibus apud Græcos, appellavit ἀκλήρια. Pollux lib. X. cap. 34. Καλεῖ ὃ οὕτω (ἀκλήρια) καὶ τὸν ῥημὸν τοῦ ἅρματος, τὸ τῆς ἁμάξης ἀνέχον ξύλον, ὅταν ἄζευκτος ᾖ, ὃ στήριγμα καλεῖ Λυσίας. *Eodem quoque nomine (acteria) currus temonem appellat, prominens scilicet illud lignum, cum jugatus non est, quod Lysias sterigma appellat.* Dicit Pollux, Lysiam vocare στήριγμα. Nempe alias τὸ στήριγμα est pars temonis, sicut statim indicabo. De cætero bene describit, lignum prominens à curru. Sic enim & alio loco: Τὸ ἀποδεινόμενον ἀπὸ τοῦ δίφρου ξύλον, ῥυμός. *Lignum ab ipsa currus sella extensum, temo.* Hesychius hoc modo habet: Ῥυμὸς τοῦ ἅρματος τὸ ἐκτεταμένον ξύλον πρὸς τοὺς ἵππους.

πρὸς ἕως τὸ ζυγὸν μέσον ἀπὸ τοῦ ἄξονος, ὅ τινες ῥῆμονα καὶ σταθμίον καλοῦσι. *Rhymos vehiculi extensum est lignum per equos usq; ad jugum medium ab axe, quod aliqui stemona & stathmion appellant.* Cum Hesychio facit Phavorinus, qvi appellat τὸ μεταξὺ καὶ μήκους ξύλον τοῦ ἅρματος, ἤγουν τὸ προσηρτημένον τῷ ζυγῷ ὀρθὸν ξύλον. *Lignum in vehiculi medio secundum longitudinem, prominens ve ad jugum lignum rectum.* Item: Τὸ μέσον τῶν ἵππων ξύλον, ᾧ συνδέδεται ὁ ζυγός. *Medium inter equos lignum, cui jugum alligatur.* Qvando vocat ξύλον μέσον, sive lignum medium, firmat id, qvod de endrio superius divinabamus. Juvat qvoq; Scholiastes vetus Homeri, qvando sic Il. π. exponit: Ὁ προσηρτημένος τῷ ζυγῷ κανὼν εἰς ὀξὺ λῆγον. Τὸ μέσον ξύλον. Cæterum Hesychius dicebat, etiam ῥῆμονα & σταθμίον aliqvibus vocari, qvod ignoro, utrum ad temonem integrum pertineat. Σταθμίον sanè alias σταθμὸς, id est statera, vel libra. Hoc verò ligno illi recto, de qvo hactenus locuti sumus, parum convenit. Qvare mallem ego capere de qvadam ejus parte, sive ligno alio transverso, in temone firmari solito prope capsam, ad qvod religantur funes, provenientes à jugo. Sanè lignum illud hodieq; Germanis meis die Wag/ id est, *libra* dicitur. Et in flectendo vehiculo huc illucq; libræ instar movetur. Qvare temo σταθμίον vocatus ab hac parte ipsius videtur. Eadem fortassis ῥῆμων est, qvia cum procurrentibus funibus, qvibus religantur eqvi, habet instar staminis, qvod alias est ῥῆμων. Sicut autem temo dictus ῥῆμων sive σταθμίον, cum hoc potius pars ejus qvædam esset, ita qvoq; στήριγμα vocatus est, cum στήριγμα propriè partem ejus signet. Nam est στήριγμα in temone, qvod Latini nominarunt *furcam*. Plutarchus in Coriolano: Οἱ Ἕλληνες ὑποστάτην καὶ στήριγμα, τοῦτο Ῥωμαῖοι φέρκαν ὀνομάζουσι. *Qvod Græci hypostaten & sterigma, id Romani furcam appellant.* Idem planè furca & στήριγμα. Porrò furca lignum bifidum, ut idem docet in Qvæstionibus Romanis, ubi vocat διπλοῦν ξύλον, ὃ ταῖς ἅμαξαις ὑφιστάσιν, *lignum duplex, qvod curribus subjici solet*, subditqve: Τὸ δὲ ξύλον ἡμεῖς μὲν στήριγγα, Ῥωμαῖοι δὲ φέρκαν ὀνομάζουσι. *Lignum illud nos qvidem steringem, Romani verò furcam appellant.* Qvod Plutarchus ait de curribus, valde obscurum est, & nescio, an integrum. Qvomodo enim lignum potest intelligi currui subjectum? An scribendum: Ὁ τοῖς ἄξοσι ὑφιστάσιν?

id

id est, *lignum, quod axibus* (rotarum) *subjiciunt*. Certè furca illud bifidum est lignum, qvod priorem axem tenet, atq; huc & illuc flectit in itinere simul cum temone. Solent enim hodieq; temoni utrinqve adjungi ligna, qvæ ab una parte coëunt, ab altera distant maximè, litteræ V figura, qvandoq; temo ipse ab una parte furcæ specie dividitur. Illa sic divisa ligna, temonive divisim adsociata Latinorum furca, Græcorum στήριγμα, ut vocant alii, ut Plutarchus, στήριγξ. Ista specie.



Στήριγγας appellat etiam Hesychius, ubi sic describit: Στήριγγες, ἐρείσματα· οἱ δὲ τὸ δίκρων, ὅπερ ὑποδιδέασι τῷ τῆς ἁμάξης ζυγῷ. *Steringes sunt fulcra. Quidam sic appellant illud bifidum, quod subdi solet jugo vehiculi.* Dubitat hic Lipsius, an vox ζυγῷ se bene habeat, putatq; potius ῥυμῷ legendum. Ego nihil muto, plane enim per τὸ δίκρων intellexisse integrum temonem arbitror, qvi subdi jugo, & ad id loro alligari consvevit, ut mox ostendemus. Vocat autem δίκρων Hesychius temonem, qvoniam in furcam desinebat, non qvod furca ipsa subdita fuit jugo. Furca enim pertinebat ad axem, non ad jugum. Nam qvod Plutarchus ait, furcam illam sustentasse temonem, aliud est. Verba ejus sunt ista, in Coriolano: Ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτου πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης, ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν, ἀράμενος, διεξέλθοι τοὺς γειτνιάσαντος· ὃ δὲ τοῦτο παθὼν καὶ ὀφθεὶς τοῖς τῶν συνοίκων καὶ γειτόνων, ἀκέλευστος ἐφερκίφερος. *Habebatur autem punitio servi, qui peccaverat, acerba, si lignum plaustri, quo sustentant temonem, circa viciniam portaret: ita enim punitum quum domestici & vicini vidissent, nullam habebant deinceps ei fidem, appellabantque eum furciferum.* Ex eo, qvod furciferum appellatum ait, manifestum, non de ligno alio sermonem esse,

qvam qvod furca est Latinis. Hoc dicit sustentasse temonem, qvia tenebat eum rectum inter eqvos, prolapsurum alias in terram, sicut hodieq; fieri in vehiculis videmus. Nempe in extremo furcæ, ubi ligna duo maximè distant, addi lignum aliud transversum solet, qvod subjectum medio arbori, axem posteriorem priori adjungenti, tenet furcam, & cum ea temonem, ne possint procidere. Atqve istoc qvidem voluit Plutarchus illis verbis. At in prioribus non tam de furca propriè sic appellata, qvam temone, cujus capiti jugum alligari consvevit, sermo erat. Nam furca propriè sic dicta tenebat regebatq; axem, eumq; huc ac illuc flectebat, sicut dixi. Eratqve hic præcipuus furcæ usus in vehiculo. Sicut autem temonis pars extrema una dicebatur στήριγμα Græcis, ita altera extrema ἀκροῤῥύμιον. Pollux lib. I. cap. 10. Τὸ ἀπολεινόμενον ἀπὸ τῆς δίφρου ξύλον, ῥυμός. Οὗ τὸ τέλος ἀκροῤῥύμιον, ὑπερθεν ἐκδέδεται τῷ ζυγῷ. *Lignum ab ipsa currus sella extensum, temo, cujus ultima extremitas, acrotemo dicta, supernè jugo alligatur.* Non est ἀκροῤῥύμιον pars alia, qvam dicta, qvod apparet, qvia jugum sibi habet alligatum. Gvaltherus voce hybrida *acrotemonem* reddidit. Sed rectius, ad expressionem dictionis Græcæ, *summum temonem* appellasset. Ita namq; Curtius vocavit lib. IV. cap. 9. Verba ista sunt: *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant.* Summus temo plane illud ipsum, qvod Gvalthero *acrotemo*, Græcis ἀκροῤῥύμιον. Observandum autem, priscis temporibus tot fere temones fuisse singulis in vehiculis, qvot habebant paria eqvorum boumve. Unde de qvadrigis Isidorus: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat.* Et apud Xenophontem, lib. V. Pædiæ, currus Abradatis est τετράρυμος ἐξ ἵππων ὀκτώ. Id est: *Temones habens qvatuor, eqvos verò octo.* Qvemadmodum paulò post eodem loco currus Cyri ὀκτάρυμος, id est, *cum temonibus octo*, qvi trahabatur ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν. Id est, *octo jugis sive paribus boum.* Qvanqvam hi temones non spectarint omnes pariter ad vehiculum. Id enim habebat unicum tantummodo, firmatum ad axem; reliqvi adjuncti erant, qvilibet ad alterius caput, qvod in seqventibus monstrabitur. Illud etiam notandum, qvod pro hisce ligneis temonibus qvandoqve usurparint funem longum. Hesychius: Ἄμπρον, τὸ τεταμένον σχοινίον, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ

ἀντὶ ῥυμοῦ. *Amprum, funis extentus, quo utuntur loco temonis.* Docet clarè id, qvod dixi, simul funem eum ἄμπρον esse nominatum. Eustathius: Ἄμπρον σχοινίον, ᾧ ἐχρῶντο ἀντὶ ῥυμοῦ μέσῳ τεταμένῳ τῶν ἑλκόντων ζευγῶν. *Amprum, funis, quo utuntur pro temone, collocato in medio inter trahentes jugales.* Scilicet, cum onera essent graviora, qvam ut à duobus animalibus ad jugum temonemq; unum junctis possent moveri, à capite temonis addebatur funis longus, & ad eum tot jugales, qvot videbantur sufficere, qvod & hodie qvandoq; solet fieri. Et hic funis, qvem appellant ἄμπρον. Suidas: Ἄμπρον σχοινίον ὅπερ διὰ τῶν ζυγῶν διατείνουσι καὶ φορτία ἐφ' ἁμάξης κομίζουσιν, ὥστε ὁμοτόνως ἀπὸ τῶν ζευγῶν ἕλκεσθαι ἀμπερόν τι ὄν, τὸ διὰ πέρων τὸν ζυγὸν δεδεμένον. *Amprum, funis per juga protentus, quo onera in plaustro ducunt ita, ut æqualiter à jugalibus trahantur, cum sit quid continuum, jugumque tenens religatum.*

## Cap. V.

## De Axe.

*Axis.* Ἄξων *quid. Notat interdum totum vehiculum. In plaustris volvebatur cum rotis.* Ἀκροξόνια. Ἀκραξόνια. *Pollux & Demetrius Triclinius emendati.* Χνόαι. Σύριγγες. Εὐρά. *Pollux explicatus.* Παραξόνιον. *Gvaltherus notatus. Clavus. Obex.* Ἐπίβολον. Ἔμβολον. *Materia ejus ex ligno & ferro. Semel ex cera. Axedo.* Ἁμαξιδόνιον. Ἐγκλᾶα. *Argolus reprehenditur.* Πλήμνη. Ἐμβολοδέτης. *Gvaltherus denuò notatur.* Ἁμαξήποδες. *Arbuscula. Baldus notatur. Hesychius corrigitur.* Καθαραῖα. *Axis secundus.*

VEniamus nunc ad axem. Ita verò nominabant stipitem longum, circa qvem vertuntur rotæ. Festus: *Axis plures habet significationes. Nam & pars cæli septentrionalis, & stipes teres, circa quem rota vertitur, axis appellatur.* Græcis voce simili est ἄξων. Philoxenus: *Axis*, ἄξων. Glossæ aliæ: Ἄξων, *axis.* Scholiastes vetus Homeri scribit esse ὁ εἰς τὰς χοινικήδας ἐμβαλλόμενον ἑκατέρᾳ τροχῷ, id est, *illud, qvod modiolis rotæ utriusque inseritur.* Fuit ergo pars vehiculi admodum necessaria propter rotas, qvæ absq; illa inutiles plane atq; nullæ. Hinc Poëtis fere posita pro integro vehiculo. Notum illud Juvenalis Sat. III.

*Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat*
*Axis, & eversum fudit super agmina montem.*

Ita Silius lib. XVI.

— — — *Eversum propulit axem.*

Et aliqvando ante:

— — — *Necdum ipse ascenderat axem.*

Manetqve hoc loqvendi genus hodieqve apud Germanos meos, qvando, qvæ vehiculis de uno loco in alium portantur, auf der Axe deferri dicunt, qvod Latinè foret *super axem.* Insertum autem sibi vel affixum habuit temonem ea parte, qva divisus est in furcam. Indicavit Ovidius, qvando lib. II. Met. facit non amotum ablatumve, sed revulsum, qvod non potest dici, nisi de iis, qvæ cohærent firmiter, & per vim sejungenda sunt. Verba ejus ita habent:

*Illic fræna jacent, illic temone revulsus*
*Axis.* — — — —

Jam qvia cohærebat cum temone, ideò fuit stabilis, solæqve circa eum volvebantur rotæ. Qvanqvam hoc non fuerit perpetuum in omnibus vehiculis, nam in plaustris adhærebant rotis, & cum ipsis simul volvebantur. Probus ad Virgil. I. Georg. ubi de plaustrorum tympanis: *Axis autem cum rota volvitur.* Sed de hoc & in seqventibus. Extremas ejus partes Græci ἀκροξόνια vocarunt. Ita enim habet Pollux lib. I. Τὰ τοῦ ἄξονος τὰ ἐκάτερωθεν τέλη, ἀκροξόνια. *Axis utrasque extremitates acroxonia appellant.* Ἀκροξόνια nominavit etiam Demetrius Triclinius ad Sophoclis Electram. Verba ejus: χνόαι γὰρ τὰ ἀκροξόνια. Sic certè legitur in Parisiensi à Turnebo Anno 1553. publicata. Postulare tamen ratio analogiæ videtur, ut legamus ἀκραξόνια. Et reperisse ita sese apud Scholiasten Apollonii Stephanus testatur. Neq; desunt, qvi eadem ratione verba Demetrii adducunt. Liqvet autem simul ex Demetrio, extremitates illas axis etiam vocasse χνόας. Firmantq; Scholia Sophoclis vulgaria non longè à prædicto loco, ubi sic exponunt χνόαν: Χνόα, τὸ λεπτὸν μέρος τοῦ ἄξονος, τὸ τριβόμενον ὑπὸ τῆς χοινικίδος. *Chnoa est axis pars gracilior, quæ à modiolo teritur.* Optimè, constatq; hinc, qvænam sint illa τέλη Pollucis, non videlicet summa capita axis, verum qvicqvid ultra vehiculum prominet, rotæqve modiolo immittitur. Paulò ante explicant per σύριγγας. Verba hæc sunt: Χνόας δὲ, τὰς τοῦ ἄξονος σύριγγας. Σύριγξ δέ ἐστι, τὰ

τὸ εἰς πλὼ ὀπὴν τῦ τροχῦ ἐμβαλλόμενον μέρ@ τῦ ἄξον@. *Chnoas vocat axus syringas. Syrinx verò est ea pars axis, quæ foramini rotæ inseritur.* Atq; ita & Hesychius: χνόαι, αἱ χοινίκιδες, αἱ τῦ ἄξον@ σύριγγες. Duo ait significare, & modiolum, & syringa axis. Verum de modiolo deinceps. Syrinx autem, sive axis hæc extremitas, muniri ferro solebat, ne à rota facilè attereretur. Illud ferrum Græci appellabant ἐυρὰν. Pollux: Τὰ πρὸς ἄξονι ἐγκείμενα σιδήρια, καὶ τρεβόμενα ὑπὸ τῦ τροχῦ, ἐυραί. *Ferramenta axi imposita, quæ teruntur à rota, nominantur euræ.* Ita verto ista, minus evidenter aliis exposita. Solet hodieq; id in usu esse, figura paulò latiore, ac in summo capite foramen habere, per qvod infigitur clavus, continendæ rotæ, ne in cursu excidat. Clavus iste Græcis παραξόνι@. Idem Pollux: Τὸ δὲ κωλύον ἐκπίπτειν τὸν τροχὸν ἐμπηγνύμενον τῷ ἄξονι, παραξόνι@. Vertit Gvaltherus: *Sed clavus, rotam axi infixam cohibens, paraxonius.* At Græca nihil continent de clavo. Itaq; sic verti debent: *Illud verò, quod non finit excidere rotam, infixum axi, paraxonius.* Non rotam axi infixam dixit, ut accepit Gvaltherus, verum id, qvod rotam continet. Id axi circa extremum infigi solebat. Fuit tamen revera nihil aliud, qvam clavus. Atq; ita clarè nominavit Hyginus fab. LXXXIV. *Myrtilus currum junxit, & clavos in rotas non conjecit.* Qvando ait, *clavos in rotas non conjecit,* vult non immisisse axi, atq; sic clausisse rotas, qvod Græcis est παραξονίας ἐκ ἐμπηγνεῖναι τῷ ἄξονι. Sidonio est *obex* in Panegyrico Antemii, ubi de OEnomao:

-- -- *Natæ quem fraude cadentem*
*Cerea destituit resolutis axibus, obex.*

Pro παραξονίῳ Gorgias usurpavit ἐπίκολον, Eratosthenes ἔμβολον, qvod Pollux similiter annotavit. In Glossis Græcis video non ἔμβολ@ in primo casu, sicut legitur apud Pollucem, verum ἔμβολον haberi, modò integra sit scriptura. Verba ista sunt: Ἔμβολον τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον ξύλον. *Axedo.* Non potest mea sententia ἐμβαλλόμενον εἰς τὸν ἄξονα, id est, qvod axi inseritur, intelligi aliud qvidpiam, qvam clavus. Qvem ostendunt fieri ex ligno consveviss̄e, qvando vocant ξύλον. Qvanqvam non existimem, perpetuum hoc fuisse. Verosimilius enim, habuisse ferreum. Cereum fecit Hippodama in curru

Myrtili. Schol. Apollon. l. v. 752. Ἔμβαλόντα κήρινον ἔμβολον ὅπῃ τοῦ ἁρμαξονίου, &c. Sed hoc dolo ab ea factum, ut ab Oenomao in certamine curruli vinceretur. Vulgo sine dubio ex ferro fuit, sive ligno, ut nos Glossæ docent. In qvibus simul Latinum *axedinis* vocabulum, qvo ἔμβολον exponunt, annotandum est. Neq; enim alibi opinor reperiri. Atq; potest fieri, ut formatum sit ab ἁμαξηδονίῳ, Græca voce, nam & illa obicem significat, qvalem hic exponimus. Eustath. Iliad. E. Ενήλατα, παρεμβλήσκοι, κωλύοντες ἐξιέναι τὸν τροχὸν, τὰ καλούμενα φασὶν ἁμαξηδόνια. *Enelata, paxilli, qui prohibent excidere rotam, eadem vocari ajunt hamaxedonia.* Sunt plane hamaxedonia paxilli dicti, unde forsitan axedines, Latinis. Iidem etiam ἐνήλατα, ut constat ex Eustathii his verbis. Atq; ita usurpavit etiam Euripides, cujus propterea Scholiastes ἐνήλατα exposuit παρεμβλήσκους, ἃ τὰ ἐμβαλλόμενα πρὸς τῷ ἄξονι, ὡς ἐμὴ ἐξιέναι τὸν τροχὸν, iisdem propemodum, qvibus Eustathius, verbis. Qvod autem censet Argolus in Notis ad Onuphrii de Ludis Circensibus lib. I. p. m. 4. dictos qvoq; clavos hosce σύριγγας, id plane falsum est. Verba ejus hæc sunt: *Obex paxillus est, qui in foramen axis immittitur, σύριγξ Græcis.* Schol. Sophoclis in Electra: Σύριγξ δ' ἐστὶ τὸ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ βαλλόμενον μέρος, id est, πάτταλος τοῦ ἄξονος πλήμνη καὶ πλῆσμα *significatur apud Schol. Apoll. lib. I.* Prave hæc excusa sunt, puto enim pro ἄξονος, qvod est nihili, scripsisse ἄξονος. Cæterum obicem Scholia qvæ laudat, nunqvam σύριγγα exponunt. Dicunt esse τὸ εἰς τὴν ὀπὴν τοῦ τροχοῦ βαλλόμενον, *quod inseritur foramini rotæ.* At clavus seu paxillus, qvi Latinis *obex*, non rotæ foramini inseritur, sed axis. Τὸ εἰς τὸν ἄξονα ἐμβαλλόμενον dicebant supra Glossæ. Sed nec, qvod de voce πλήμνη addit, hilum valet, longèq; diversum tradit Scholiastes Apollonii lib. I. v. 757. Πλήμνη ait τὴν κοινωνίαν σημαίνειν τοῦ τροχοῦ. Dicit partem esse rotæ, qvæ Græcis κοινωνὶς vocatur. Obex autem rotæ pars non potest appellari. Qvare hic, ut multis locis aliis, Argolus est lapsus. Pertinet ad clavum nunc, qvod ἐμβολοδέτης Græcis. Ita namq; habet Pollux sæpe dicto loco: Ὁ δὲ τοῦ παραξονίου δεσμὸς, ἐμβολοδέτης. Vertit Gvaltherus: *Sed paraxonii vinculum, axiligator.* Qvæ verba qvid significent, non video. Ac primum qvidem evidentius haud dubiè pro Græco *paraxonii*, scripsisset *clavi obicisve.* Deinde qvid est *axiligator?*


*ligator?* Non enim ἐμβολοδέτης; cum ipse prius ostenderit Pollux, ἔμβολον significare idem ac παραξόνιον, id est, *clavum*. Debuisset igitur ad hanc formam potius *claviligatorem* reddidisse. Deniq; nec *vinculum* hic satis intelligitur. Ego plane censeo, ἐμβολοδέτην esse pinnulam, seu aciculam, qvæ trajicitur per clavum sive obicem, ne possit excuti per jactationem axis. Solet enim & in clavi extremo exiguum foramen fieri, & per illud transmitti ferramentum longius bifidumqve, ac ab altera parte reflecti, qvo firmius obhæreat, prædicto fine. Atq; ob hanc causam nominatus est ἐμβολοδέτης, qvia ligat, vincit, continet obicem seu clavum. Cæterum ad axem ipsum spectat, qvod est ἀμαξήπους Græcis. Pollux, lib. I. c. 14. Καθαραίαις ἐφαρμόζουσι οἱ ἀμαξήποδες, ἀφ' ὧν ὁ ἄξων ἕλκεται στρεφόμενος. Gvaltherus: *Catharæis axis cardines adaptantur, à quibus axis conversus trahitur.* Vertit *axis cardines*, qvod Pollux dixit ἀμαξήποδες. At Vitruvio Latinè sunt *arbusculæ*. Verba extant lib. X. cap. 20. *Supponanturque in singulis intervallis eorum arbusculæ, quæ Græcè* ἀμαξόποδες (ita vocat ipse, non ἀμαξήποδες, ut Pollux) *dicuntur*. Et capite seqventi: *Hæ in arbusculis, sive amaxopodes dicantur, habuerant versationes.* Debuisset igitur Pollucis locum ita reddidisse: *Catharæis adaptantur arbusculæ*, &c. Qvales autem hæ arbusculæ? Prodit Vitruvius verbis, qvæ seqvuntur priore loco allata: *Græcè* ἀμαξόποδες *dicuntur, in quibus versantur rotarum axes, concluſi laminis ferreis.* Liqvet, fuisse machinulas, eo pertinentes, ut in iis verti possent axes. *In iis* signanter dico, ita enim idem cap. seq. *Hæ IN ARBVSCVLIS habuerunt versationes.* Atq; ita voluisse etiam Hesychius videtur: Ἀμαξίποδες (sic vocat ipse, non ἀμαξόποδες, aut ἀμαξήποδες, convenientemqve sibi habet Athenæum, cujus verba post citabo) τῆς ὑπερῳερίας τὰ εἴδη, τὰ τοῖς ἄξοσι προστιθέμενα στρεφομένοις περὶ αὐτά. Dicit, axibus apponi, hosq; verti circa illas. Περὶ αὐτά pro eo habet, qvod Vitruvius posuit, *in arbusculis*. Sed qvæ hic τὰ εἴδη? Species respondet Baldus in Lexico Vitruviano. Verba ejus, ubi de voce ἀμαξίποδες: Græca vox denotat ἅμαξος πόδα, id est, *currus pedem. Obscurè Hesychius, speciem esse hyperteriæ, appositam axibus, qui circa ipsam vertuntur.* At si Hesychius speciem hyperteriæ voluisset dicere, scribere τῆς ὑπερῳερίας εἶδος debuisset, non

τὰ

τὰ εἴδη, neq; ſpeciem ſe intelligere oſtendit, & ὑπερθερίας unius in vehiculo τὰ εἴδη fuiſſe plura. Qvid igitur dicemus? An τὰ εἴδη denotare partes, qvalescunq; denique? Qvomodo Plato in Polit. ll. uſurpavit δύο εἴδη, pro duabus animi partibus, una, qvæ voluptate alitur, altera, in qva irarum ardor, ſicut Tullius expoſuit: An potius, corruptã illam eſſe vocem mutilamve. Videtur enim ea Heſychius exprimere vel deſcribere partes illas voluiſſe. Adde, qvod ſignificatione altera τὰ εἴδη rarius dicantur, ac propterea non videantur expoſitionis loco potuiſſe uſurpari. Et qvid? Si legamus τὰ εἴλη, atq; exponamus *vertibula*, ab εἴλω vel εἰλέω, qvod idem eſt, ac στρέφω, id eſt, *verto*. Erant enim plane verſationibus axis deſtinata. Vitruvius: *Eæ arbuſculæ ita ſint temperatæ, ut habeant cardines & foramina, quo vectes trajecti verſationes earum expediant, uti ante, & poſt, & ad dextrum ſeu ſiniſtrum latus, ſive obliquè ad angulos opus fuerit, ad id per arbuſculas verſati, progredi poſſint.* Obſerva, qvod Vitruvius arbuſculas ipſas hic faciat verſatiles, iisq; converſis verti machinam oſtendat, qvæ verti alias non poſſit, niſi per has arbuſculas. Qvomodo & Pollux ſupra, ἀφ' ὧν ὁ ἄξων στρέφεται. Qvaſi harum ope factoqve axis vertatur. At hoc repugnat ſuperioribus., in qvibus dicebat, axes verſari non per arbuſculas, ſed *in arbuſculis*. Neq; aliter habet Athenæus, unde ſua Vitruvius videtur deſumſiſſe. Verba citant Daniel Barbarus ad Vitruvium & Turnebus lib. XXIII. Adv. c. 33. Στρέφονται ὃ ἐν ἀμαξίποσι. Dicit clarè, ἐν ἀμαξίποσι, non ἀφ' ἁμαξιπόδων, uti Pollux loqvebatur. Verum ſine dubio arbuſculæ Vitruvianæ à vulgaribus nonnihil differebant. Exigit profectò cardines Vitruvius in ipſis, item foramina, qvod non fuiſſet opus nominatim fieri, ſi cardines hujusmodi & foramina habuiſſent etiam vulgares. Præterea in Polluce illud ἀφ' ὧν non ad στρέφεται, verum ἕλκεται fortaſſis referendum. Deniq; omninò arbuſculas vulgares exiſtimo fuiſſe ſtipites, ſeu ligna craſſiora, per qvorum medium transibat axis, ſic, ut in illis verteretur, & ſi verſus eſſet, ſimul verterentur illæ, ſimulq; cum illis ὑπερθερία. de qva in ſeqventibus. Puto enim impoſitam ipſis ὑπερθερίαν fuiſſe, hocq; voluiſſe Heſychium, qvando dixit τῆς ὑπερθερίας τὰ εἴδη. Nimirum axis qvælibet unam habebat arbuſculam

in

in medio, cui ὑπερίερία incumbebat, affixa arbuſculæ, ut credo, interventu ligni ſuffixi, qvod à Græcis καθαρσῖα dicebatur. Erat autem lignum ab uno latere hyperteriæ pertinens ad alterum, cui hamaxapus ſeu arbuſcula inhærebat. Pollux ſupra dicto loco: Ὑποπέπηγε δὲ αὐτοῖς (πλευροῖς τῆς ὑπερίερίας) ξύλα, ἃ καὶ καθαρσίαι ὀνομάζονται. Οἷς ἐφαρμόζονται οἱ ἁμαξήποδες. *Suffixa verò ipſis* (lateribus hyperteriæ) *ſunt ligna, quæ catharæ dicuntur, quibus adaptantur hamaxopodes vel arbuſculæ.* Sed hæc rectius diſcentur ex imagine totius rei.




a. Eſt arbuſcula. b. Axis transiens per arbuſculam, & ſic ἐν ἁμαξίποδι, ſeu in arbuſcula, ut loqvuntur. c. Laminæ ferreæ, qvibus utrinq; arbuſcula concluditur. d. Clavus, cui impoſita erat ὑπερίερία, ſic, ut ſeqvi arbuſculam & axem cogeretur. e. Sunt obices. f. Ἐμβολοδέται ſeu claviligatores. g. Ἀκραξόνια. Dixi, qvamlibet axem unam habuiſſe arbuſculam, & qvia ſub ὑπερίερίᾳ axes duæ, ideò rectè τῆς ὑπερίερίας fuiſſe dicuntur τὰ εἴδη. Omnino enim tale genus intellexit Pollux, qvod cum rotis eſſet qvatuor, & axibus duobus, ubi arbuſcularum vel ἁμαξιπόδων facit mentionem. Qvod propterea hic addo, qvia fuit genus aliud vehiculorum, qvod non niſi unum axem habuit. Scilicet, qvot rotarum paria qvodq; genus, tot ſimul habebat axes, ſicut hodieq; videmus. Erantq; hi axes non re ipſa modo à ſe mutuo, ſed & vocabulis diſtincti, qvando alius *primus*, alius *ſecundus* dicebatur. Perſius ſat. V. v. 70.

*— — — Qvamvis temone ſub uno*
*Vertentem ſeſe, fruſtra ſectabere canthum,*
*Cum rota poſterior curras & in axe ſecundo.*

Hic ſecundus axis, qvi poſteriores rotas continet, id eſt, eas, qvæ ab jugo eqvisq; longiſſimè diſtant. De qvibus, ut & cæteris rotis, amplius aliqvid nunc eſt dicendum in ſeqventi capite.

## Cap. VI.

# De Rotis.

*Rotæ quid & unde. Isidorus refellitur. Orbitæ. Virgilius exponitur.* Τροχὸς. Κύκλος. *Tympanum. Pignorius & Pætus notati. Cardo axis. Rota radiata. Radii.* Κνῆμαι. Κερκίδες. Ὁπλάκνημα κύκλα. *Homerus explicatur contra Eustathium & Scholiasten Pindari.* Ὄπαι, κενὰ, κενόμαλα τροχῶν. *Diaconus exponitur. Nova significatio vocis* πλήμνης. Τόρμος. *Orbile. Varro exponitur contra Turnebum & Scaligerum, simulque corrigitur. Orbis rotarum, curvatura, flexura.* Κύκλος, περιφέρεια. *Scholia Homeri emendantur.* Ἴτυς. *Orbes quomodo inflexi. Plinius exponitur.* Ἄξις. *Hesiodi versio notatur.* Ἅμαξα *pro rota.* Τρισσοίταμον. Κύκλος τροχὸς. Ἄξις *nova significatione. Zetzes exponitur.* Βυμβολαὶ, ἁρμόσεις ἀξίδων. Γλωσσίδια. *Linguæ.* Σῶτραι. Σωτρεύμαλα. *Vieti. Glossæ liberantur à correctione.* Ἰμάντες. Ἐπισώτρα, Κανθὸς. *Canthus. Turnebi locus. Trochus puerorum, rota, rotula. Martialis explicatur & Propertius. Clavis. Increpare aduncа trochi. Orbis. Trochi aduncа quæ. Trochum versare. Argutum æs trochi. Diomedes emendatur. Rota vertitans. Rotæ volumina. Scaliger notatur. Vieti. Orbes.* Ἀετὸν. *Versio Pollucis rejecta.* Πλημνόδετον. Θώραξ. Τέλη τροχῶν. Ἄταρνον. Γάρνον. Γάρκον. Δέστρον.

AXi, de qvo hactenus est dictum, inseruntur rotæ. Sunt autem rotæ orbes circulive, qvi axem & vehiculum cum axe sustinent, motuq; suo ac circumvolutione promovent ad ulteriora. Dictas rotas putant, qvod ruant, id est, cursu præcipiti ferantur. Isidorus: *Rota dicta, quod ruat.* Atqvi tali cursu non semper, ac ne frequenter qvidem utuntur. Itaq; nec amplecti possum, qvod volebat Vossius, qvasi veniant à ῥοθεῖν, qvia signet non tantum strepitum edere, sed etiam cum impetu ferri. Sanè rotæ gradu sæpe lentissimo incedunt, præsertim, cum vehicula sunt gravata onere. Mihi dictæ potius à forma videntur, qvia sunt rotundæ. Rotam sanè pro rotundo usurpari pridem annotarunt viri docti, unde *rota Solis*, ejus circulus. Et in aliis vocabulis lingvarum qvoq; aliarum, qvæ significant orbiculatum qvidpiam vel rotundum, similitudo vocis hujus deprehenditur, qva de re occasione alia. Rotas à Latinis aliqvando qvoq; dici *orbitas*, ignoro, an Asconio credendum. Verba ejus

extant

extant ad Verrinam III. *Orbita duas res significat. Nam orbita & rota ipsa intelligitur, & vestigium rotæ in molli solo.* Saltem sic accipiunt nonnulli illa Virgilii lib. III. Georg.

-- -- *Iuvat ire jugis, qua nulla priorum*
*Castaliam molli divertitur orbita clivo.*

Videturq; juvare Servius, qvando illa sic exponit: *Dispono ire per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam.* Nam *egit orbitam* potest accipi pro egit rotam, egit vehiculum. Sed inclino magis eo, ut *agere orbitam* existimem sic dici, sicut *agere fossam*, vel *agere cuniculos*, pro ducere, imprimere, infodere. Sic locus ille Virgilii huc nihil pertinebit. Neq; alibi recordor orbitam hoc sensu legi. Græcis vulgo est τροχὸς. Philoxenus: *Rota*, τροχὸς. Homero qvoq; κύκλος. Pausanias apud Eustath. Ὅμηρος δὲ τὸν μὲν τροχὸν ὅλον, κύκλον ὀνομάζει. *Homerus rotam totam vocat cyclum.* Homeri locus est in Odyss. Ψ. qvem adducere nil attinet. Idem ex hac causa Odyss. Z. initio εὐκυκλον ἀπήνην appellavit. Scholiastes: Εὔκυκλον, εὔτροχον. Κύκλοι γὰρ οἱ τροχοί. Dicit ipse qvoqve, rotas cyclos appellari. Est & ἄμπυξ rota apud Græcos. Hesychius: Ἄμπυκες, τὰ διασήμαλα, ἢ χαλινοί, ἢ τροχοί, ὅτως Σοφοκλῆς ὀν φιλοκλήτᾳ, διὰ τὸ κυκλοτερὲς. Verba Sophoclis sunt ista:


Πόλε τᾶ Διὸς Ἰξίονα καὶ ἄμπυκα
δρομάδα δέσμιον. -- --

Agit de supplicio Ixionis, qvem fuisse alligatum rotæ, notum. Ergo ἄμπυξ, rota. Sed hoc usurpatum ita per metaphoram, non propriè, qvod Eustathius testatur, nec ab alio, nisi Sophocle, ut de eo laborare longius minimè necesse videatur. Fuerunt autem rotæ apud veteres non ejusdem omnes generis, aliæ simpliciores, elaboratiores aliæ. Simpliciores erant factæ simplicibus ex tabulis, neq; radios habebant ullos. Latini tympana vocabant. Meminit Virgilius Georg. II.

*Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris.*


Malè Servius: *Tympana, tecta vehiculorum*, nec enim plaustra tecta fuere, rustica qvippe, ac oneribus gestandis facta. Rectius Philargirus: *Rotas, ex solidis tabulis factas, tympana appellavit.* Bene autem tympana plaustris tribuit Virgilius, hoc enim genere, nec alio, te-

merè incedebant. Probus ad Virg. I. Georg. v. 163. *Imperiti plaustra ploſtra appellant. Sunt enim vehicula, quorum rotæ non ſunt radiatæ, ſed tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur; nam rotæ circa ejusdem cardinem adhibentur.* Locus memorabilis, qvi nobis iſta tympana deſcribit pluribus. Nam præterqvam, qvod eorum uſum fuiſſe oſtendat in plauſtris, nec habuiſſe radios, docet etiam de axe, qvod non fuerit ab ipſis ſeparabilis, ſed infixus firmiter, ſic, ut una cum iis circumageretur. Non igitur delineatum rectè tympanum à Pignorio in de Servis, pag. m. 87. iſta ſpecie: licet ſic, ſed perinde malè, expreſſerit & Pætus.



Si tympanum in medio axem habuit rotundum, ſicut hic exhibetur, non potuit in eo eſſe firmus. Longè melius, & omnino ſpecie veriſſima, exhibetur ex antiqva tabula marmorea, venationem continente, Tetio in deſcriptione ædium Barbarinarum. In ea videas clariſſimè tympanum cum axe qvadrata, non rotunda, qvod omnino fuit neceſſarium. Proponam ejus effigiem, qvia habet omnia locum hunc explicantia.

Habes




Habes hic primum axem plane qvadratum, qvem circumagi cum rota utiq; neceſſe eſt. Deinde circum axem canthum ferreum, qvo axi jungitur. De cætero tympanum eſt planum, è tribus tabulis conjunctum, & aſſeribus transverſis firmatum. Nec modiolus in eo ullus, qvod notandum. Hoc enim eſt, qvod ajebat Probus, *rotæ adhibentur circa axis cardinem.* Cardo axis ejus eſt extremitas, qvæ hic cardo dicitur, qvoniam cum ea axis ipſa & in axe rota tympanumve vertitur. Circa eam adhibetur rota, qvando ibi firmatur apponiturqve. Atq; tympanis ejusmodi inſtructa ruſtica pleraq; vehicula fuere. Cætera habuere rotas, qvas ad differentiam tympanorum Probus nominavit *radiatas.* Nempe non ex ſolidis fuere tabulis, ſed habuerunt radios. Dicti autem *radii* ſunt baculi modiolo infixi, indeq; procedentes ad abſides. Græci appellarunt κνῆμας. Pollux: Αἱ ἐνηρμοσμέναι τῇ ἄψιδι ῥάβδοι, κνῆμαι. *In apſidem infixi baculi dicuntur cnemæ.* Heſychius ſic habet: Κνῆμαι, τὰ διηρεισμένα ξύλα τῷ χοινικίδα τοῦ τροχοῦ, αἱ κερκίδες, αἱ τῶν τροχῶν ῥάβδοι. *Cnemæ infixa ligna in modiolum rotæ, radii, rotarum baculi.* Qvibus verbis diſcimus, appellaſſe etiam κερκίδας. Numerus eorum antiqviſſimus in rotis qvaternarius fuiſſe videtur. Ixionis profectò rotam Pyndarus in Pythiis Od. 2. facit talem. Qvanqvam Scholiaſtes factum putet, ut re-

spondeat is radiorum numerus membris rotæ illigatis, id est, brachiis duobus & duobus cruribus. Vulgo enim habuisse plures, nempe sex. Κνήμη, inqvit, ἐστὶν ἡ τοῦ τροχοῦ ῥάβδος, ἡ διήκουσα ἀπὸ τῆς χοινικίδος ἐπὶ τὸν κύκλον. Οἱ μὲν ἁρμάτειοι τροχοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἑξάκνημοί εἰσιν. Οἱ δὲ τῶν Θεῶν, διὰ ὑπερβολὴν κόσμου φασὶ τοὺς Ὁμήρῳ ὀκτάκνημοι λέγονται. *Cneme seu radius est rotæ baculus, procedens à modiolo ad orbem. Vehicularium autem rotæ hominum habent radios sex. Deorum verò decoris quadam excellentia ab Homero dicuntur octoradiatæ.* Homeri locus, qvē respexit, legitur Il. E.

Ἦβη δ' ἀμφ' ὀχέεσσι θοῶς βάλε καμπύλα κύκλα
Χάλκεα, ὀκτάκνημα, σιδηρέῳ ἄξονι ἀμφίς.

Hic ὀκτάκνημα κύκλα sunt rotæ cum radiis octo. Nam κύκλα sunt κύκλοι. Hesychius: Κύκλα, οἱ κύκλοι, τροχοί. Ὀκτάκνημα verò, ὀκτὼ κνήμας ἔχοντα, sicut idem explicat. Eustathius de his ita: Ὀκτάκνημα, τὰ ὀκτάραβδα διὰ πλείω στερρότητα. Κνῆμαι γὰρ νῦν, αἱ ἀπὸ τῶν ἔσω χοινικίδων ἕως τῆς ἔξω περιφερίας ῥάβδοι. Οὕτω ῥηθεῖσαι πρὸς ὁμοιότητα ζωικῆς κνήμης ὑπανεχούσης τὰ ἐπικείμενα. *Octacnema, octo cum baculis propter majorem stabilitatem. Cnemæ namque hic baculi, qui ab interiori modiolo usque ad circumferentiam exteriorem procedunt, ita dictæ ad similitudinem tibiæ, in animali sustentantis ea, quæ ipsi incumbunt.* Putat Eustathius, numerum hunc radiorum adhibitum firmitatis causa. Et profectò, qvo in rota radii sunt plures, hoc ut firmior sit, necesse est. Verum tamen neq; hoc opinor attendisse, sed potius numerum apsidum. His enim vix immitti possunt pauciores radii, duobus. Prout itaq; apsides in rota plures sunt, hoc radii postulantur plures. Plures autem apsides in rota magna, qvam in parva. Jam cum olim rotis uterentur parvis, atq; tribus, ut opinor, tantum cum apsidibus, sex radiis contenti esse poterant. Dii autem cum haberent rotas majores, (qvippe qvorum omnia humanis esse debent majora speciosioraq;) & sic apsides in iis qvatuor, radios simul reqvirebant octo. Ut non decoris tantum caussa, qvod putabat Scholiastes Pindari, sed & ob necessitatem hoc sic factum fuerit. Qvinimo, cum deinde rotæ pleræq; apsides haberent qvatuor, ut post dicam, mansisse in illis numerus iste radiorum octo videtur. Ita habes rotam cum octo radiis in vehiculo qvadrigarum apud Philippum Rubenium lib. I. Ant. cap. 30. & in gemma

gemma Augustæa apud Albertum Rubenium. Cum simili numero aliqvam in carpento Agrippinæ exhibet nummus antiqvus, qvi est penes me, expressus alias in nummis Ducis Croyiaci tab. 18. Et aliam in vehiculo Isidis apud Boissardum P. III. pag. 47. Qvin imo communiter vehicula omnia in columna Trajani cum ejusmodi rotis exprimuntur. Neq; scio, annon ille qvoq; auctus postea sit numerus. Certè in auctore veteri de rebus bellicis Currodrepanus rotas habet cum radiis decem, vice tertia. Similiter ibi videas in Balista qvadriroti. Sidonius tribuere ipsis radios duodecim videtur Carm. XXIII. v. 410. uti ad hunc modum loqvitur:

*Intrat turba rotas, quaterque terni*
*Arctantur radii, repleta donec*
*Intervalla crepent.* — —

Agit ibi de certamine curruli & qvadrigis, qvas ostendimus, habuisse temporibus Augusti rotas cum radiis octo. Non igitur vero simile, diminutum postea illum numerum, & infirmiores rotas illas factas, atq; adeò duodecim hos radios Sidonii de rotis duabus exponendos esse. Potius existimo ad singulas pertinuisse. Atq; hinc jam id est ab his radiis *rotæ radiatæ*, sicut supra diximus Probum appellare. *Sunt vehicula*, inqvit, de plaustris agens, *quorum rotæ non sunt radiatæ*. Neq; ipse solus ita nominavit, sed & Varro lib. III. de R. R. cap. 5. qvando ait: *Pro mensa sustinet rotam radiatam*. Græci ipsas σκυταλωτὰς nuncupavere. Auctor Etymologici: Σκυταλωτὰς τροχὰς, ῥαβδωτὰς. Ἡ σκυτάλη παρ' Ἀττικοῖς βακτηρίαν σημαίνει. Videntur ex hoc loco nominasse qvoqve ῥαβδωτὰς. Nempe passim κνήμας sive radios ῥάβδους exponunt in superioribus. Hesychius: Κνῆμαι, αἱ τῶν τροχῶν ῥάβδοι. Scholiastes Pindari: Κνήμη, ἡ τοῦ τροχοῦ ῥάβδος. Atq; ita alii. Cæterum hos radios jam ante indicavimus infixos in medio qvidem ligno tereti ac cavo, qvod Græci vocant χοινικίδα. Ita enim vidimus ex Hesychio, Eustathio & aliis. Hesychio non tantum χοινικὶς est, verum & χοινίκη. Χοινίκη, ait, τοῦ τροχοῦ ἐν ᾧ στρέφεται ὁ ἄξων. *Chœnice est rotæ illud, in qvo vertitur axis*. Non satis commodè sic descripsit. Axis certè non vertitur in chœnice, sed vice versâ chœnice in axe. Debuisset itaqve, ἡ στρέφεται ἐν τῷ ἄξονι. Sed hæc ita solent excidere. Idem auctor

auctor est, vocari qvoq; χνόαι. Verba ejus: Χνόαι, αἱ χοινικίδες, αἱ τοῦ ἄξονος σύριγγες. Malè viri docti locum istum sic accipiunt, qvasi sermo de re una sit eademqve. *Nominat sic*, inqviunt, *modiolos fistulasque, quibus axis inditur.* At σύριγγες τοῦ ἄξονος non significant *fistulas, quibus axis inditur*, verum *axis* ipsius *syringas*, de qvibus dixi præcedenti capite. Ergo vult hanc vocem denotare duo, & syringas illas, & chœnicidas. Latinis sunt *modioli*. Glossarium Græco-Latinum: Χοινικὶς ἡ τοῦ τροχοῦ. *Radia. Modiolus.* Bene *modiolus*, sed qvid illud *radia?* Ego arbitror fuisse primum *Radia, Modiolus*, ut significaretur compendio scripturæ modiolum intelligendum *radiorum*, id est, eum, in qvo fixi sint radii. Nempe plura modiolus significat, ut vas aqvarium, poculum, & id genus. Itaq; ne qvis erraret, illud de radiis adjiciendum videbatur. Cæterum modiolus à modio est dictus, cujus speciem utcunq; referebat. Erat enim instar ejus rotundus, atq; intus cavus, planeq; perforatus. Foramen istud Græci πλήμνην appellabant. Pollux: Αὐτὸ δὲ τὸ περιειλημένον τῷ ἄξονι, πλήμνη. *Qvod circa ipsum axem volvitur, plemne.* Antecedit apud ipsum: Τὸ κενὸν τοῦ τροχοῦ τὸ ἐναρμοζόμενον τῷ ἄξονι, σύριγξ. *Cavum rotæ, qvod inseritur axi, syrinx.* Unde patet, non modiolum integrum vocasse πλήμνην, sed illius foramen. Modiolus integer ei σύριγξ est, πλήμνη ejus foramen. Atq; sic Hesychius: πλήμνη ἡ χοινικὶς τοῦ τροχοῦ ἢ τῆς σύριγγος, ἀπὸ τοῦ πληροῦσθαι ὑπὸ τοῦ ἄξονος. *Plemne est chœnicis rotæ vel syringis, ex eo, qvod ab axe impleatur.* Facit clarissimè πλήμνην partem τῆς σύριγγος, & qvidem eam, qvam expleat axis. Explet autem foramen, qvando illi immittitur. Ergo πλήμνη foramen, & foramen σύριγγος, qvæ iccirco erit corpus totum. Neq; aliter accipiendus est Hesychius, qvando ait, συρίγγιον, τροχοῦ κένωμα; idem enim est συρίγγιον & σύριγξ. Et qvod ipse ait κένωμα τροχοῦ, Pollux τὸ κενὸν τοῦ τροχοῦ appellavit. Phavorinus optimè: πλῆμνα, τὰ μέσα τῶν συρίγγων, εἰς ἃς ἐντίθενται τὰ τοῦ ἄξονος ἄκρα. *Plemna sunt syringum medietates, in qvas immittuntur axis extrema.* Facit syringes corpora tota, plemna verò media eorum, id est, foramina & cava. Qvod notandum, qvia sunt, qvi σύριγγας accipiunt de ipsis foraminibus, & easdem faciunt cum πλήμναις. Eustathius ad Iliad. E. Εἰσὶ δὲ πλῆμναι, αἱ τῶν τροχῶν χοινικίδες, ἤτοι σύριγ-

σύριγγες, ὅ ἐστιν ὀπαὶ, ἃς τινες καὶ χνόας φασὶ, ὡς δηλοῖ καὶ Σοφοκλῆς. Ἦγων τὰ μέσα τῶν εἰρημένων συρίγγων, εἰς ἃς ἐνλίθενται τὰ τοῦ ἄξονος ἄκρα, πλῆμναι καλούμεναι διὰ τὸ πλήσεσθαι ἢ πληροῦσθαι ὑπὸ τοῦ ἄξονος. *Sunt verò plemnæ rotarũ chœnicides vel syringes, id est, foramina, quæ nonnulli quoque chnoas nuncupant, ut & Sophocles ostendit. Vel medietates dictarum syringum, in quas immittuntur axis extrema, plemnæ dictæ, quod impleantur ab axe.* Qvando ait, ὅ ἐστιν ὀπαὶ, non sic accipiendum est, qvasi nuda intelligat foramina. Ita enim seqvi non posset, ἦγων μέσα τῶν συρίγγων. Neq; enim μέσα συρίγγων sive syringum medietates aliud, qvam earum foramina. Sed ὀπαὶ, qvæ Polluci κενὰ, Hesychio κενόμαλα τροχῶν, id est, ligna tota perforata. Nempe πλῆμνας ostendit aliqvando significare non foramina tantum, verum ligna tota perforata. Et hoc est, qvod Galenus ait com. 2. in περὶ ἀγμῶν, τὸν καλούμενον χοινικίδα τοῦ τροχοῦ, πλήμνην ὑπὸ τῶν Ἰώνων λέγεσθαι. *Chœnicida vocatam rotæ, ab Ionibus appellari plemnen.* Dicit tamen amplius Eustathius, vulgo esse τὰ μέσα συρίγγων, vel, qvod idem est, χοινικίδων. Qvomodo fortassis est accipiendus & Diaconus ad Hesiodi Op. ll. ubi ait: πλήμνη ἡ τοῦ τροχοῦ τρύπη, ἡ πληρουμένη ὑπὸ τῶν ἀξονίων, ἢ πλήμναι τὰ αὐτὰ ἀκροξόνια. *Plemne foramen rotæ, quod impletur ab axe, vel plemnæ ipsa acroxonia.* Nota, πλήμνας qvoq; accipi de ἀκροξονίαις, id est, eis axis partibus, qvæ modiolis immittuntur. Neq; enim alibi legisse memini hanc explicationem, præterqvam apud unicum Eustathium, qvi habet ita ad Il. Φ. τὸ ἄκρον τοῦ ἄξονος καὶ τὸ κῦρ τὸν τροχὸν, τοῦτο ἐστὶ πλήμνη τροχοῦ. *Summitas vel extremitas axis, quæ est in rota, ea plemne rotæ dicitur.* Sed de πλήμνῃ satis. Ait Hesychius, vocasse qvoq; τόρμον. Verba ejus: Τόρμος, ἡ πλήμνη τοῦ τροχοῦ, εἰς ἣν ὁ ἄξων. *Tormus est plemne rotæ, in quem axem inserunt.* Fortassis à τορέω, qvod sit terebratum, vel axem terat. Ad eundem ferè modum Eustathius Iliad. E. nisi qvod pro τόρμος scribat τόρμη. Verba ejus: Τόρμη, ἡ πλήμνη, εἰς ἣν ὁ ἄξων ἐνήρμοσται. *Torme, plemne, in qvam axis immittitur.* Sicut autem radii ab una parte infixi erant modiolo, sic ab altera circulo modiolum exterius ambiente. Illum Varro videtur appellasse *orbile.* Verba ejus extant lib. III. de R. R. cap. 5. *In insula est columella, in qua intus axis, qui pro mensa sustinet rotam radiatam, ita, ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit, ut tympanum, in la-*

*titudinem duos pedes & semipedem, in altitudinem palmum.* Turnebus ad hunc locum lib. XXI. cap. 23. *Est orbile rotunditas ipsius orbis, qui acutior est in fine, hic contra tabulam tympano similem habet.* At verò longè aliter exponit Scaliger. *Nihil,* inqvit, *minus orbile est, quam id, quod vult doctissimus Turnebus. Nam procul dubio orbile vocat, quam Græci* σύριγγα, *& Poëtæ* χόανον. *Id erat axis capitulum seu cardo, quod in modioli foramen conveniebat. Pro eo tabula cava ad modum tympani erat in summo impacta, quæ exciperet modium rotæ, ita, ut modius ipse in ejus cavum iniret, ut in acetabulum.* Postremò verba ita legit: *Ita, ut ad extremum, ubi orbile solet esse, acetabula cavata sit, ut tympanum, in latitudinem duo pedes.* Dicit, orbile partem illam esse axis, qvæ modiolo immittitur. Sed non satisfacit. Nam postulare aliud verba, *ubi orbile SOLET esse,* videntur. Nempe ostendunt, alias qvidem, & in rotis cæteris ibi esse consveviſſe, at in hac illius loco aliud fuisse qvidpiam. Jam si hic non fuit orbile, qvomodo potest stare, qvod præcedit apud Varronem: *Intus axis, qui sustinet rotam radiatam:* Si orbile, qvod vult Scaliger, pars axis fuit, qvæ modiolo immittebatur? Axis absq; orbili Scaligeriano sustinere rotam non potest. Neq; tamen probo, qvod Turnebus habet de acumine in fine. Nam revera verba illa sunt corrupta. Puto autem ita corrigenda esse: *Ad extremum, ubi orbile solet esse, arcus cum tabula cavata sit.* Hoc enim Varro dicit, non fuisse in rota illa orbile, sicut in rotis cæteris, verum arcum, parti radiorum affixum habuisse, cum tabula subpacta, supernè aperto foramine, ut imponi turdis cibus potusq; posset. Itaq; mox sequitur apud dictum Varronem: *Aqua calida & frigida ex orbi ligneo mensaque, quam dixi in primis radiis esse, epitoniis versis ad unumquemque factum, sic, ut fluat in convivam.* Orbem ligneum mensamq; hic appellat, qvam paulò ante tabulam cavatam, ut tympanum. Hanc verbis expressissimis fuisse ait *in primis radiis,* non in rotæ modiolo, qvod Scaliger putabat. Mutat qvidem in his verbis plurima Scaliger, ut opinionem suam tueatur. Verum frustra, qvod liqvebit omnia diligentius expendenti. Ait, aqvam fluxisse ex radiis. Nihil tale Varro, mensam in primis radiis ponit. Ubi primos radios intelligit summos, id est, extremitates eorum,

eorum, extrema ejus capita, qvæ alias orbili solent immitti. Omnino enim per orbile circulum eum intelligit, de qvo Turnebus, & nos ab initio locuti sumus. Curtio est *orbis rotarum*, qvomodo paulò ante Varro *orbem ligneum* ad similitudinem hujus appellavit. Verba leguntur lib. IV. cap. 9. *Aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant.* Nominatim vocat *rotarum* orbes, ut de nulla alia vehiculi parte, ac ne axis qvidem possit accipi. Atq; ita qvoq; Isidorus: *Orbita*, inqvit, *vestigium carri, ab orbe rotæ dicta.* Nemo non per *orbem rotæ* hic intelligit extremum circulum, qvippe qvi revera solusq; vestigium id facit. Virgilius similiter III. Georg.

-- -- *Et junctos temo trahat æreus orbes.*

Item aliqvanto post:

-- -- *Ferratos sustinet orbes.*

Ubi *ferratos* appellavit propter canthos. Ovidius vocavit *curvaturam rotæ*, lib. II. Met. fab. 1.

-- -- *Temo aureus, aurea summæ*
*Curvatura rotæ.* -- -- --

Pro curvatura Prudentius *flexuram* posuit in Psychomachia. Inspiciunt, ait, ubi pugnam Luxuriæ & Sobrietatis describit,

-- -- -- -- *Radiorum*
*Argento albentem seriem, quam summa rotarum*
*Flexura electri pallentis continet orbe.*

Græcis ad eundem ferè modum est κύκλος. Scholiastes certè Pindari in verbis antea adductis, ubi de radio: Ῥάβδος δὶ ἧκεν ἀπὸ τῆς χθονικῆς ἐπὶ τὸν κύκλον. Hic plane κύκλος, qvod Curtio est *orbis*. Περιφέρειαν appellavit Eustathius, similiter in verbis antea citatis. Atq; sic & Dydimus, seu alius qvicunq; Homeri Scholiastes, ad Il. E. Ἰτυς, ἡ περιφέρεια τοῦ ὀχήματος. Ἀφίδες δὲ, ἐξ ὧν ἡ περιφέρεια γίνεται τοῦ τροχοῦ. Ita habet editio vulgata, verum mutilatè, ut opinor. Ecqvid enim περιφέρεια τοῦ ὀχήματος? Cum mox loqvatur de apsidibus, & earum περιφέρειαν ostendat à se hic intelligi. Puto plane scriptum fuisse primò, τοῦ ὀχήματος τροχοῦ. Volebat enim auctor horum, qvisqvis est, verborum ostendere, sibi de τροχῷ hujusmodi, non alio sermonem esse. Cæterum eodem loco discimus, Homerum nominasse ἴτυν. Verba Homeri:

Τῶν ἥτοι χρυσέη ἴτυς ἄφθιτος. —

*Harum* (rotarum) *aurea est curvatura incorrupta.* Et sic Eustathius: Τὴν ἴτυν, ἤγουν τὴν περιφέρειαν. Idem ante Il. Δ. Ἴτυν δὲ λέγει τὴν περιφέρειαν, ἀπὸ τοῦ ἰέναι, ὅ ἐστι περιιέναι καὶ περιάγεσθαι. *Ityn vocat peripheriam vel circumorbemve, ab eundo, id est, circumeundo circumvolvendoque.* Habet his similia etiam Hesychius. Solebant autem veteres hos orbes arte singulari sic curvare. Qva de re Homerus dicto Iliadis loco:

Τὴν μὲν θ' ἁρμαλοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἐξέταμ' ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικάλλεϊ δίφρῳ.

Loqvitur de arbore populo, *eam*, ait, *carpentarius quidem excidit ferro micanti, ut orbem rotæ flectendo conficiat pulchro currui.* Plutarchus in Pædia: Οἱ ἁρμάτειοι τροχοὶ πόνῳ καμφθέντες, ὅδ' ἂν γένοιντο, πῶς ἐξ ἀρχῆς δύναντο ἂν λαβεῖν εὐθυωρίαν. *Rotas vehiculorum magno labore curvatas nullo possis conatu in pristinam restituere rectitudinem.* Vides plane, ad orbes illos non flexa sumsisse ligna, aut securi ad figuram orbis succisa accommodasse, verum arte laboreq; inflexisse. Unde intelligimus mentem Plinii lib. XVI. cap. 43. qvando ait de fraxino arbore: *Obedientissima quoque in opere fraxinus, eademque corylo hastis melior, cornu levior, sorbis lentior. Gallica verò etiam ad currus flexibilis.* Non aliam hic flexibilitatem intelligit, qvam qva fraxinus curvatur flectiturq; in rotas. Fiebat autem orbis non uno, verum pluribus ex lignis, qvorum qvodlibet à Græcis dicebatur ἄψις. Propterea Scholiastes Homeri paulò ante: Ἀψίδες δέ, ἐξ ὧν ἡ περιφέρεια γίνεται τοῦ τροχοῦ. *Apsides sunt, ex quibus peripheria, id est, orbis rotæ, conficitur.* Peripheriæ sive orbi uni plures tribuit apsides. Sed & Hesiodus ex hac causa facit trium solummodo spithamarum, lib. II. Oper.


Τρισπίθαμον δ' ἄψιν τάμνειν δεκαδώρῳ ἁμάξῃ.

Vertunt: *Trium palmorum curvaturam rotæ secato decem palmorum currui*, qvod prodigiosum est. Qvis enim currus ille decem palmorum? Ἅμαξα hic Hesiodo est *rota.* Proclus ad hæc verba: Σύγκειται ἡ ἅμαξα, τελεῖται ὁ τροχὸς, ἐκ τεσσάρων ἀψίδων. Sed nec alterum est rectum. Ἄψις non est curvatura rotæ, sed illius tantum pars una. Plane sicut alias qvoq; partes circuli sunt apsides. Hero Mj. Bibliothecæ nostræ in Defin. Geom. Ἄψίς ἐστι τὸ ἔλαττον ἡμικυκλίου. *Apsis est minor pars semicir-*

*micirculi.* Proclus ad Eucl. II. Τὰ ἡμικύκλια καὶ τὰ τρήμαλα, καὶ αἱ ἀψῖδες, αἵ εἰσιν ἡμικυκλίων ἐλάσσονες. *Semicirculi, & sectiones, & apsides, quæ sunt semicirculo minores.* Deniq; nec τρισπίθαμον trium est palmorum, sed trium spithamarum. Spithama palmos habet tres, ut τρισπίθαμον sit palmorum novem. Tzetzes: Ἡ σπιθαμὴ ἔχει δ' σπιθαμὰς, ἤγουν παλαισ τὰς τρεῖς. Ὁ δὲ παλαισ ἐστι δακτύλων δ'. *Spithama habet palmos tres, palmus autem constat digitis quatuor.* Itaq; Hesiodi versus ita erit exponendus: *Trium spithamarum apsidem secato decem palmorum rotæ.* Decem illi palmi numerandi sunt secundum rotæ superficiem seu latitudinem. Tzetzes: τὴν μέσην εὐθεῖαν τροχοῦ, νῦν δεκάδωρον ἅμαξαν φησί. *Mediam superficiem rotæ vocat decem palmis constans.* Si media rotæ superficies decem est palmorum, integra erit ejus circumferentia palmorum circiter triginta, unde sequitur, trium spithamarum apsides seu palmorum novem non de circumferentia integra, verum partibus illius tantum esse capiendas. Apsides igitur non integri sunt circuli, quod dicebamus, sed illius partes. Tamen Hesychius: Ἴτυς ἡ ἐσχάτη ἀψὶς ἢ περιφέρεια. *Itys apsis extrema vel circumferentia.* Facit rem eandem ἄψιδα & περιφέρειαν. Sic Pausanias apud Eustathium ad Il. E. Verba Eustathii: Φησὶ γοῦν καὶ Παυσανίας, ὅτι ἀψὶς ξύλινος κύκλος τροχοῦ. *Dicit Pausanias, quod apsis circulus ligneus sit rotæ.* Circulum vel κύκλον vocat, quod περιφέρειαν alii, seu orbem integrum, ut supra demonstratum est. Quemadmodum & Tzetzes ad Hesiodum: Πᾶσαν περιφέρειαν τοῦ ὅλου τροχοῦ, ἤγουν τὸν κύκλον. Et paulò post: Πᾶσαν περιφέρειαν εἶναι τοῦ τροχικοῦ κύκλου. Ubi τροχικὸν κύκλον nominat cum addito, ad differentiam aliorum. Porro κύκλον hunc Pausanias ἀψῖδα nominat. Unde sequitur eandem esse aliquando ἀψῖδα & κύκλον seu περιφέρειαν. Hesychius iterum: Ἀψῖδες, τὰ κύκλα τῶν τροχῶν, αἱ περιφέρειαι. Non est dubium, quin orbes integros intelligat. Sed verius frequentiusq; tamen ἀψὶς pars est orbis ejus, sicut ab initio ostendi. Habebant autem rotæ vulgo partes sive apsides istiusmodi quatuor. Tzetzes: Ἐκ τεσσάρων ἀψίδων συνέθεσθαι ὁ τρόχος τῆς ἁμάξης. *Ex quatuor apsidibus conjungitur rota vehiculi.* Proclus in verbis supra etiam adductis: Συγκεῖται τροχὸς ἐκ τεσσάρων ἀψίδων. *Conjungitur rota ex quatuor apsidibus.* Hinc difficultas oritur in verbis antea ex Hesio-

do adductis. Nam si qvatuor sunt apsides in rota, qvælibet verò spithamarum trium, seu, qvod idem est, palmorum novem, necesse est, ut media latitudo rotæ sit palmorum duodecim. Nam, ut rectè ait Tzetzes, πάσα περιφέρεια κύκλου, τριπλασίων ἐστὶ τῆς οἰκείας διαμέτρου εὐθείας, πρὸς τὰς ἐκτὸς ἐπιφανείας τοῦ κύκλου. *Omnis circumferentia circuli triplo major est diametro illius, quoad exteriorem circuli formam.* At Hesiodus mediam illam latitudinem δεκάδωρον facit, hoc est, palmorum decem, non duodecim. Sed occurrit Tzetzes, ostenditq; in describenda magnitudine apsidum respexisse ad exteriorem magnitudinem circuli, in describenda verò magnitudine latitudinis interiorem. Ita sanè censeo voluisse verbis istis: Αἱ μὲν δέκα δῶραὶ τῆς εὐθείας ἐν τῇ τοῦ κύκλου εἰσὶν ἔνδοθεν ἐπιφανείᾳ φαινόμεναι, περὶ ὧν καὶ διαλαμβάνει. Αἱ γὰρ δύο δῶραὶ εἰς τὰς συμβολὰς συνεκρίθησαν, τὰς ἀπὸ τῆς ἐντὸς ἐπιφανείας, μέχρι τῆς ἐκτὸς, ἐκαλέρωθεν τοῦ τροχοῦ μία δῶρά. Sensus est: *Decem palmi superficiei sunt in circuli interiori facie evidentes, de quibus etiam accipitur. Nam palmos duos in commissuras habent accommodatas, quæ ab interiori facie ad exteriorem, ab utraque rotæ parte palmum dimidium.* Interiorem circuli faciem expono, qvod Tzetzes vocat ἐπιφανείαν τοῦ κύκλου ἔνδοθεν, & intelligo curvaturæ sive orbis partem interiorem, qvæ obversa est modiolo, & radios infixos sibi habet; sicut contra πρὸς ἐκτὸς ἐπιφανείαν partem oppositam, qvæ ferro solet muniri. Hujus ambitus semper major est, qvam alterius, qvoniam distat longius ab axe, id est, centro. Hinc est, qvod alteram, id est, interiorem, faciat palmis duobus minorem. Dicit autem hos absumi per συμβολὰς. Ubi συμβολὰς accipio de commissuris & conjunctionibus apsidum inter sese. Proclus appellavit ἁρμόσεις ad eundem Hesiodi locum. Δῆλον ἔν ὅτι τὰς ς' παλαισὰς ἀναλώσαι εἰς τὰ λεγόμενα γλωσσίδια ἑκάστης ἁψίδος τῆς ἁρμόσεως τῆς εἰς ἀλλήλας. *Apparet igitur, quod sex palmi accipiantur ad lingulas, quas appellant, cujuslibet apsidis commissionis unius in altera.* Ἡ ἁρμοσης ἁψὶς est apsidis unius conjunctio cum altera. Sed qvid γλωσσίδια, sic speciatim in hoc opere vocata, sicut Proclus docet. Nil opinor aliud, qvam clavi lignei, qvi à capitibus apsidum figuntur, ut eorum interventu altera alteram contineat. *Lingulas* haud dubiè vocarunt etiam Latini. Hinc enim *tubi lingulati* apud Vitruvium lib. VIII.

VIII. cap. 7. *Hi tubuli ex una parte sint lingulati, ut alius in alium inire convenireque possit.* Vides plane tubulos lingulatos, qvos Græci dicerent τὰς σὺν γλωσσιδίοις. Unde liqvet, frustra esse viros doctos, qvi perinde putant, sive *lingulati*, sive *ligulati* apud Vitruvium scribamus. Nam *ligulati* est à *ligulis*, qvæ nil faciunt ad γλωσσίδια, qvorum imitatione Vitruvius *lingulas* & *lingulati* posuit. Sed en tibi apsidem cum lingula, qvæ alterius foramini debet immitti.




a. Est ἁψὶς, apsis. b. γλωσσίδιον, lingula. c. Ἡ ἐκτὸς ἐπιφάνεια, facies exterior. d. Ἡ ἐντὸς ἐπιφάνεια, facies interior. e. Radii. Apsides vocantur qvoq; σῶτραι. Pollux: Ἡ δὲ ἁψὶς, καὶ σῶτρα καλεῖται. *Apsis dicitur etiam sostra.* Σωτρεύματα pro eo posuit Hesychius. Latinis sunt *vieti*, si audimus Augustinum. Verba ejus sunt lib. de Par. Dial. *Via dicitur à flexu, quia flexum velut incurvum vietum veteres dixerunt: unde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.* Retinenda est hæc lectio, qvam docti viri alias sollicitant, si modò vieti sunt à vietum. *Vietum* enim est à *vieo*, id est, flecto. Nam qvod in Glossis Stephani καν θὸς τροχὸς, *urus* legitur, huc nihil facit, nec in *vitus* debet immutari, partim, qvoniam à *vieo* non est *vitus*, partim, qvoniam ibi non de *ligno* agitur, ut expressè Augustinus loqvitur, verum *cantho*, qvo lignum id ambitur. Qvicqvid ergo sit de *uro*, frustra *vitus* hoc in loco legi videtur. Sanè si à via esset, *vitus* esset legendum. Verum hoc non dicit Augustinus. *Vietos* scribit, eosq; vult esse à *vieto*, hoc à *vieo*. Vieo verò demum à *via*. Atq; ista qvidem ligna sunt, qvibus rota componitur. Solebant autem ea variis muniri ferramentis etiam

etiam apud veteres, ne attererentur facilè à crebra circumactione & labore cætero. Ac extremis qvidem circulis inducebantur circuli alii ex ferro, qvi Græcis sunt ἱμάντες. Hesychius: Ἱμάντες, λῶροι, καὶ τὰ κύκλῳ τῶν τροχῶν σιδήρια. *Himantes sunt lora & ferramenta circum rotas.* Nec non ἐπίσωτρα. Pollux: Τῶν δ' περιειλημένων πρὸ ἄξονι τροχῶν τὸ πρὸς ταῖς ἁψῖσι σιδηροῦν, ἐπίσωτρον. *Rotarum porro circa axim circumvolutarum ferrum circa apsides, episotron.* Hesychius ἐπίσσωτρα, cum σ duplici, usurpat. Ἐπίσσωτρα, τὰ ἐπικείμενα τοῖς τροχοῖς σιδήρια ὅπῃ πρὸς γῆν ζοάμενα. *Epissotra, incumbentia rotis ferramenta, eas integras servantia super terram.* Atq; ita nominavit etiam Homerus Il. E. cujus Scholiastes vetus verbis pluribus: Ἐπίσωτρα τὰ ἐπάνω τῶν τροχῶν σιδηρᾶ, ἢ χαλκᾶ, ἃ καὶ κανθοὶ καλοῦνται. Ὁ ἔξωθεν τὸν τροχὸν καλέχων σίδηρος, οἱ σιδηροῖ, ἢ χαλκοῖ κύκλοι τῶν τροχῶν. *Episotra sunt in summo rotarum ferramenta vel æramenta, quæ & canthi appellantur. Ferrum, quod exterius rotam continet. Ferrei velærei circuli rotarum.* Rectè Scholiastes dicit, alias & κανθούς, id est, *canthos*, appellari. Suidas: Ἐπίσσωτρα, οἱ κανθοὶ, τὰ ἐπάνω τῶν τροχῶν σιδήρα. *Epissotra, canthi, ferramenta in summo rotarum.* At Qvintilianus vocem hanc pro Græca non agnoscit, verum Afra vel Hispana. Verba ejus extant lib. I. cap. 5. Inst. *Barbarismum pluribus modis accipimus, unum gente, quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotæ vinciuntur, dici solet canthus.* Vocem canthus facit Afram vel Hispanam. Et profectò apud Græcum veterem haud facilè invenias. Casaubonus in Commentario ad Persium: *Neque nos sanè apud ullum è veteribus Græcis id verbi meminimus legere. Etsi Grammatici Græci utuntur, sed tanquam petito è vulgi sermone.* Contra tamen Turnebus ad Qvintiliani locum: *Videtur innuere Fabius, canthus esse dictionem Hispanicam. Hac tamen Homerus in Iliade est usus.* Sed vellemus demonstrasse notis verba Homeri locumqve, ubi posuit pro ferro hujuscemodi. Nunc diu frustraq; qværimus, ac ne aliis qvidem annotatum reperimus. Interim ex illo sive Græco seu Hispano κανθὸς Persius primus suum formavit *canthus*, qvod propterea Qvintilianus perstrinxit. *Quanquam*, inqvit post superius adducta, *eo, tanquam recepto, utitur Persius.* Persii locus est in Sat. V.

Quamvis

-- -- *Quamvis temone sub uno*
*Vertentem sese frustra sectabere canthum.*

Persium secutus est Martialis lib. XIV. in apophoretis, tit. *trochus:*

*Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.*


Assimilat canthum trocho puerorum. Fuit autem trochus circulus magnus ferreus, qvem pueri ludenter rotæ instar circumagebant. Itaq; Latini qvoq; appellarunt *rotam*, sicut Græci, qvod est idem, τροχὸν. Præcedit enim apud Martialem proximo versu: *Inducenda rota est.* Ubi rotam aliam intelligit nullam, qvam qvæ eidem trochus mox vocatur. Plauto *rotula* videtur esse in Persa Act. III. scen. 3. -- -- -- *Citius jam à foro argentarii*
*Abeunt, quam in cursu rotula circumvertitur.*

Scilicet de ludo puerili qvia sermo est, diminutius uti maluit, usurus simplici, si de vera & vehiculari voluisset loqvi. Hanc rotulam non explicant satis viri docti. Dicunt ansa apprehensam in longum mitti consveviſſe, ut volutaretur cum strepentibus annulis. Ansam illam Propertium appellasse *clavem.* Et leguntur verba Propertii lib. III. el. 13.

*Quum pila veloci fallit per brachia jactu,*
*Increpat & versi clavis adunca trochi.*

Sed hic nil Propertius de ista trochi missione in longum. Clavem dicit increpare trochi versi adunca. Ubi nihil aliud est *increpare*, qvam efficere, ut qvid strepitum vel sonum edat. *Adunca* verò *trochi* sunt annuli ferrei, per trochum dispositi, qvi, commoti per trochi circumactionem, strepitum edebant. Unde Martialis lib. XIV. ep. 154. *Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?*
*Cedat ut argutis obvia turba trochis.*

*Orbem* Martialis vocat hic, qvod in superiori loco *rotam*, qvod notandum. Vel, adunca illa potius sunt denticuli mobiles, circulis sive annulis adjungi soliti, strepitus majoris gratia. Exhibuit in trocho veterum Hieronymus Mercurialis lib. III. Art. Gym. cap. 8. cujus etiam hic imaginem subjicio:




Hic *a* sunt illa ipsa Propertii *adunca trochi*, sic dicta, propter capita utrinq; leviter inflexa, ne possent foraminibus, in qvibus sursum deorsumq; movebantur, facilè excidere. Cæterum hæc adunca Propertius increpare ait clavem, qvem nos intelligimus non ansam, qva apprehensus trochus mittitur, sed tenetur, atq; circumvolvitur. Volvi enim, non emitti consveviſſe docet ipse Persius, qvando vocat adunca *trochi* non *missi*, verum *versi*. Hæc igitur adunca increpat clavis, dum trochum vertit, hoc est, rotæ instar crebrò volvit. Qvod fiebat positis decussatim funiculis duobus in trocho, qvi facerent instar radiorum qvatuor, & ubi se in medio tangunt, firmata clave, qvæ axis loco erat, teneriq; manu pueri solebat, ut, eo procurrente, rota sive trochus circa clavem circumvolveretur. Qvale qvid & hodie vulgatum esse per Germaniam consvevit. Sanè si ejectus trochus fuisset, qvod existimarunt viri docti, frustra dixisset Martialis, annulos istos sonoros in eo adhibitos, ut turba obvia illi cederet. Poterat enim ejici, ubi turba esset nulla. Et qvomodo turba *obvia* trocho, qvi ejicitur uno in loco? Nam, ut ejiciatur

tur locis pluribus diversisqve, non necesse est. At qvando cum trocho currunt, utiq; currentibus passim obvia est turba, qvæ isto circulorum strepitu submovetur. Circulos sive annulos expressos habes supra & signatos litera *b*. Additur iisdem tintinnabulum litera *c* notatum. Qvod fortassis intellexit Martialis lib. II. per *argutum æs* in trocho. *Tam laxus, quam celer, arguto qui sonat ære, trochus.* Qvomodo Silius Italicus de cymbalis lib. XVII.

*Circum arguta cavis tinnitibus æra.* — —

Qvando Martialis dicit *celer trochus*, idem videtur ostendere, qvod diximus, currere videlicet cum trocho consveviſſe. Sed & Plauti verba istuc pertinent superius adducta. Nam circumvertitur rotula in cursu sicut suo, sic præcipuè illius, qvi cum ea currit. Cæterum cum trochus iste puerilis similis rotæ fuerit, (qvomodo & vocatum supra diximus, firmantq; Glossæ veteres, Bulengero & Turnebo citatæ, in qvibus, *trochus rotæ genus ad ludum*, *trochus ludentum rota*, legitur) abunde manifestum est, cur eum dixerit esse sibi posse canthum, Poëta Martialis. Martialem imitati sunt & alii in vocis hujus usurpatione. Nam & Diomedes lib. III. *Rotæ satis latus ac breviatus canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur.* Putat Casaubonus, diversa paululum notione hanc vocem usurpare Diomedem, ac Scriptores usurparunt alii. Verum mihi non videtur. Verba tamen ejus sine dubio corrupta sunt. Ecqvid enim: *Latus ac breviatus*, item, *radiatus luminibus?* Præcedit apud Diomedem: *Hi, qui in bello laborant, quotiens amissos ordines reparant, ex longo & disperso ambitu in brevem & arctum orbem coguntur, rotæ scilicet similitudine evertilantis.* Comparat colligentes se in prælio in angustum orbem rotæ vertitanti. Sic enim scribendum censeo pro *evertilantis*, qvod est nihili, cum *rota vertitans* sit ea, qvæ se crebrò vertit atq; circumvolvit. Sicut enim illa rotæ extremæ sive canthi circumvolutio fit minor, brevioriq; orbe absolvitur, qvo propius ventum est ad modiolum, ita magnus ille orbis sese colligentium postremò definit in circulum angustum. Hæc sententia Diomedis, nisi fallor, unde liqvet, verba præcedentia sic esse corrigenda: *Rotæ satis latus abbreviatus canthus radiatæ volumini-*

*minibus in anguſtum modioli circulum cohibetur.* Cohibetur, inqvit, ſatis latus canthus in circulum anguſtum, voluminibus rotæ radiatæ. *Volumina* rotæ vocat ejus circumactiones, circumcurſationes. *Circulum anguſtum modioli*, brevem illum orbem, qvem conficit modiolus, cum circumvolvitur, qvi revera eſt anguſtus, ſi cum orbe canthi ejusq; circumvolutione conferas. Rectè autem loqvitur de rota *radiata*, qvia illa ſola habet modiolum, ſicut ſupra demonſtravimus. Canthos dixit qvoq; Probus, verbis ſupra etiam adductis, ubi ajebat: *Tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo.* Qvibus verbis intelligimus, non radiatas ſolum rotas, ſed & tympana ferro iſtiusmodi muniri conſveviſſe. Invenias & apud Auguſtinum libro de Princ. Dialect. *Via dicitur à flexu, quia flexum velut incurvum veteres vietum dixerunt: unde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant.* Dicit ligna rotarum ambiri cantho, & propterea vocari *vietos*, ſicut ſupra qvoq; notabamus. At pro *vietos* Scaliger vult *vitos*, qvia ſic Latini nominarint canthos, qvod non poſſum comprobare. Qvis enim verborum erit ſenſus; vitos vocant, qvod cantho ambiantur; ſi viti ipſi ſunt canthi? Sed tamen canthos veteres dixere *vitos*. Qvis hoc comprobat? Marius Victorinus, qvi ſic habet in Arte Grammatica, cap. de Poëtica: *Viere connectere eſt, unde vimen dictum virgulti ſpecies, & viti in rota.* Atqvi nulla mentio canthorum in his verbis, tantum vitos eſſe in rota ſignificant. Qvid igitur, ſi dicamus apſides hic intelligi, ac legendum eſſe *vietos?* Qvid, ſi retineamus ſcripturam iſtam, & cum Voſſio dicamus, vitos eſſe ab Æolico ϝίτυς vel βίτυς, pro ἴτυς? Non hic canthos habebimus, ſed eodem modo iterumq; apſides. Certè mea opinione nihil derivatione iſta verius. Nam qvod in Gloſſis Stephani occurrit καν θὸς ῥοχῶ, *urus*, qvis certò nobis dixerit in *vitus* oportere immutari? cum de cantho alias ſit proditum à nemine. Ac poteſt fieri, ut auctor, qvisqvis eſt, earum *urvus* ſcripſerit, qvia canthi ſunt ἀνάσιμα id eſt, urvi, vel ita flexi, ut redeant ſurſum verſus, literæ υ jacentis figura. Sed hæc conjectura eſt. De canthis patet, vitos aut vietos malè credi dictos à veteribus. *Orbes* potius dixere, ſicut liqvet ex Prudentii ſuperius allatis verbis, ubi

*orbem*

*orbem electri* pro cantho usurpavit. Sicut autem rotæ summitas muniri cantho solebat, ita radii ferro alio, qvod Græci appellabant ἀείλον. Pollux: Τὸ δ' ἐφ' ἑκάστῃ κνήμῃ σιδηροῦν, ἀείλος. Vertunt: *Singulorum radiorum laminæ, pinnæ.* Ubi nescio, qvid velint illæ laminæ. Nam in Græco qvidem nullæ sunt. Tantum hoc dicunt: *Ferramentum cujuslibet radii appellari æetum.* Atq; ita & Hesychius: Ἀείλος τῆς τροχοῦ τὸ κύκλον κνῆμον ἕκαστον σιδήριον. Qvod Pollux ajebat ἐφ' ἑκάστῃ κνήμῃ, hoc Hesychius effert per κύκλον ἕκαστον κνῆμον. Qvo intelligi videtur, ferramenta illa fuisse immissa per radios istos. Ac fortassis clavi erant ferrei, trajecti una per apsides, ut in iis capita radiorum tenerent firma. Nisi malimus exterius ambivisse, concluſosq; circa capita radios ad apsides firmasse. Nam alias τὸ ἀείλος Hesychio κυμάτιον, qvod alibi est χείλη, labrum, osculum, ad cujus similitudinem exterius, ut opinor, claudebant apsides. Necesse verò est, ut ferramentis hisce firmati fuerint ad canthos: Nam ad modiolum alio firmabantur ferro, qvod vocabant πλημνόδεσμον aut θώρακα. Pollux: Τὸ δὲ συνδέον πρὸς πλῷ πλήμνην τὰς κνήμας σιδήριον, πλημνόδεσμον ἢ θώραξ. *Ferrum radios modiolo colligans, plemnodeton aut thorax.* Qvando in singulari dicit σιδήριον, commune unum cunctis radiis ostendere videtur, cum ex adversa parte singuli suum ferrum proprium haberent. Neq; aliud vult θώρακος vocabulum. Ambibat nempe modiolum in medio, ibiq; continebat radios. Modiolum ipsum custodiebat annulus ferreus, ne facilè posset frangi. Pollux: Τὸ δὲ ὑπεράνω ἄκρου (τοῦ περιειλημένου πρὸ ἄξονι) σιδήριον, δακτύλιος. *Ferrum autem supernè cingens modiolum, annulus seu dactylios.* Δακτύλιον ostendit nominasse, qvia revera nihil fuit aliud, qvam annulus seu circulus. Fuit autem annulus hic ab ea parte modioli, qvæ interior, & vehiculi sellæ propior. Habebat & exterior aliqvem, similiter δακτύλιον vocatum. Id enim volunt verba Pollucis, qvando paulò post superiora inqvit: Τὰ δὲ ἐκάτερθεν τέλη τοῦ τροχοῦ, δακτύλιοι. *Vtræque verò extremitates rotæ, dactylii seu annuli.* Non possunt aliæ intelligi extremitates, qvam qvas diximus. De canthis enim prius egerat. Liqvetq; hinc, τὰ τέλη τροχοῦ esse ἄκρα, & modiolorum capita extrema denotare. Amplius modiolo inserebatur qvoq; ferrum, ne posset atteri ab axe. Pollux: Τὸ δὲ ἐνὸς τῶν πλήμνης σιδήριον, ὃ τρίβει

τρίξηλον ἄξονα, ἄταρνον, ἢ γάρνον, ἢ δέστρον. *Quod autem intra modiolum ab axe teritur ferrum, atarnum, garnum, aut deſtrum.* Tria ejus adfert vocabula. Et ἀτάρνυ neſcio, an alibi ſit mentio. Pro γάρνον Heſychius habet γαρνὸν. Verba ejus: Τὸ ἔσω τῆς πλήμνης σιδήριον, ὃ λὸν ἄξονα τρίζῃ, γαρνὸν, ferè ſicut Pollux. At apud Phavorinum γάρκον eſt. Neq; aliter invenias apud Auctorem Etymologici magni, qvi ipſa Heſychii repetit verba. Δέστρον pariter non invenio alibi, neq; ſcio, an ſe rectè habeat ſcriptum.

## Cap. VII.

## De Capſo.

*Capſum. Capſa. Iunii error. Arca. Ploxinum. Ploxemum. Catullus explicatur. Sirpæa ſtercoraria. Ovidius exponitur. Sirpiculæ. Lectio Scaligeri repudiatur. Arcera. Clabulare. Clabula, clavula. Feſtus explicatur, ejusque lectio vetus defenditur.* Τέρετρον. Ἐσχάρα. Ὑπερτερία. Πλίνθρον. Βερτέρα *unde. Euſtathius refellitur. Iupiter Feretrius.* Πλινθίον θερὸς. Πείρινθα. Κάνναθρον. *Xenophon & Xeſychius emendati.* Θέρηγνον. Θερήγανον. *Heſychius exponitur.* Μόργος. Μολγὸς. Ἐσχάρα *graticula. Vulcanii emendatio fruſtranea.* Κλίμαξ. Δίφρος. Σέλλα. *Non ſemper duos tantum habuit.* Τόνος. Ἱμάντωσις. *Stephani explicatio rejecta.* Ταῤῥιον. *Pollucis verſio emendata, & dubium de quodam ejus loco.* Πίναξ. Ἀνλυξ. Μεσάτιον. *Heſychius correctus.* Κυρτίον. Ἄσπις. Ἀξητὶς. Ἄζηρις. Πτέρνα. *Gualtherus rejectus. Vehicula* εὐφρόνια. *Currus arcuatus, conſtratus, tectus,* καμαρωτὸς, *cameratus. Tympanum.*

SUpereſt pars una, cui ſolent inſidere in vehiculo, qvi vehuntur. Latini ferè *capſum* nominarunt. Vitruvius lib. X. cap. 14. *Ad capſum rhedæ loculamentum firmiter figatur.* Et paulò poſt: *In rhedæ capſum, & vas æneum.* Dubitant hoc loco, *capſum* ne in caſu recto dici debeat, an *capſus*. Poſterius profectò præfert Junius, prius Philander, Baldus, atq; alii. Sed in Gloſſis antiqvis, ubi agitur de vehiculis, legas *capſum*, πλινθίον. Feſtus voce *ploxinum: Ploxinum appellari ait Catullus capſum in ciſio.* Addit tamen Feſtus *capſava*, aut, ut emendandum cenſent viri docti, *capſamve.* Ita enim habent Schedæ Farneſianæ, ſervavitq; ſolum Paulus, qvando ſcripſit: *Ploxinum capſam dixerunt.* Unde liqvet, *capſum* vel *capſa* rectum eſſe, *capſus* vero

verò Junii non legi. Fuit autem capsa capsumve, ut exponit Philander, *à capiendo dicta rhedæ pars, ubi, qui vectantur, sedent.* Nempe capsæ speciem habebat, qvam & arcam appellamus. Itaq; hæc ipsa pars *arca* dicta invenitur à Verrio apud Macrob. lib. I. cap. 6. *Evenit, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset.* Non est alia pilenti arca, qvam capsum. An & *ploxinum?* Ita sanè velle Festus videtur in verbis antea citatis. Facit enim idem *ploxinum & capsum.* Pro *ploxino* apud Fabium est *ploxenum*, lib. I. cap. 5. *Catullus ploxenum circa Padum invenit.* At apud Catullum ipsum, unde ista Fabius adducit, *ploxemum* legitur, non *ploxenum*, aut *ploxinum*, servantq; libri veteres consensu hanc scripturam. Neq; tamen facilè qvis dixerit, qvæ sit melior, cum, qvando Fabius Catullum ait invenisse apud Padum, Gallicam facere vocem videatur. Licet autem Gallis circa Padum fuerit in usu, tamen, sicut multas alias, ita hanc vel sumsisse, vel communem habuisse censeo cum Græcis. Neq; enim dubitare possum, qvin conveniat πλοκάμῳ, qvod significat plexum contextumq; qvid ex vitilibus. Et profectò significasse qvid ejusmodi Catullus videtur. Verba Catulli, qvibus exagitat Æmilium, sunt ista.

*-- -- Hoc dentes sesquipedales,*
*Gingivas verò ploxemi habet veteris.*

Loqvitur de enormibus ipsius dentibus, & gingivis stercoreis. Has comparat ploxemo veteri. Cujus comparationis ratio videtur nulla, nisi hic intelligamus, non capsum qvodlibet, etiam politi ornatiqve vehiculi, vel arcam, sed qvalis solet esse plaustri agrestis, cum stercus fimusve illo devehitur in agros. *Sirpeam stercorariam* vocavit Cato de R. R. cap. 10. Verba ejus: *Vrpicem unum, crates stercorarias qvatuor, sirpeas stercorarias tres.* Et fuerunt sirpeæ hæ in plaustris. Unde Ovidius lib. VI. v. 679. Fastor.

*At Dominus, discedite, ait, plaustroque morantes*
*Sustulit, in plaustro sirpea lata fuit.*

Qvæ scriptura sollicitari non debet. Tali ergo sirpeæ comparat Catullus gingivas Æmilii, fimo scilicet turpi fœdatæ. Unde liqvet,

ploxe-

ploxemum fuisse qvid compositum contextumqve ex viminibus. Talis namq; & sirpea. Varro de L.L. *Sirpea, quæ virgeis sirpatur, id est, colligando implicatur, in qua stercus aliud ve quid evehitur.* Sirpea nihil aliud, qvam oblongè qvadrata capsa, è virgis contexta, corbis instar, qvæ imponitur vel trahæ, vel plaustro, rebus vilioribus in agro vehendis. A sirpeis sunt *sirpiculæ*, qvarum mentio apud Nonium voce *holerorum:*

*Tintinnabulum abest hinc sirpiculæque holerorum.*

Citat Scaliger, *sirpiculique.* Sed sic habent codices apud Nonium, convenitqve, qvod & *sirpeæ*, non *sirpei* dicantur. Ostendit autem Lucilius, cujus est prædictus versus, sirpiculas hujusmodi ad vehenda etiam olera usurpatas. Credo, qvalia eruta ex hortis evehi rejiciq; solebant, aut alias non magni erant pretii. Jam cum ploxema hujusmodi sint sirpeæ, non possunt esse capsæ propriè ita dictæ arcæve. Nam hæ non fuerunt ex viminibus, sed tabulis. Varro lib. IV. de L.L. *Arcera etiam in duodecim tabulis appellatur. Quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca, arcera dictum.* Vides hic arcam vehicularem similem arcæ vulgari ex tabulis, unde nomen ipsum vehiculi, *arcera.* Meminit & Gellius lib. XX. cap. 1. *Arcera autem vocabatur plostrum tectum undique & munitum, quasi arca quædam magna.* Sed de hoc vehiculo deinceps. Illud constat, arcam non fuisse vitilem aut sirpatam virgis, verum junctam contextamq; ex tabulis. Qvod similiter de capso judicandum. Differebat qvoq; arca sive capsum à sirpea seu ploxemo in eo, qvod hoc esset ferè unius semper formæ, illud verò variæ. Aliter namq; se habebat in cisio, aliter in rheda, aliter in bigis qvadrigisqve, sicut suo loco apparebit. Interim & arca, & sirpea, & ploximum generali voce *capsa*, ut ex Festo liqvet. Præter dicta verò genera, uno ex tabulis, altero ex vitilibus, fuit tertium ex clabulis, qvod vocarunt *clabulare*, sive clavulare. In hoc genere illud, qvod alias est capsa, fuit non solidum, sed transparens, clabulis videlicet aut clavulis distinctum. Clavula est à clava, baculumq; aut fustem significat. Meminit Varro lib. I. R. R. cap. 40. ubi *clavolam* appellat. *Videndum, ut sit de tenero ramo, ex utraque parte æquabiliter præcisum, quas alii clavolas, alii*

*taleas*

*taleas appellant, ac faciunt circiter pedales.* Hic bacillus teneris rami pedali longitudine est clavola. Cum igitur id, qvod supernè imponi vehiculo solebat, ut in eo vehi possent sive res sive homines, scalæ prope modum specie, crebris hujuscemodi bacillis fuit circumqvaq; munitum, *vehiculum clavulare* vel *clabulare* dicebatur. Clabolam seu clavulam bacillum esse Festus qvoq; docet voce *Ignis: Ignis Vestæ si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat, clavulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* Ita optimè hæc verba legit Scaliger, cum ante esset *tabulam*, non *clavulam*. Intelligit enim Festus nihil aliud, qvam bacillum, qvem in alio tamdiu rotabant & circumagebant, donec scintillas emitteret. Qvod autem Scaliger pro *terebrare* facit *terere*, fit frustra. Terebrabant enim altera clavula, qvam propterea & τέρετρον Simplicius, Theophrastus τρύπανον vocarunt. Simplicii sunt verba lib. III. de Cœlo: Ἀπὸ ξύλων ὃ πῦρ ἐκβάλλουσι θάτερον τῶν ξύλων, ὡς τέρετρον ἐν θατέρῳ περιτρέφοντες. *Ignem è ligno eliciunt, alterum lignorum tanquam terebram in altero circumvertendo.* Theophrasti extant lib. V. Hist. Plant. Δεῖ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν, τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης. Theodorus Thessalonicensis ista vertit ad hunc modum: *Sed conceptaculum ex hac, teretrum verò ex lauro faciendum censent.* Ubi vocat *conceptaculum*, qvod Theophrasto est ἐσχάρα. *Vaginam terebri* reddiderunt aliqvi ex Lexicographis veteribus. Revera nihil fuit aliud, qvam clavula seu tessella cava, in cujus foramine alia instar terebri circumagebatur. Qvomodo & hodie usurpant in Indiis Orientalibus, qvod ipse vidi. Dicta verò Græcis ἐσχάρα, ut opinor, partim, qvod esset cava, partim, qvod in ea, velut foco, ignis excitari soleret. Cæterum vehiculi pars ea, de qva hactenus locuti sumus, Græcis esse ὑπερτερία videtur. Ostendit Pollux, qvando post sellam vehiculi, ejusq; partes, tandem claudit: Τὸ δὲ ὅλον ἐπίθεμα καλεῖται ὑπερτερία. *Totum autem illud, quod imponitur,* (axi rotisq;) *vocatur hyperteria.* Puto enim hoc velle, sellam cum omnibus suis partibus, & qvicqvid ei supernè in vehiculo junctum est, ὑπερτερίαν dici. Atq; sic Hesychius: Ὑπερτερία, τὸ ἄνωθεν τῆς ἁμάξης ἐπιτιθέμενον. *Hyperteria id, quod supernè impositum est*

*vehiculo*. Idem vocat & ὑπερτερείην, paulò post, ubi ait esse τὸ πῆγμα τῆς ἁμάξης, hoc est, *pegma vehiculi*. Intelligit autem per πῆγμα sive pegma compactum conjunctumq; aliqvid ex tabulis & lignis. Qvomodo ex tabulis hujusmodi fuere pegmata ædificiorum, theatrorum, & similium. Homero ipsi est ὑπερτερίη, Odyss. Z.

-- Ἀταρ τοι δμῶες ἐφοπλίσσουσιν ἀπήνην
Ὑψηλὴν, εὐκυκλον, ὑπερτερίη ἀραρυῖαν.

*Cæterum famuli apparabunt tibi currum altum, rotis bonis instructum, cum capso*. Scholiastes vetus eo loco: Ὑπερτερίη, τῷ ἐπιτιθεμένῳ πλινθίῳ τῇ ἁμάξῃ, πρὸς τὸ πλείονα βάρη φέρειν, ὑψηλοτάτῳ, ὁ καὶ πλίνθριον καλεῖται. Ἢ τῷ ὑπὲρ ἄνω τῆς ἁμάξης τετραγώνῳ ξύλῳ δεχομένῳ τὸ ἐντιθέμενον φορτίον. *Hyperterie, id est, plinthio, vel oblongè quadrato, quod vehiculo est impositum, ut gestare onus possit majus, altissimo, quod & plinthrum appellatur, aut vehiculi in summitate ligno quadrato, continente onus*. Ubi nota, πλίνθρον qvoq; nuncupari. Puto autem per πλίνθρον vel πλινθίον nihil aliud indicari, qvam qvadrata forma, sed oblongiore capsam. Atq; sic accipio illud ξύλῳ, qvasi sermo sit de tabulis. Eustathius eodem loco ita habet: Ὑπερτερίαι δ', τὸ ἐπικείμενον τετράγωνον πλινθίον τοῦ ἄξονι, ᾧ δὴ τὸ ὑπερκείσθαι ἀπτέ. Ἐν δὲ Ἰλιάδι πειρίνθα τοῦτο εἶπεν ὁ ποιητής. Σημείωσαι δὲ ὅτι τοιοῦτον ὄνομα φέρεται πῶς καὶ ἔως ἄρτι. Ἔθνικοὶ γὰρ Ἰταλικοὶ παρακόπτοντες, βερτέρνην ταύτην φασὶ καθ' παραφθοράν. *Hyperteria verò impositum quadratum plinthium super axem, ita dictum, quod incumbat illi. At in Iliade vocat peirintham Poëta. Observa verò, quod hoc vocabulum efferatur nunc quoquo modo. Nam populi Italici circumscindentes illud berteram appellant per corruptionem*. Notabimus in verbis hisce βερτέρνην vocem, nihil enim proditum de ea in illorum libris, qvi cum cura voces istiusmodi collegerunt. Sed qvid ita pars hæc dicta est *bertera* Italicis hominibus? Ego vocem censeo corruptam, non ex *hyperteria*, qvod existimat Eustathius, sed Latina *feretro*. Nam *feretrum* significasse priscis non lecticam mortualem solum arbitror, sed qvodcunqve, qvo qvid ferri posset. Qvomodo & φέρετρον, unde venit *feretrum*, seu *pheretrum*, Græcis, vel, qvod idem, φέρτρον, illud, in qvo qvid gestatur. Polybius apud Suidam in hac voce: Τότε καὶ τὸν πεφιλημένον ἧκεν ἔχοντα τὸν ὗν ἐν φέρτρῳ καὶ λίβυας ὡσεὶ χιλίους. *Tunc amatum sibi misit, habentem*

*tem aprum in feretro, & Libyos quasi mille.* φέρτρον nihil aliud hoc loco, qvam id, qvodcunq; deniqve, in qvo jacentem aprum gestabant. Et apparet idem ex Feretrii cognomento, qvem sic à ferendo, non feriendo dictum verisimile est, cum à feriendo *Feritrius*, non *Feretrius* appellari debuisset. Qvando autem de hyperteria, ut ad illam revertamur, dicit Eustathius, qvod fuerit non πλινθίον simpliciter, sed τετράγωνον πλινθίον, id est, *plinthium quadratum*, de figura ejus loqvitur in vehiculo illo, de qvo ibi Homerus. Nam in aliis vehiculis hæc pars interdum fuit alia figura. Qvia tamen in communibus & ad onera gestanda usurpari solitis hæc pars qvadrata ferè, igitur & in Glossis legimus, ubi agitur de ἁμάξα sive carro, *Capsum*, πλινθίον. Nam alias *capsum* non fuit semper qvadratum, ut prædixi, qvod tamen vox πλινθίον exigere videtur. De qva, num revera capsum, an nudam simplicemq; tabulam, absq; margine clausisq; lateribus significet, dubitari poterat, nisi fide sua dictum Glossarium interveniisset. Nam cæteri, qvi exponunt voces Græcas, de hac ejus significatione nos docere omiserunt. Nisi ad hunc modum explicemus Pollucem, qvando lib. I. cap. 14. de ὑπερτερίᾳ: Ἧς τὰ ἑκατέρωθεν πλευρὰ, θαιροὶ καλοῦνται, δεξιὸς καὶ ἀριστερός. *Cujus latera utrinque vocantur theri, dexter & sinister.* Ubi simul, qvod nos docet de θαιροῖς, notandum, ita nempe Græcis capsi latera esse nuncupata. Cæterum pro ὑπερτερίᾳ Homerum usurpare πείρινθα monuerat Eustathius in superioribus. Et occurrit apud eum cum alibi, tum Il. Ω.

Αὐτὰρ ὅγ' υἷας ἄμαξαν ἐύτροχον ἡμιόνεσσιν
Ὁπλίσαι ἠνώγει, πείρινθα δὲ δῆσαι ἐπ' αὐτῆς.

*At hic filios currum cum bonis rotis mularum apparare jubet, & super eum ponere alveum.* Retinui vocem *alvei*, qvia alii sic reddere voluerunt. Nam qvid verè fuerit, liqvebit ex seqventibus. Eustathius sic habet: Πείρινθα λέγει τὸ πλινθίον τὸ ἄνω τῆς ἁμάξης, ὅπου τὰ φορτία ἐπιτίθενται, διὰ τὸ ὑπερκεῖσθαι τὸν ἄξονα. Οἱ δὲ παλαιοὶ ἔπω φασί· Πείρινθα τὸ τετράγωνον πλινθίον τὸ ἄνω περιδεόμενον ταῖς ἁμάξαις, πλεκόμενον ἀπὸ ῥιπῶν. Ῥίπες δὲ οἱ τῆς ὀισύας λίγοι. Ὥστε εἶναι ῥίπινθα. *Peirintha vocat quadratum illud super currum, super quod reponuntur onera, quia incumbit axi. Veteres autem ita dicunt: Peirintha est plinthium quadratum, quod vehiculis circumda-*

*cumdatur, plexum ex viminibus. Sunt autem vimina virgæ ex salice.* Apparet ex his verbis, peirintham fuisse propriè non ex tabulis, sed viminibus. Atq; sic Hesychius, qvi περίνθον appellat: Περίνθος, πλέγμα τὸ ὂπὶ τῆς ἁμάξης, τὸ πλινθίον τὸ ἐπιτιθέμενον τῇ ἁμάξῃ τετράγωνον. *Peirinthus, plexum in vehiculo, plinthium, quod in vehiculo ponitur, quadratum.* πλέγμα vocat, qvod est opus è vitilibus. Convenit & Didymus, ut legimus apud Etymologici auctorem: Ὁ Δίδυμος, τὸ ἐκ ῥιπῶν πεπλεγμένον πλινθίον, ῥίπενθα, καὶ καθ' ὑπέρθεσιν καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι, περίνθα. *Didymus ex vitilibus plexum plinthium rhipentha, & per adpositionem pleonasmumque literæ i peirintha* dicit appellari. Omnes peirintham accipiunt non ex tabulis, sed vitilibus confectam. Unde colligas, fuisse talem, qvalis *ploxemum* Latinis dictum est. Xenophon vocavit κάνναθρον. Idem Etymologus: Δίδυμος περίνθον λέγει ὑπὸ Ξενοφῶντος καλεῖσθαι κάνναθρον, ἐπεὶ καὶ κάννη ὁ ψιαθος. *Didymus peirinthum ait à Xenophonte appellari cannathrum, quia & cane, juncus, sive calamus.* Scio, κάνη etiam cum ν simplici occurrere, sed hic duplicari debet, ut appareat, ex eo κάνναθρον oriri. Atq; sic Eustathius, ex Didymo eodem, ut opinor: Ὃ δὲ Ξενοφῶν, κάνναθρον αὐλὸ φησί. Κάννη γὰρ ὁ ψιαθος. *Xenophon autem id* (peirinthum) *cannathron appellat. Canna enim calamus.* Ubi apud Xenophontem locus extet, in qvo ea vox legatur, non est promptum invenire. Citat Stephanus ex lexicis vetustioribus, sed absq; loci nomine, hæc ejus verba: Ἐπὶ πολιτικῶν κανάθρα πατήσεις Ἀμύκλας. Sed in his καννάθρα legi oportere certum est vel ex superioribus. Neq; aliter apud Hesychium scribendum, qvod vel ipsa litterarum & vocabulorum series testatur. Antecedit enim proximè, καννακιεσθῆναι, sequitur, κάνναι. Hodie sic legitur: Κάναθρα, ἁρμάδες ἢ ἅμαξα πλέγματα ἔχουσα, ὑφ' ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. *Canathra clitellæ, vel vehiculum habens quid è viminibus cannisve contextum, super quod pompam celebrant virgines, quando ad festum Helenæ abeunt.* Scribendum κάνναθρα, vehiculum, namq; hoc à καννάθρω dictum, de qvo agimus. Cum autem κάνναθρον sit à κάννη, sequitur hoc genus plegmatis fuisse non ex vitili qvocunqve, nec ex saliceis virgis, sicuti de περίνθω annotavimus, sed ex canna, vel arundine palustri. Hæc enim Græcis propriè est κάννη, calamo major,

major, arundine minor, uti Columella testatur. Qvod notandum, qvia liqvet, etiam ex hoc genere plectere apud veteres hanc vehiculorum partem consveviſſe. Eſt ejusdem generis & θέρηγνον. Hesychius: Θέρηγνον, τὸ ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν παράπλεγμα, τὸ ἐπὶ τῇ τῶν ἀσταχύων παρακομιδῇ γινόμενον. *Theregnon eſt contextum ſuper plauſtra, factum ad deportationem frumentorum.* Non aliud exiſtimo intelligendum, qvam qvod vel ex calamis vel ex virgultis conſtruebatur, corbis inſtar, & imponebatur plauſtro, ne exciderent minuta in id poſita. Qvale puto & θερήγανον vocaſſe, cum illius uſus eſſet maximus in meſſe. Heſychius generatim dicit, partem plauſtri fuiſſe. Θερήγανον, μέρος τῆς ἁμάξης. Vix poteſt aliam ſignificare partem, qvam qvæ nobis dicta eſt, cum præſertim θέρηγνον per contractionem factum à θερήγανον videatur. Appellarunt qvoq; μόργον. Idem: Μόργος, Φραγμὸς, καὶ τὸ ἐπὶ ταῖς ἁμάξαις φράγμα, ἐν ᾧ τὰ ἄχυρα φέρουσι, καὶ σκυλινὸν τεῦχος, ἄλλοι τευχοβόειον. *Morgus, ſeptum vel ſepimentum plauſtris impoſitum, in qvo paleas vehunt, & vas coriaceum, alii teuchoboium vocant.* Poſſis hinc colligere, qvod conſtruxerint qvandoq; etiam ex corio, cullei fortaſſis modo. Unde ille ipſe voce μολγὸς, qvæ idem ſignat: Ἄλλοι δὲ μολγὸν τὸν βόειον ἀσκὸν, τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν. *Alii molgum vocant ſaccum coriaceum, imponitur verò & plauſtris.* Appellarunt autem πείρινθα etiam ἐσχάραν Græci, maximè recentiores. Euſtathius ad Odyſſ. O. Εἰ δ' ἄν πείρινθα, καὶ ἡ πρὸ τούτων ῥηθεῖσα πᾶ ὑπερλερία ἐπὶ τῆς κῆ πλὼ Ναυσικάαν ἁμάξης. Ὅπερ οἱ ὕστερον ἐσχάραν καλοῦς. *Peirintha eſt, qvæ ante hac hyperteria dicta, in vehiculo Nauſicaæ. Poſteriores eſcharam appellant.* Ita qvidem Euſtathius. Verum puto diverſum qvid ἐσχάραν à πειρίνθῳ fuiſſe, ſic, ut illa eſſet plexa ex cannis aut viminibus more corbis, hæc verò ex aſſeribus tenuibus cancellatim junctis fabrefacta, qvalis hodieq; cernitur noſtris in vehiculis. Ita enim velle vox ἐσχάρα videtur, ut qvæ cratem notet, vel craticulam. Gloſſæ veteres: Ἐσχάρα, *graticula.* Sic ſcribebant ſeqvioribus temporibus pro *craticula*, ut neceſſe non ſit cum Vulcanio hic aliqvid mutari. Habes enim in ſimilibus Gloſſis *gras*, pro *cras*, *graſſus*, pro *craſſus*, & hujusmodi. Hinc & alibi: *Graticula*, ἐσχάρα, cum apud Philoxenum ſit *Craticula*, ἐσχάρα. Craticula porro coqvinarium eſt inſtrumen-

ſtrumentum, cujus regulas ferreas rectas transeunt aliæ transverſæ, ut inter ſingulas ſit ſpacium vacuum qvadratum. Ad hanc igitur effigiem pars illa vehiculi poſterioribus temporibus elaborari cœpta. Unde forſitan & nomen ἐσχάρας invenit. Pollux κλίμακα vocavit, ut opinor, lib. I. cap. 14. ubi partes ἁμάξης ſive plauſtri enumerat. Ita verò deſcribit: κλίμαξ, τὸ προμήκες ξύλον τὸ ὑπερ τὸν ἄξονα καὶ ἐκ τεσσάρων συνεστηκὸς, καὶ μέσας ῥάβδους, πρόσθεν μὲν πλείους, ὄπισθεν δὲ ἐλάττους ἔχον, ἐν μέσῳ δὲ τῷ ὑπερτερίαν ἐνηρμοσμένην. *Climax ſive ſcala prælongum eſt lignum, ſupra axem, ex lignis conſtans quatuor, habens in medio baculos, in priore quidem parte plures, in poſteriore verò pauciores, in medio ſuſtinens impoſitam hyperteriam.* Ubi nota, etiam Pollucem facere diverſa κλίμακα & ὑπερτερίαν, hancq; illi imponere. Fuit ergo κλίμαξ id, qvod proximè incumbebat axi, plane ſicut & ἐσχάρα, nec ab hac diverſum extitit, niſi qvod ἐσχάρα bacillos haberet & in longum & in transverſum, inſtar craticulæ, κλίμαξ tantum in transverſum, inſtar ſcalæ. κλίμακι deinde ſeu ἐσχάρᾳ incumbebat ὑπερτερία, ſive capſa, eaq; vel ex tabulis vel ex vitilibus baculisve facta, ſi qvæ incumbebat. κλίμαξ enim vel ἐσχάρα modò incumbebat nuda, modò impoſita ſibi habebat alia, qvæ voce generaliori vel ὑπερτερίαν Græci, vel πείρινθα, vel κάνναθρον, vel θέρηγνον vocabant. Nuda, ſi qvæ portanda majora, craſſiora, rudiora. Non nuda, ſi qvæ alia, & præſertim homines. Ad qvos maximè ſpectabat, qvod vocabant δίφρον. Memorat in bellicis vehiculis Homerus, ut Minervæ Il. E. & Hectoris Il. Α. & plurimorum aliorum. Atq; ita facit Pollux qvoq; lib. I. cap. 10. qvi de bellicis vehiculis totus eſt intelligendus. In non bellicis, ſed civilibus, Pindarus, qvi ob cauſam hanc Muſarum currum δίφρον appellavit. Verba ſunt in Iſth. Od. 2.

Ὅσοι χρυσαμπύκων
ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαι-
νον, κλυτᾷ φόρμιγγι συναυλόμενοι.

*Quicunque in currum Muſarum aurea redimicula habentium adſcendebant, obviam procedentes cum inclyta cithara.* Δίφρος hic eſt ἅρμα. Ita enim & in Pyth. Od. 5. vocat currus, qvibus utebantur in ſpectaculis. Verba ejus ſunt ad Arceſilaum, curru (ἅρμαλι) victorem.

Ev

-- -- Ἐντεσαράκοντα γὰρ πεδίονται ἀνιόχοισιν, ὅλον δίφρον κομίξας ἀλαρβεῖ φρενὶ, ἦλθες ἂψ Λιβύας πεδίον.

*Inter quadraginta lapsos aurigas integrum currum referens intrepido animo rediisti jam in Libyæ campum.* Habes similia in iisdem Pythiis Ode 4. & 2. & in Olymp. Od. 1. unde constat & in ludicris vehiculis δίφρους habuisse. Fuit autem δίφρος, in qvo considebant. Eustathius Il. γ. Δίφρος δὲ τόπος τοῦ ἁρματηλάτου, ὁ τοὺς ῥηθέντας φέρων, &c. πρὸς μένει τοῖς ὕστερον, καὶ ἐπὶ κοινότερον λεγομένης σέλλας ἡ λέξις κειμένη εὑρῆσαι. Dicit, hoc vocabulum significare locum in vehiculo, ubi, qvi vehuntur, considunt, vulgoq; appellari qvoq; σέλλαν, id est, *sellam*, qvod notandum. Idem ad Il. X. Δίφρον λέγει τὸν ἐπὶ τοῦ ἁρματηλάτου κορυφαῖον τόπον, ἐφ' οὗ παραβάτης καὶ ὀνίοχος. Καὶ ὅτι ὑψηλὸς ἦν ὡς δηλοῖ τὸ, ἐς δίφρον' ἀναβάς. *Diphron vocat locum summum in vehiculo, in quo conscensor & auriga. Quodque sit altus, apparet ex eo; in diphron enititur.* Duos tantum ait ibi consedisse, conscensorem & aurigam. Et hinc qvoq; putat accepisse nomen. Ita enim habet ad Il. P. Δίφρος λέγεται διὰ τὸ δύο φέρειν. *Diphros dicitur, quod ferat duos.* Qvanqvam non omnino ibi videatur in hanc derivationem inclinare. Convenit tamen Scholiastes vetus: Δίφρος ἔρρηται ὅτι δίφρον ἔχει. Δύο γὰρ φέρει, τὸν ὁπλίτην καὶ τὸν ἡνίοχον. *Diphrus dicitur, quod sit diferus, duos enim fert, armatum, & aurigam.* Habet his similia & Etymologus. Ac fortassis ab initio & in militaribus sic fuerit. At verò semper & in cæteris hoc observatum non opinor. Certè plures in Musarum δίφρῳ locat Pindarus, & in δίφροις ludicris stare singuli consveverant, ut ex monumentis priscis certum est. Diphrus porro iste, præsertim militaris, subtus erat structus conjunctusq; lignis, latera ipsius continentibus, qvæ appellabantur omnia simul juncta τόνοι. Sic enim intelligo, qvod ait Pollux: Ἡ μὲν ἱμάντωσις τοῦ δίφρου, τόνος καλεῖται. Vertunt: *Et sellæ colligatio dicitur tonus.* Colligatio hæc difficulter intelligitur. Ἱμάντωσιν vocarunt Græci, qvando lignis transversariis continebat paries parietem, alii innexum, sic, ut in neutram partem posset inclinare. Suidas: Ἱμάντωσις δέσις;

δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων τοῖς οἰκοδομήμασιν. Intelligit tigna transversaria, qvibus continentur erecta, ne procumbant. Tale qvid & τόνῳ fuit in Græcorum diphro, sive sella. Stephanus exponit *funes loreos, qui intenduntur currui.* Sed hoc fieri non potest. Liqvet enim ex Polluce, super tonum sellæ latera fuisse. Τὸ ὑπεράνω αὐτοῦ (τόνου) περίφραγμα, inqvit, hoc est, *quod supra tonum, est periphragma,* ubi est περίφραγμα, qvod sellæ latera constituit, & post indicabo. Deinde fuit τόνῳ, sive tonus, ima sellæ pars, qvod ex eo liqvet, qvia habuit scabellum ante se, qvod adscendebant primum, qvi enitebantur in currum. Igitur non potuit materia ipsius fuisse ex loris. Eqvidem ex loris sæpe τόνοι esse solent; sed, ut sint ex loris, non necesse est, cum, qvicqvid est protensum in longum qvocunq; modo, id sit τόνῳ. Nec diversum exigit ἡμάνωσις, qvam etiam de lignis usurpari Suidas testis est. Super τόνον fuit ταῤῥίον. Ita nominarunt sellæ latera, credo, qvoniam in morem cratium fuere plexa ex viminibus, aut bacillis. Est enim ταῤῥὸς, unde ταῤῥίον, πλέγμα καλάμινον, id est, *plexum quid ex arundinibus,* aut similibus, ut Hesychius nos docet. Pollux: Τὸ δὲ ὑπεράνω αὐτοῦ (τόνου) περίφραγμα, ὃ σκυθικὸν ἐστὶ διαλαμβάνεσθαι ταῤῥίον. Vertunt: *Quodque super hanc est, circumseptum, quod & tarrium dictum, corio tegi solebat.* Perperam. Debebat ita: *Quod verò super hunc* (tonum) *est circumseptum, quod corio induci solet, tarrium vocatur.* Discas ex hoc loco id, qvod dixi. Nam si tarrium ex solidis fuisset tabulis, corio tegi nihil opus erat. Nunc autem tegi consveviſſe constat, plane sicut hodieq; fieri aliqvando solet. Habebat autem ταῤῥίον tria latera, qvæ respiciebant eqvos. Pollux: Τρεῖς δ' ἔχουσι τοῦ ταῤῥίου πλευρὰς τὰς πρὸς τοὺς ἵππους. *Tria verò latera eqvos respicientia habente tarrio.* Sed cur tria tantum, & non qvatuor? Videlicet non omnis generis vehiculum describitur hic à Polluce, verum cujus usus fuit in militia, qvod jam supra monebamus. Erat autem hoc similimum illis, qvibus in circo decurrebant ad metam. Ideò habes inter nummos veteres Græcos etiam istum apud Goltzium:

Stant




Stant hic duo in diphro, ὁπλίτης alter seu armatus, ut supra eum appellabat Scholiastes Homeri, cum intenso ad ictum arcu, alter ἡνίοχος seu auriga cum frenis in manu. Diphros autem sive sella plane talis, qvalis fuit & in ludicris vehiculis. Hoc est, qvæ non habet nisi tria latera in altum, qvartum à tergo patet, planumq; & recedens servit adscensui. Qvare meritò tria tantum tarrii latera agnoscit Pollux. Dicit autem respexisse eqvos, non qvod illa latera omnia eqvis fuissent obversa, sed qvod saltem non aversa, sicut qvartum. Nempe qvidam diphri sunt, qvi patent anterius, ut apparet ex vehiculo Matris Deum aut Cybeles, qvod delineatum habes apud Rossinum lib. II. cap. 3. & carpento Agrippinæ, proposito in nummo, qvem in subseqventibus delineatum dabimus. Item alio vehiculo, cujus extat imago in Notitia Imperii. Hujus generis non esse illum, de qvo hoc in loco agat, declarare Pollux voluit, qvando omnia tria latera eqvis dixit esse obversa. Pergit autem post superiora: Τὸ ἀνώταλον ξύλον καὶ πάναξ καλεῖται δεξιὸς καὶ εὐώνυμος. Vertunt: *Supremum eorum lignum panax dexter vel siniſter dicitur.* Verum cur omittunt illud καὶ? Καὶ πάναξ καλεῖται, ait auctor. Puto plane Græca ita distingvenda: Τὸ ἀνώταλον, ξύλον καὶ πάναξ καλεῖται. Ut sit sensus, habere summitatem illam duo vocabula, nominariq; & *xylon*, & *panax*. Qvanqvam illud πάναξ mihi valde sit suspectum. Qvæ namq; ratio appellationis hujus? Πάναξ sanè, qvæ & πανάκεια ab ἄνομαι, id est, medicina, cujus utiq; non est in hoc argumento locus. Qvid igitur, si legatur πίναξ? Et existimo, significare summam

laterum marginem ex tabula tignove, ut essent firmiora. Sunt & ἄντυγες, non multum discrepantes. Etymolog. Ἄντυξ λέγεται ἡ ἀνωλάτη περικεφαλαία τῆ ἁρμαλιᾶ δίφρε, ὡσὰ τὸ ἄνω τετύχθαι. Ἡ δὲ εἰς τὸ κάτω τετυγμένη, λέγεται κατήτυξ. *Antyx vocatur summa galea sellæ vehicularis, eo, quod sit structa in summo. Quæ verò in imo facta, vocatur catetyx.* Ubi nota, esse qvoq; inter partes sellæ vehicularis unam, qvæ κατήτυξ dicitur, ἄντυγι oppositam. Sed qvid hic est περικεφαλαία? Num imminens capiti sedentis in curru tegumentum, figura circulari? At nil tale exhibent imagines vehiculorum bellicorum, qvæ in præcedentibus exponit Pollux. Et Hesychius περιφερείαν explicat simpliciter. Ἄντυγα, περιφερείας τῆ ἁρματος. Item: Ἄντυξ, ἁρματος περιφέρεια. Auctor Etymologici Magni facit idem, cum ἐπισιφριάδι. Ἐπισιφριὰς, ἐπισιφριάδος, inqvit, ἡ τῆ ἁρματος περιφέρεια, ἥτις ἄντυξ καλεῖται. At verò Scholiæ Homeri ad Iliad. K. ἐπισιφριάδα docent esse ἔσχατον μέρος τῆ ἁρματείε δίφρε τῆς περιφερείας, *partem extremam in circumferentia vehicularis sellæ.* Itaq; non potest ἐπισιφριὰς & ἄντυξ idem esse cum περιφέρεια, cujus pars hic ἐπισιφριὰς, si ἐπισιφριὰς & ἄντυξ idem est. Ἐπισιφριάδα Eustathius partem facit ἄντυγος. Ἐπισιφριὰς μέρος ἢ τῆ δίφρε, ἢ τῆς ἁρματος ἄντυγος, ᾗ ἐν περαίνεται ὁ δίφρος. *Epidiphrias est pars sellæ vel antygis in curru, in quam sella desinit.* Scilicet hæc confunduntur, & pars sæpe ponitur pro toto. Περιφέρεια & ἐπισιφριὰς, opinione mea, idem sunt. Pars in eis summa vel extrema, qvæ vocatur ἄντυξ. Eadem περικεφαλαία est, qvia cingit περιφέρειαν, & finit. Qvomodo & Latini ultimum extremumq; rei *coronam* appellare consveverunt. Interim & Hesychius: Ἀντύγων χρόαι, αἱ περιφέρειαι τῆ ἁρματος, οἱ τροχοὶ. In qvibus verbis, præter distinctionem, nil videtur mutandum, cum τροχοὶ sint περιφέρειαι, id est, circuli ambientes currum in summo, qvos alii ἀντύγας, Hesychius hic ἀντύγων χρόας nominavit. Seqvitur apud Pollucem: Ἡ δὲ μέση ῥάβδος, καπάνη. *Virga autem media, capana.* Μέση ῥάβδος mihi non videtur alia, qvam qvæ inter latus dextrum & sinistrum, de qvo antecessit. Nempe tria latera dicebat tarrium habere. Subdiderat de dextro & sinistro. Supererat, ut & tertii, qvod in fronte est, significaret nomen. Qvanqvam sermo sit non de toto latere, verum summa ejus parte, qvæ ob firmitatem ῥάβδος appellata. Sustentabat


tentabat illam lignum erectum, qvod μεσάτιον & ἐμπρόσθιον vocabant. Alterum existimo, qvod capanæ mediæ sustentandæ foret subditum, alterum, qvod in fronte diphri esset collocatum. Μεσαλὶς mentio est qvoq; in Hesychio, sed verba malè connectuntur cum nonnullis aliis, qvæ præcedunt, & huc nihil faciunt. Μεσάτιον, μέσον, καὶ μέρος τῦ ἅρματος. Sic scribendum, & post μεσαώριον, qvod præmittitur, ponendum punctum. At verò ligna, qvæ in angulo utriusq; lateris versus eqvos, Polluci μελέλαι. Verba ejus: Αἱ δὲ δίδυμοι, αἱ εἰς τὺς ἵππους βλέπουσαι ἀπὸ τῆς καπάνης μέχρι τῦ κυρτῦ, μελήλαι. *Sed gemini eqvos respicientes à capana ad ipsam curvaturam usque, metelæ.* Δίδυμες nominat, qvod essent ligna duo, unum à dextro, alterum à sinistro latere, sibi similia. Hesychius ea non μελήλας, verum, una syllaba auctius, μελλήλας appellavit. Μελλήλαι, αἱ ἐξ ἑκατέρυ μέρους τῦ ἅρματος ῥάβδοι. *Metetilæ, baculi ex utraque parte vehiculi.* At qvod Pollux vocat τὸ κυρτόν, arcum esse censeo, qvi antrorsum diphron ambibat. Mox κυρτύμενον appellat, & à Græcis dictum ait ἀσπιδίσκην. Τὸ δὲ κυρτύμενον, ἀσπιδίσκη. Vertunt: *Ipsaque curvatura, furca.* Verum ἀσπιδίσκη non est *furca.* Ἀσπὶς Græcis *scutum:* hinc ἀσπιδίσκη. Credo, qvod figura esset lata curvaqve, scuti more. Itaq; Pollucis verba sic reddenda: *Ipsa verò curvatura, scutulum.* Pergit Pollux: Τὸ δὲ ἀπὸ ταύτης (ἀσπιδίσκης) κῶνον κεκαμμένον, ἀξυλὶς. *Pars ab hac juxta tonum inflexa, azelis.* Ita habet versio Gvaltheri. Qvæ si bona est, in Græco ἀζυλὶς legendum. Hesychio est ἀζυρὶς, qvi exponit τὸ ἅρματος ξύλον, *lignum vehiculi.* Fuit autem, credo, reflexum à scutula lignum, ab extrema sui parte claudens latera. Memorat & ligna alia intus in sella sive diphro Pollux, qvædam erecta, qvædam transversa, qvæ ipsam continebant. Qvæ cum facilè intelligantur, recensere hic omittimus. Ultima pars superest, qvæ πλέυρα dicitur. De ea Pollux ita: Τὸ δὲ πρὸ τόνυ οἷ πρῶτον ἀναβαίνυσι οἱ ἐπιβαίνοντες, πλέυρα. *Pars, quæ ante tonum est, cui conscendentes insistunt, scabellum.* Sic Gvaltherus. At verò πλέυρα non est *scabellum,* sed τὰ ἔσχατα μέρη, qvælibet extremitas. Latini *calcem* dicunt, aut *pedem,* similiter hoc sensu. Nec in diphro fuit alia, qvam pars ab eqvis aversa, pronior nonnihil in terram, unde adscensus in tarrium dabatur. Verum qvoniam hæc cuncta valde sunt obscura, nisi aliqva

declarentur imagine, placet hic apponere figuram diphri veteris, prout in nummis reperitur, in qvibus bigæ ac id genus occurrunt. Confer Goltii nummos Syracusanos in tabula prima, Messanenses in tabula septima, Himeræenses in tabula undecima, & alios.





A. est τὸν ὅλον. B. τάρριον. C. πάναξ. D. καπάνη. E. μεσάτιον. F. μείλαι. G. ἀσπιδίσκη. H. ἀξινλίς. I. πλέγνα. Et hic qvidem diphros est Græcorum in vehiculo militari. Cui hac parte fuit simile vehiculum circense. At in cæteris alia ejus fuit forma, sicut supra qvoq; annotavimus. Facit autem Pollux stantem supra ὑπερλεξίαν. Qvod non sic intelligendum, qvasi ea ὑπερλεξία capsæ instar fuerit, sicut ante diximus de ὑπερλεξία. Nihil enim tale cernitur in antiqvis monumentis, neq; ratio permittere videtur. Nempe generalis vox ὑπερλεξία est, ac id omne denotat, qvod axi aut vehiculo imponitur. Erat verò id generis ferè duplicis, vel cum parietibus, vel sine ipsis. Cum parietibus, ut in capso,

pso, sirpiculo, & hujusmodi. Qvod parietibus fuit destitutum, id erat rursum duplici in differentia, nam vel ex nudis planisq; compositum fuit tabulis, qvo fortassis spectat specialiori sensu, qvod exponunt πλινθίον τετράγωνον, qvoniam πλινθίον in communi vita notat laterem, cui similis illa tabula qvodammodo fuisse videtur, qvia erat & qvadrata, & oblonga, & plana, nullisq; parietibus munita. Vel ex regulis ligneis contextum instar cratis, qvod propriè intellexisse Græci per ἐσχάραν videntur. Hujusmodi ὑπερίδι imponebatur δίφρῳ sive sella. Sic enim imponere & alia solebant. Et en tibi plaustrum cum hyperteria instar tabulæ, super qvam stat capsa viminea cum herbis, qvalis sirpea Latinis.



Exhibet hoc plaustrum nobis Lucas Petus in libro de Mensuris & Ponderibus Romanorum, ex ædibus Fr. Porcii desumptum. In qvo tametsi accuratè omnia delineata non existimem, cumprimis verò tympana sive rotas, tamen evidenter satis ex eo discimus figuram veteris ὑπερίδος, atqve, cur πλινθίον dictum fuerit, cognoscimus. Qvid enim aliud tabula oblongè qvadrata, simplex, planaqve, nobis litera A. notata, qvam πλινθίον? Alterius generis in antiqvis monumentis necdum observasse recordor imaginem. Nec tamen dubitare possum, qvin fuerit istiusmodi.



Certè non est alia figura, qvæ nobis verius exhibeat ἐσχάραν. Neqve, mea opinione, illa fuit alia in agrestibus vehiculis. Manetq; usus talium ἐσχάρων seu craticularum in plaustris curribusqve frequentissimus, nostris etiam temporibus. Cæterum vehicula, in qvibus capsa istiusmodi, sive ex tabellis, sive rebus aliis, generali voce sunt ἐνθρόνια Polluci lib. X. cap. 12. Gvaltherus vertit, *sedibus instructa*, qvod non satis qvadrat. Fuerunt autem duplici in differentia, capsam enim illam habuerunt vel apertam, vel supernè tectam. De aperta non est, ut probemus, cum sit notum. Tectam intelligimus ex Livio, qvi ob eam currum nominavit *arcuatum*. *Curru arcuato vehi jussit, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere: significantes, fidem tutandam, sedemque ejus etiam in dextris sacram esse*, ait lib. I. cap. 21. de Fidei flaminibus. *Currus arcuatus* hic non alius, qvam clausus opere arcuato, testudinis aut fornicis instar. Qvod ex eo qvoq; liqvet, qvia dicit Livius, significari per hunc arcuatum currum debuisse *fidem tutandam*; nec enim hoc potuit, nisi clauso curru atq; tecto. Pro curru *arcuato* Lucanus usurpavit *constratum* lib. I. ubi de covino:

*Et docilis Rector constrati Belga covini.*

Ita ibi legendum, sicut alias ostendam. Et sic Curtius lib. IX. c. 10. *Vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent.* Servius dixit *tectum* ad lib. VIII. Æn. *Quidam*, ait, *pilenta tecta cista, sed vulgo dicta tradunt.* Sic sunt emendanda ea verba, qvod itidem alibi monstrabo. Plinius lib. VII. ep. 21. *Huc tecto vehiculo undique incluſus, quasi in cubiculo, perveni.* Græcis hæc vehicula sunt καλάσιγα & σιγασά, itemq; καμάραι, ut nos docet Pollux supra dicto loco. Didymus καμαρώλης vocavit apud Athenæum lib. IV. cap. 7. Ex qvo sunt, qvi

ab

ab Ulpiano dicta putant *vehicula camerata*, scilicet à καμάρᾳ sive *camera*, quod incurvum notat tectum, atq; ita etiam de vehiculorum seu capsarum tectis usurpatum. Latini alias hæc tecta nominarunt *tympana*, si qvæ Servio est fides. Ita enim habet lib. Georg. Virg. II. *Tympana, tecta vehiculorum.*

## Cap. VIII.

## De Animalibus domesticis ad vehicula.

*Boves primum juncti ad vehicula. Bos ruricola, arator. Prometheus eos primus junxit.* Κνώδαλα. *Alii hoc Baccho tribuunt, vel Osiridi, quod explicatur. Alii Cereri, de quo Vossii sententia ponderatur. Alii Philomelo. Hyginus emendatur. Alii Buzygi seu Epimenidi, vel Habidi, quod exponitur. Lucretius refellitur & Tertullianus. Res equestris de dorso, de jugo. Isidorus notatur. An equitare prius sciverint, quam equos jungere vehiculo. Pollux examinatur & exponitur, cum Scholiaste Homeri & Plinio. Thessali, Centauri, Bellerophon, Sesamhoses aut Sesostris quid invenerint. Boves adhibiti etiam ad vehicula ornatiora & civilia. Sacerdotum, Regum, Matronarum, Reginarum, militum. Leonis interpres notatur. Boves in cursu publico. Boves aliquando sat veloces. Asini ad vehicula. Vehere collo. Columella explicatur. Asini ad aratra & molas. Asinus molaris, machinarius. Muli ad vehicula. Festus explicatur. Num juncti prius, quam equi. Oxylus quid excogitarit. Scholiastes Pindari rejicitur. Muli ad currus regios imperatoriosque, item mulæ. Iumenta pro mulabus. Mulæ in vehiculis Matronarum Præsidumque in provinctis. Mulæ carrucariæ. Quid in eis spectatum. Mulæ in cursu publico, rheda fiscali, & vehiculis aliis ad iter. Mulæ celeriores mulis. Muli etiam ad rhedas. Varro emendatur. Item plaustra.* Ὑποζύγια *pro mulis. Locus Regum IV. cap. 5. examinatur, versioque illius Græca rejicitur. Muli ad clitellas. Mulæ ad vehicula aptiores.* Ζεύγη ἡμιόνων. *Mulæ ad trahendas molas & aratra. Bos, an mula præstantior. Equi ad plaustra quoque, rarissimè ad aratra.*

VEhicula cum sua sponte aut virtute propria incedere haud valeant, duci trahive debent ab aliis. Illi sunt vel homines, vel bruta. Bruta sunt vel domestica, vel feræ ad hoc domitæ. Nam omnium

omnium olim usus fuit, hodieq; aliqvando esse consvevit in vehiculis. Ex domesticis animalibus notissimi receptissimiq; boves sunt ac eqvi. Qvorum qvodnam primum ad hos usus fuerit adhibitum, dubitari posse videtur. Nam & eqvos in vehiculis Scriptores vetustissimi commemorare solent. Pro bubus tamen plura facere putarim. Eqvus sanè sua indole naturaq; ferocior, longèq; difficilius regi potest; præterea est bellicis negociis ac pugnis aptior. At verò bos est genitus ad laborem, maximè agrestem. Cic. II. de Nat. Deor. *Boum ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum figurata. Cervices autem natæ ad jugum: tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda.* Hinc apud Ælianum nostrum appellatur γεωργὸς, lib. V. cap. 14. Qvomodo legimus alicubi apud Priscianum:

*Agricolasque boves plaustris domitare sonoris.*

*Ruricolas* pro eo dixit Ovidius lib. I. Fast.

*Lanigerumque pecus, ruricolæque boves.*

Hesiodo ex hac causa bos est' ἀροτὴς. lib. II. Oper. Qvod occurrit & in veteri lege Attica, cujus mentionem facit Ælianus noster, ante dicto loco, & repetitur ab Arato v. 133. Phæn. Latini pariter sic *bovem aratorem* usurparunt. Svet. in Flav. *Bos arator discusso jugo triclinium irrupit.* Ovidius loco ante dicto:

-- -- *Cedebat taurus arator equo.*

Constantino *bos* est *aratorius* l. 1. t. 30. C. Theod. *Non servos aratores aut boves aratorios pignoris causa de possessionibus abstrahunt.* Jam qvia bos arator est, *sociumque laboris agrique culturæ habemus hoc animal*, uti Plinius de ipso loqvitur, qvin ipsius qvam eqvorum usus sit vetustior, in vehiculis ambigi vix potest. Nemo enim dubitat, qvin agricultura sit antiqvior militia, ad qvam olim eqvi maximè, ac fortassis primum adhiberi consveverunt. Bovem certè primum ad agriculturam usurpatum consensu tradunt antiqvi. Unde Ovid. lib. I. Met. *Semina tum primum longis Cerealia sulcis*

*Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.*

Loqvitur de primis temporibus orbis conditi, & argentea ætate, statimq; cum agricultura ipsa, boum ad aratra & vehicula junctu-

ram

ram ostendit inventam, nulla facta equorum mentione. Igitur & Hesiodus, Poëta vetustissimus, non equos comparari sibi vult ad opera agrestia, sed boves. Verba ejus sunt in II. Oper.

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροῆρα.

Facit huc, quod apud Æschylum Prometheus de junctura utriusque, bovis & equi, loquens, primo loco bovē nominet. Verba ejus:

Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖς κνώδαλα
Ζεύγλαις δ' ἐλεύσιν' ἀσώμασιν θ' ὅπως
Θνητοῖς μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων.
Τένιον θ'. -- -- -- --

*Primus ad juga copulavi jumenta collis & corporibus servientia, ut hominibus maximorum laborum exæquatores fierent.* Κνώδαλα hic plane boves. Scholiastes ibi: Ἔζευξα ἐν ζυγοῖς κνώδαλα καὶ βόας ἐλεύσιμας. Boves ergo primum subjugati, & aratro, mox vehiculo adjuncti. Fuitq; rei hujus auctor Prometheus, si Æschylum audimus. Nec fortassis contemnendus est, cum Prometheus sæpissimè sit Noa. Vossius I. de Idol. cap. 18. *Addam, Patriarcham Noe non in solo nobis adumbrari Saturno, sed etiam Prometheo.* Et hoc probat in seqventibus. Noam porro primum post diluvium excoluisse agros notum. Diodorus Siculus hoc tribuit Dionysio seu Baccho, cognomento Sabacio, Jove ac Proserpina edito. *Ingenii hunc ajunt acumine præstitisse, (καὶ πρῶτον ἐπιχειρῆσαι βοῦς ζευγνύειν) primumque boves instituisse jungere sub jugum, primumque sementem fecisse.* Qvod de origine Bacchi hujus Sabacii habet Diodorus, fabulosum est. Nam Sabazius vel Σαβάζιος est *Sabaoth*, Deus ipse, à qvo artes omnes, & sic istam qvoqve, accepimus. Vide Vossium lib. II. Idol. cap. 14. & Dickinsonum in Delphis Phœnicizantibus cap. 10. Potest tamen sepositio hoc cognomento Bacchus esse Noa qvoqve, qvomodo & in aliis sub hoc nomine intelligendus est. Maximè, cum de Baccho Indico confirmet Arrianus in de Rebus Indicis: Βόας τοῦτο ἀρότρῳ ζεῦξαι Διόνυσον πρῶτον λέγουσι. *Ajunt, Dionysium seu Bacchum primum ad aratrum junxisse boves.* Nisi malum nus Indicum hunc Dionysium esse ipsum illum, qvi Ægyptiis appellabatur Osiris. Juvat, qvod Tibullus de Osiride lib. I. el. 7.

*Primus aratra manu solerti fecit Osiris.*

Et Servius ad illa Poëtæ lib. I. Georg. *Vncique puer monstrator aratri: Alii Triptolemum, alii Osirim volunt, quod magis verum est.* Sanè Osiris est Chamus, Chamive filius, qvi cum post diluvium condiderit Ægyptum, qvid est mirum, si aratrum ibi primus dicatur reperisse. At sic qvoq; gloria inventi revertetur ad Noachum, cujus filius fuit Chamus. Et hæc qvidem hactenus non malè se habere videntur. Cætera fabulis propiora, ut qvod de Cerere Hyginus habet fab. ult. *Ceres fruges serere, boves domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere docuit.* Qvanqvam Cererem hanc Vossius esse putet Isidem, Osyridis uxorem. Sed videtur repugnare Triptolemi ætas, qvi cum vixerit post Abrahami tempora, qvomodo alumnus esse Cereris potuerit, Osyridis æqvalis, parum liqvet. Nam qvod Triptolemum ipsum explicat Osyridem, propterea non qvadrat, qvia ipse qvoq; auctor hujus rei traditur, nec est verisimile, mulierem hoc primum inveniisse. Qvid? qvod Petellides Gnosius non Cererem, sed filium ipsius Philomelum laudet isto nomine. Verba sunt Hygini ad Aratea: *Hermippus, qui de sideribus scripsit, ait, Cererem cum Iasione, Thusci filio, concubuisse. Ex his, ut Petellides Gnosius, historiarum Scriptor, demonstrat, nascuntur filii duo, Philomelus & Plutus: quos negant inter se convenisse. Nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse. Philomelum autem necessariò adductum, quodcunque habuerit, ex eo boves duos emisse, & ipsum primum plaustrum fabricatum esse, itaque arando & colendo agros ex eo* (sic legendum est, non *eos*) *se aluisse, cujus matrem inventum miratam, ut arantem eum inter sidera constituisse, & Bootem appellasse.* Hic miratur Ceres, filium non plaustrum modò ducentem, sed & *arantem*, qvasi nil de eo ipsa sciverit. Qvanqvam falsum esse hoc oporteat, vel propter ea, qvæ jam ante diximus. Multo autem magis illud, qvod à Plinio affertur lib. VII. cap. 57. *Bovem & aratrum Buzyges Athenienſis invenit.* Pro *Buzyges* in vetustis libris *Briges*, item *Bytyges* occurrit. Verum *Buzyges* est rectum. Fuit autem Buzyges, qvi alias & Epimenides est dictus. Servius ad Georg. I. *Osyris significatur, ut Philostephanus* περὶ ἐυρημάτων, *vel Epimenides, qui postea*

*ea Buzyges dictus est secundum Aristotelem.* Hesychius: Βυζύγης, ἥρως Ἀττικὸς, ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας. Ἐκαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης. *Buzyges, heros Atticus, qui primus boves ad aratrum junxit. Vocatur autem Epimenides.* Qvis hic fuerit Epimenides, haud liqvet. Nam Philosophus antiqvus hujus nominis fuit Cnosius ex Creta, non Athenien-sis. At noster ἥρως Ἀττικὸς, qvomodo Plinio *Buzyges Athenien-sis?* Tamen, qvoniam Athenien-sis dicitur, Cerere vel Osiride vetu-stior fuisse. Saltem, si qvid veri huic narrationi subest, ad Athe-nien-ses ea solos spectabit. Plane sicut ea, qvæ de Habide occurrit, (lib. XLIV. Justini, cap. 4.) ad solos pertinet Hispanos. Verba ejus sunt, de Habide: *Boves primus aratro domari, frumentaque sulco quærere docuit.* Non potest Habides hic esse Cerere vel Osyride vetustior. Cæterum fuisse boum usum in vehiculis ante usum eqvorum etiam ex eo colligas, qvod eqvos primus ad vehiculum junxisse dicatur Neptunus. Fuit enim Neptunus antiqvissimus Ja-petus, filius Noachi, qvem ostendimus per Prometheum indigita-ri, boum primum domitorem. Scholiastes Pindari ad Od. IV. Pyth. de Arcesilao, ubi ἐυίππε Κυράνας facit mentionem: Τὴν Κυρήνην ἔυιππον εἶπεν, οὐκ ἐκ τῆ παραλυχόνι, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τὰς Λίβυας διδάξειε τὴν τῶν ἁρμάτων καλάζευξιν. *Cyrenem vocat equestrem, non casu aliquo, sed quod Neptunus Libyos docuit jungere vehicula.* Καλάζευξις non potest hic in-telligi, nisi qvæ fit junctis eqvis, qvoniam ad ἔυιππον refertur, qvod explicare debet. Hanc ergo Neptunus reperit post illam boum subjugationem, qvæ auctorem habet Prometheum. Neq; aliud vi-detur voluisse Statius Theb. VI. istis verbis:

*— — Neptunus equo (si certa priorum*
*Fama) pater primus teneris læsisse lupatis*
*Ora, & littoreo domitasse in pulvere fertur.*

Sic ista distingvenda sunt. Malè namq; punctum ponitur post *pa-ter*. Qvæ habet Statius de eqvo, aliter, qvam de juncto ad vehicu-lum, intelligenda non videntur. In hoc enim univer-si consentiunt, qvod ad currus primum fuerint aptati. Palæphatus in fabula de Centauris: Πρότερον οὐκ ἠπίσαντο ἐφ' ἵπποις ὀχεῖσθαι, ἀλλ' ἐπὶ μόνων ἁρμασιν ἐχρῶντο. Vertit Tollius: *Nescivere prius equis vehi, sed curribus solum utebantur.*

*tur*. Loqvitur de illis, qvi vixerunt ante Centauros. Floruerunt autem ipsi temporibus Ixionis, Thessaliæ Regis, qvi duabus circiter generationibus excidium Trojanum antecessit. Unde potest colligi, qvanto ars eqvestris sit recentior curruli. Eustathius de iisdem Centauris, ad Il. I. Ἁρμαλιπλαλεῖν ἀφέντες, πελιλίζειν ἐπεισ' ἐύσαυλο, ἤγαν' ἀζύγιοις ἵπποις ἐποχεῖσθαι. *Omisso vehiculorum usu docuerunt singulari equo vehi, vel equitare equis nullo vehiculo junctis*. Apparet, eqvos jugales & vehiculorum usum habitum vetustiorem. Itaq; non video, qva commotus ratione ita scripserit Lucretius lib. V.

*Et prius est armatum in equi conscendere costas,*
*Et moderarier hunc frenis, dextraque vegere,*
*Quam bijugo curru belli tentare pericla.*

Qvanqvam videatur habere consentientem sibi Tertullianum, qvi sic lib. de Spectac. cap. 5. *Res equestris retrò simplex de dorso agebatur*. Hic res eqvestris *de dorso* ea est, qvæ perficitur de dorso eqvi, cum homo ipsi insidet, opponiturqve illi, qvam mox nominat *de jugo*. Qvod ignoro, an sit assecutus Isidorus, qvoniam lib. XVIII. c. 27. ubi affert reliqva, hoc omittit. Verba ita habent: *Res equestris antea simplex agebatur, & utique communis usus reatus non erat*. Adde cætera: Liqvet enim, omnia ex Tertulliani dicto loco esse desumpta. In qvo cum legatur *reus*, non *reatus*, hoc qvoq; nescio, an debeat haberi sanum. Qvicqvid fuerit, censent Isidorus & Tertullianus rem eqvestrem non de jugo, id est, eqvis subjugatis junctisq; ad vehiculum, sed de dorso per conscensionem in eorum terga factam esse primam, atq; sic Lucretium seqvuntur. Qvod nec memoriæ rerum, nec naturæ ipsi convenire satis videtur. Certè, si, qvod supra demonstratum est, initio adhibuere boves, eosq; junctos ad aratrum aut vehiculum, simplicius erat ab ipsorum junctura venire ad juncturam eqvorum, qvam ad ipsorum conscensionem eqvitationemqve. Adde, qvod ob ferociam eqvus vehiculo junctus rectius & facilius regatur. Nisi qvis existimet, Lucretium ad sola respexisse bella, inq; his eqvos simplices ante currus usurpatos putasse. Qvanqvam & de eo possit dubitari. Pollux sanè Trojanis temporibus simplicium eqvorum conscensionem existimat

fuisse

fuisse ignoratam. Verba ejus lib. I. cap. 10. 9. Λίβυες ὁ καὶ ἀπὸ δίφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες, μάχονται. Οὔτε γὰρ ἓν ἵππῳ ἐποχούμενον ἴσασιν οὔτε μονίππους ἱππέας. *Afri verò de curribus equisque junctis, sicut & Homeri heroes, pugnant. Hic enim unico equo utentes equites non noverat.* Qvando negat Homerum sciviſſe ſingulares eqvites, fallere videtur. Nimis enim clara ſunt, qvæ habentur Iliade K.

Καρπαλίμως δ' ἵππων ἐπεβήσατο. Κόπτε δ' Ὀδυσεὺς
Τόξῳ. Τοὶ δ' ἐπέτοντο θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

*Confeſtim autem equos adſcendit, verberabat autem Vlyſſes arcum, hi verò volabant celeres ad naves Achivorum.* Loqvitur de Diomede, qvem ait conſcendiſſe non vehiculum, ſed eqvos. Sed & in Odyſſ. E. ab eqvitante accipit ſimilitudinem, qvod non potuiſſet, ſi eqvitationem ignoraſſet. Verba ſunt Homeri de Ulyſſe naufrago:

Ἀμφ' ἐνὶ δούρατι βαίνε, κέλητι δ' ὡς ἵππον ἐλαύνων.

*In unum lignum conſcendit, velut equum ſingularem compellens.* Nominatim κέλητα hic vocat. Porro κέλης, ut eſt auctor Scholiaſtes vetus, qvem nonnulli Didymum appellant, ὁ ἐστὶν ὁ ἄζευκτος ἵππος, *equus vehiculo non adjunctus.* Latini pari modo *celetem equum* appellarunt, uti liqvet ex XXXIV. lib. Plin. cap. 5. Non igitur ignoraſſe potuit Homerus hoc genus κέλητος, ſicut Homerus ipſe appellat, vel μονίππους, ſicut à Polluce explicatur. Atq; ita qvondam cenſuit & Brodæus. Neq; tamen, ſi Homerus ſcivit, eo uſurpaſſe temporibus Trojanis neceſſe eſt. Et obſervant veteres Magiſtri errorem hac in parte apud Homerum. Euſtathius: Οἱ παλαιοὶ λέγουσι καὶ ὅτι ἀναχρονισμῷ σχήματι ἐνταῦθα χρῆται ὁ ποιητής. Κέλητες γὰρ οὐκ ἦσαν πρὸ τοῦ ἥρωσιν, ἀλλ' ὑστερογενὲς τὸ εὕρημα. *Veteres ajunt, figura anachroniſmi uſum hic Poëtam eſſe. Celetes enim vel ſingulatores non fuere inter Heroës, inventum namque ætatis poſterioris.* Sed fortaſſis non neceſſe eſt, ut Homerum arguamus. Nam ne ipſe qvidem usqvam Heroës ſuos facit inter ſe certamina ex eqvis edere. Qvod unicum voluiſſe Pollux videtur in verbis præcedentibus. Nam alias non tam indiligentem credimus fuiſſe Homeri lectorem, ut loca ſuperius allata ignoraverit. Et agit totum illud caput non de re vehiculari in univerſum, verum ea, qvæ recepta eſt in bello. Atq; tali modo etiam accipienda verba Scholiaſtis.

liastis ad Il. O. Κελεΐζειν ἵππον κέλητα ἐλαύνειν. Κέλης ὁ μονάμπηξ, παρὰ τὸ κέλειν, βαδίζειν. ὅθεν καὶ κελευθὸς. Ἐπὶ τὸ παλαιὸν ὡς ἐπίπαν τοῖς ἅρμασιν ἐχρῶντο. *Celetezein, equo celere vehi. Celes, equus singularis, à celein, id est, incedere. Vnde & celeuthos. Antiquitus per universum ferè vehiculis utebantur.* Vult, opinor, usos veteres vehiculis ad prælia, nec nisi ferò receptam nostram eqvitandi rationem. Neq; colligas ferè aliter ex Sacris. Sanè Pharaonis exercitus, qvi est inter antiqvissimos, qvorum ad nos memoria pervenit, à Mose censetur numero non eqvitum, sed curruum aut vehiculorum. Verba Mosis Exodi 14. de Pharaone: *Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & Duces totius exercitus.* Similia legas de exercitu Siseræ Judicum cap. 4. *Clamaveruntque filii Israël ad Dominum. Nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos.* Licet autem curribus ad prælia sint usi ante singulares eqvos, tamen penitus ignotam extra prælia qvoq; eqvitationem fuisse non necesse est. Nam, ut supra vidimus, diu ante tempora Trojana eam ad venationem usurparunt Thessali. Qvomodo intelligendus Plinius, qvando ait lib. VII. cap. 56. *Pugnare ex equo Thessalos, qui Centauri appellati sunt,* docuisse ferunt. Fuit enim pugna ista non adversus homines in prælio, sed tauros in venatione, unde nomen Centaurorum acceperunt, sicuti Palæphatus testatur. Sed & ante Thessalos adhibuerunt ad res alias, si verum est, qvod habet idem Plinius de Bellerophonte verbis paulò ante occurrentibus: *Equo vehi Bellerophontem* docuisse ferunt. Vixit enim Bellerophon ante CHRISTUM anno circiter MCCCLX. ut Petævius existimat, id est, annis centum triginta & amplius ante Thessalicos Centauros. Sanè, qvando nominatim scribit *vehi* eqvo docuisse, videtur Bellerophonti hoc tribuere, qvod celeritatem eqvi ad itinera conficienda primus observarit, & ad usus adhibuerit humanos. Qvanqvam ne hoc qvidem fortè ipsi aliter concedi possit, qvam qvatenus ostenderit apud suos. Nam alias de Sesanchose, qvem & Sesostrem appellant, Ægyptiorum Rege, Dicearchus: Πρῶτον φασὶν αὐτὸν εὑρικέναι ἵππων ἀνθρωπον ἐπιβαίνειν. *Ajunt eum primum invenisse, quomodo conscendere homo equum possit.* Vixit Sesostris

ſoſtris, ut doctiſſimus in his ſupputat Rupertus, circa annum mundi MMCDLXXV. Unde liqvet, Bellerophontem anteceſſiſſe annis qvaſi centum atq; qvindecim, cum Bellerophontis ætas cadat in annum mundi MMDXC. Jam cum hos omnes longo intervallo ſuperaverit Neptunus, qvem junxiſſe eqvos ad vehicula oſtendimus, hanc rationem eſſe illa altera vetuſtiorem, clarum arbitramur. Adhibuerunt autem boves olim non ad aratra ſolum, operave ruſtica, ſed & alia vehicula. Sic qvo Sacerdos Junonis ire ad ſacra ſolebat, bobus trahebatur. Colligitur ex hiſtoria Cleobis & Bitonis, de qvorum matre, qvæ Sacerdos talis fuit, Herodotus lib. I. Ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι ἐς τὸ ἱρόν. Οἱ δὲ σφι βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. *Oportebat plane matrem eorum vehiculo juncto ire ad templum, boves verò ex agro in tempore non venerant.* Simile qvid obſervatum in Sacerdote Dianæ. Heliodorus lib. III. de Chariclia eo munere fungente: Ἤγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁρμάμαξης ὑπὸ συνωρίδος λευκῆς βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur in carpento, quod jugum boum album trahebat.* Apud Gallos etiam regiis vehiculis adjungebantur. Eginhartus in vita Caroli Magni de Rege Gallorum ſeu Francorum: *Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis & bubulco ruſtico more agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conventum, ſic domum redire ſolebat.* Manet eadem conſvetudo hodieq; apud regulos Indorum, ſicut diſcimus ex Itinerario Olearii, qvi vidiſſe ſe hujusmodi aliqvem cum vehiculo à bobus tracto ſcribit lib. IV. cap. 29. verba poſtea recenſebo. Romæ jungebantur carpentis feminarum. Hinc Lampridius in Heliog. c. 4. *Facta ſunt Senatusconſulta ridicula de legibus matronalibus, &c. quæ aſino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum.* Reginarum vehicula traxiſſe apud Æthiopas videntur. Ita ſanè deſcribit Heliodorus lib. X. Ἐφ' ἁρμάτων βοῶν λευκῶν ἡ Χαρίκλεια αὐτὴ Περσίνη ἐπὶ τὴν Μερόην παρεπέμπετο. *In curru boum alborum Chariclia & Perſina Meroen deducebantur.* Ad vehicula, in qvibus ſarcinæ militares, vix alia qvondam animalia. Inde Pollux lib. I. cap. 10. Χρεία δ' εἰς τὸν πόλεμον, σκευοφόρων μὲν ὄνων, ἐπισκευαζομένων ὑπὸ βοῶν ὑφ' ἁμάξαις. *Ad bellum verò opus eſt arma ferentibus aſinis, bobus ad currus præparatis.* Et Mauritius noſter docet, qvomodo

modo regi hæc vehicula debeant, ut, qvi ex eis pugnant, habeant velut murum ante se, καὶ οἱ βόες φυλάττωνται ἀπὸ τῶν βαλλομένων σαγιττῶν, *& boves præstentur tuti à jactu sagittarum.* Libri XII. parte secunda, §. 18. unde idem intelligitur. Accedit & Leo, qvando ita habet cap. XI. §. 45. Ἐπινοήσεις ὃ εἰς τὰς βόας τῶν ἁμαξῶν. Mutilatè reddidit interpres: *Observabis etiam boves diligenter:* cum debuisset, *boves vehiculorum,* scribere. Vegetius collocat & ad carpenta, in qvibus vehuntur onagri, si scriptura ejus non est vitiosa. Ita namq; habet lib. II. cap. ult. *Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus portantur armati.* Dicit portari onagros illos in carpentis bobus, pro, à bobus, trahentibus videlicet carpenta illa. Fuit olim boum usus etiam in cursu publico. Hinc Imperator Constantinus in l. 1. t. 5. lib. VIII. C. Theod. *Si quis iter faciens bovem non cursui destinatum, sed aratris deditum, duxerit abstrahendum.* Ostendit, boves certos huic negocio adhibitos, qvi fuere alii, ab agresti operi addictis. Meminit & Constantius Imperator in epistola ad Helpidium ejusdem tituli l. 11. *Pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur.* Item Arcadius & Honorius, l. 53. *Si qui vel per unam mutationem veredum mulamve aut bovem superducendum esse crediderit, memoratam fisci viribus multam inferat.* Verum qvomodo in cursu publico animal tam tardum? Puto non tam homines, qvam species fiscales, opera eorum deduci consveviſse. Qvanqvam nec tam lenti ubiq; boves. Referam, qvod memorat Olearius in Itinerario suo, loco antea indicato: *Postea fiebat nobis obviam regulus Indorum cum Indicis equitibus nonnullis & servulis. Vehiculum ipsius peculiari ratione structum incumbebat rotis duobus parvis in axi non vulgari, verum ferro benè crasso, quod sursum erat inflexum inter rotas, discurrentibus. In vehiculo supernè tecto sedebat Myrsa una cum alio flexis ad inferiora pedibus. Vehiculum ipsum trahebant boves Indici coloris albi pulcherrimè nitentes, collis brevibus, in cervice prope humeros gibbosis, quorum cornua rubro colore picta erant. Circa collum multa habebant tintinnabula. Temo supra boves eminebat. In fronte vehiculi sedebat auriga, boves regens fune per nares ipsorum trajecto. Et currebant ipsi tanta celeritate arteque,*

*quanta*

*quanta possit equus optimè edoctus.* Habes hic boves Indicos, eqvis nihilo tardiores. Qvales credere possumus & ad cursum illum publicum adhibitos, si opus esset festinatione. Post boves nescio, annon ad vehicula sint juncti asini, & ipsi ante eqvos. Certè ipsi qvoq; mitiores tractabiliores q; sunt. Habes q; inter ministeria agrestia non minus asinos plaustrarios, qvam boves. Cato de R.R. cap. 11. *Boves duos, asinos plostrarios duos.* Columella de eodem lib. VII. c. 1. *Non minima pondere vehicula trahit.* Voluit hoc ipsum in subseqventibus: *Pleraque utensilia & vehere in urbem & reportare collo vel dorso commodè potest.* Nam *vehere collo* dicitur, cum jugo ad collum firmato vehit trahitqve vehiculum, & opponitur τῷ *dorso vehere*, qvod fit per clitellas dorso impositas, ut notum. Qvin imò Afri qvidam eos solent jungere aratro. Plin. lib. XVII. cap. 5. *In Byzacio Africæ illum centena quinquagena frugè fertilem campum, nullis, cum siccus est, arabilem tauris, post imbres vili asello, & à parte altera jugi anu, vomerem trahente, vidimus scindi.* Neq; alio respexit Deus ipse, qvando inter leges cæteras hanc edit Deut. 22. *Non arabis in bove simul & asino.* Nempe & Judæis usitatum fuit asinis arare. Unde apud Esaiam cap. 30. *Boves & asini terram colentes.* Neq; ignorarunt penitus Itali. Unde Varro II. R.R. 6. *Plerique deducuntur etiam ad arandum, ubi levis est terra, ut in Campania.* Et lib. I. cap. 20. *Ubi terra levis, ut in Campania, ibi non bubus gravibus, sed vaccis aut asinis arant.* Alias solenne ipsorum ministerium, trahere machinas farinarias, easq; reciproco gressu circumrotare, qvemadmodum ex Luciano Apulejoq; novimus. Columella lib. VII. cap. 1. *Iam verò molarum & conficiendi frumenti pene solennis est hujus pecoris labor.* Atq; ob hanc caussam inter cætera, qvæ ruri necessaria, Cato *asinum molarium* commemorat cap. 11. Erant enim, qvi gestandæ farinæ tantum putant destinatum. Alfeno JCto *asinus* est *machinarius*, l. 60. ff. de Leg. III. qvi ex eadem ratione censet in prædiis legatis contineri. Meminit ejusdem Ulpianus l. 12. §. 10. ff. de Instr. vel Inst. ubi jungit machinæ frumentariæ; unde intelligitur esse plane Catonis molarium, id est, eum, *qui molam machina quadam inclusam volvit & torquet*, sicut à Turnebo explicatur. De hoc locutus qvoq; Catullus est illo versu:

*Et non pistrino traderis atque asino.*

Ad qvem laudat Barthius Epigramma vetus lib. XXIV. Adv. cap. 5.

*Cum possis parvo sumptu conducere asellum,*
*Qui soleat teretes vertere ritè molas.*

Qvamvis autem & plostrarii sint asini, crebriores tamen & frequentiores in vehiculis sunt muli, qvos & ipsos ante eqvos aliqvi existimant adhibitos. Festus: *Mulis celebrantur ludi in Circo Maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui vehiculoque adjungi.* Dicit, primum currui adjunctos, qvod intelligendum puto non respectu omnium qvadrupedum, ita namqve falsum esset, verum solorum eqvorum. Qvanqvam & de hac re possit dubitari. Scholiastes enim Pindari Oxylum auctorem jungendorum mulorum facere videtur. Verba ejus sunt ad Pindari Pyth. Od. V. Ἀσράβην πρῶτος καὶ ἔζευξε Ὀξύλος ὁ Αἰτωλός. Hic Ἀσράβη, ut opinor, *mulus*; ut sit sensus: *Mulum primus iunxit Oxylus AEtolus.* Hesychius profectò: Ἀσράβη τίθεται ἐπὶ τῶν ἀναβαλικῶν ὄνων. Οἱ δὲ τὸ πλεῖον μὲν τῷ σωματίῳ ὂν ἡμιόνου ὕτως ἔλεγον. *Astrabe ponitur etiam pro asino, quem conscendimus. Plerumque autem sic vocantur muli clitellarii.* Qvibus verbis liqvet, Ἀσράβην mulum esse. Facit tamen mulum non currulem aut vehicularem, verum clitellarium. Convenitq; Pollux lib. VII. cap. 33. ubi vehicolario opponit. Ὄνος, inqvit, ἡμίονος, ἀσράβη, νωλεῖς καὶ ζύγιοι. Καὶ τὸ μὲν τῶν νωλέων ἡμιόνων ἀγώνισμα ἐκαλεῖτο κάλπη, τὸ δὲ τῶν ζυγίων, ἀπήνιον. Hic Ἀγώνισμα ἡμιόνων νωλέων est, qvod fit Ἀσράβαις. Sic Oxylus non primus junxerit ad currus, sed in ludis publicis mulos instituerit clitellarios, seu illud genus, qvod à Græcis calpe dictum fuit. Floruit Oxylus tribus circiter ætatibus post bellum Trojanum, ut qvi patrem Hæmonem, avum Thoantem habuit, qvi Thoas Atrei filiorum fuit socius in bello Trojano, qvemadmodum ex Pausaniæ Eliacis cognoscimus. Qvod abunde monstrat, non ab ipso primum junctos ad vehiculum fuisse mulos. Facit enim eorum in vehiculis mentionem etiam Homerus, ut Odyss. Z.

Οἱ μὲν ἄρ' ἐκ λὸς ἄμαξαν ἐϋτροχον ἡμιονείην
Ὦπλεον, ἡμιόνους δ' ὑπάγον, ζεῦξάν δ' ὑπ' ἀπήνη.

*Illi quidem foris currum velocem à mulis tractum instruebant, mulos verò*

*verò subigebant, adiungebantque vehiculo.* Atq; ita legimus & locis aliis. Sed nec in ludis publicis Calpen instituit, si credimus Pausaniæ, ut qvi Patæcum Achæum auctorem ejus faciat circa Olympiadem demum septuagesimam atq; primam. Ut videre Pindari Scholiastes debeat, qvo pacto sua tueatur. Muli sanè diu ante Oxylum fuere noti, nec modo alias, sed & ad vehicula adhibiti. Neq; tamen credam ante eqvos usurpatos, cum haud dubiè genus ipsum serius extiterit. Qvicqvid sit, mulorum usus fuit longè freqventissimus in re vehiculari. Atq; apud Homerum qvidem ipsius Priami Regis currum ducunt, Il. Ω. Sed & Nausicaæ, filiæ Regis Alcinoi, Odyss. Z. Etiam Medea, regia filia, lib. III. Apollonii, v. 840. jubet - - Οὐρῆας ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ.

*Mulos adiungere vehiculo.* Nam per ἐρῆας, ἡμιόνους innui Hesychius testatur. Unde constat magna in dignatione apud veteres fuisse. Neq; post eviluerunt. Nam & Cæsares Imperatoresq; illis usi suis in vehiculis. De Nerone Sveton. cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis.* Idem de Vespasiano, cap. 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse.* Nota, *mulas* utrobiq; dici, non *mulos*, illarum enim usus crebrior ad vehicula. Qvod abunde poterit liqvere etiam ex seqventibus. Conjuges Imperatorum mulas freqventissimè in vehiculis habuere. Inde videas carpenta cum mulabus in nummis Agrippinæ, matris Caji; Domitillæ conjugis Vespasiani; Faustinæ conjugis Antonini, atq; aliarum. Credo pertinere huc & verba Plinii lib. XXXIII. cap. 3. *Nostra ætate Poppea, coniux Neronis Principis, delicatioribus iumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Delicatiora jumenta mulas puto significare. Certè apud alios qvoq; *jumenta, mulæ.* Sic apud Juvenalem sat. III. cum præcessisset: *Sed iumenta vocant:* seqvitur: *Dudum mulio virga adnuit,* unde constat, jumenta esse mulas. Et in Sulpitii Severi Dialogo II. cap. 4. legimus: *Consumit Gallicas mularum pœna mastigias*; cum tamen antecesserit: *Agi, quo ire cœperant, iumenta præcipiunt.* Præter Reges Imperatoresqve, ipsorumq; seu conjuges, seu alias conjunctas, etiam aliæ opulentiores honestioresq; feminæ ad vehicula habe-

bant mulas. Inde Senatusconsultum Heliogabali, cum luxu earum usus fieret promiscuus, de matronis, *quæ asino veheretur, quæ carpento mulari.* Et solebant à maritis exigere, præsertim locupletiores elatioresqve. Tertullianus lib. II. ad Uxorem, cap. 5. eo respexit illis verbis: *Vnde, nisi à diabolo maritum petant, bonum exhibendæ sellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis.* Viris qvoq; in dignitate constitutus serviebant in vehiculis. Præsidibus Provinciarum sanè Alexander Severus constituit *mulas senas, mulos binos, equos binos,* cum in aliqvam dimitteret provinciam, sicuti Lampridius in vita ejus cap. 12. notavit. Ubi bene Salmasius mulas pertinuisse ait ad rhedas vel carrucas. Dicit autem ibi Lampridius, feciſſe hoc Severum *exemplo veterum.* Sed illi qvidem veteres mularum nullam, qvantum scio, faciunt mentionem, de mulis solis loqvuntur. Liv. lib. XLII. cap. 1. *Magistratus mulis tabernaculisque & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Sic Svetonius de Augusto, qvi pro rebus pecuniam præberi eis jussit, cap. 36. *Auctor fuit, ut Proconsulibus ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari solebant, certa pecunia constitueretur.* Mulos igitur habebant olim, non mulas, eosq; non ad carpenta vel carrucas, verum clitellarios. Postea mollitie crescente sumsisse qvoq; ad carrucas videntur easq; mulas. Usurparunt certè & alii. Inde *mularum carruchariarum* mentio apud Ulpianum l. 38. §. 8. ff. de edicto ædil. *Quæsitum est, si mula talis sit, ut transiungi non possit, an sana sit? & ait Pomponius sanam esse, plerasque denique carrucarias tales esse, ut non possint transiungi.* In his porro datam operam observo, ut essent nitida, ut ejusdem omnes coloris. Hoc enim respectu Seneca, reprehendens luxum sui temporis, ep. 87. *Quid ad rem pertinent mulæ saginatæ, unius omnes coloris?* Neq; alia fortassis caussa, qvod sic pretia illarum augerentur. Martialis certè memorat venditas qvandoqve carius, qvam domos. Verba lib. III. ep. 62.

— — *Pluris mula est, quam domus, empta tibi.*

Mulos habuerunt etiam in cursu publico. Inde Arcadius & Honorius Imperatores l. 53. de Cursu publico Cod. Theod. *Si qui vel per unam mutationem veredum mulam ve superducendam esse crediderit, &c.*

*rit, &c.* Et nominatim in fiscali rheda observamus apud Sulpitium Severum Dial. II. cap. 4. *Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat, &c.* sequitur, quomodo verberarint Martinum, & ob id jumenta eorum porro ire nequiverint. *Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias.* Solebant quoq; jungi vehiculis vulgaribus, quibus iter faciebant. Hinc Ausonius ad Axium Paulum, quem ad se invitat, Epist. 8.

*Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ.*

Et ad Paulum, ep. 14. quem cupit venire, verum nullis vectum mulabus: *Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.*

Ubi nota, celeritatem mularum laudatam. De qua nescio quis in Catalectis etiam Virgilianis ad Sabinum:

*Sabinus ille, quem videtis hospites*
*Ait fuisse mulio celerrimus*
*Neque ullius volantis impetum cisi*
*Nequisse præterire, sive Mantuam*
*Opus foret volare, sive Brixium.*

Vocat mulionem celerrimum propter mulas, quas habebat celeres in vehiculo, quo solenne iter faciebat vel ad Mantuam, vel ad urbes alias. Quod liquet etiam ex sequentibus, ubi mentionem facit mularum. Atq; hæc est caussa, cur de suo vehiculo, quo faciebat iter, Seneca epist. 87. *Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est. Mulæ vivere se ambulando testantur.* Vult illo se vehiculo incessisse lento gradu, contra consvetudinem communem. De celeritate illa mularum testes sunt & alii. Nam & Ausonius supra *rapere* petorrita dicebat, quod celeritatem illam indicat: & de omnibus ab equa genitis testatur Plinius, quod sint *veloces in cursu.* Quanquam verò mulas habuerint frequenter ad hoc genus vehiculorum, tamen mulos quoq; ad id usurparunt. Inde namq; *muli* sunt *rhedarii* apud Varronem lib. III. de R. R. cap. ult. *Celerius voluntate Hortensii ex equili educeres rhedarios, ut tibi haberes, mulos.* Scaligeriana & Commeliniana editio præfert *mulas.* Verum altero modo legitur in vetustioribus codicibus. Et Varro ipse ad hos usus mulos nomi-

nat, non mulas. Verba ejus lib. II. cap. 8. *In grege mulorum spectanda ætas & forma, alterum, ut vecturis sufferre labores possint, alterum, ut oculos aspectu delectare queant. Hisce enim binis cunctis omnia vehicula in viis ducuntur.* Loqvitur de vehiculis in viis, & ad ea mulis, non mulabus. Sed qvid est, *labores sufferre vecturis?* Qvi nam illi *vecturi*, qvive *labores?* Puto plane, Varronem scripsisse *vecturæ*, ac intellexisse laborem mulorum, qvem perferunt in vectura. Qvomodo apud Virgilium est *labor operum*, apud Tullium *labor rerum*, & id genus. Fuit alioqvi animalis hujus usus etiam in plaustris ad trahenda onera. Docet historia de Athenienſi mulo, Plinio memorata lib. VIII. cap. 64. *Mulum LXXX. annis vixisse, Athenienſium monumentis apparet, eo gavisi, cum templum in arce facerent, quod, derelictus senecta, scandentia iumenta comitatu nisuque adhortaretur.* Nisum hic intelligit jumentorum, id est, mulorum, in plaustris educendis in altum. Docet Plutarchus, qvi eandem rem sic describit, libro de Solert. Animal. Τῶν συνειργασμένων προθύμως ἤδη ἤ διὰ γῆρας ἀφειμένων ὀρέων εἷς καλερχόμενος εἰς Κεραμικὸν καὶ τοῖς ἀνάγουσι ζεύγεσι τὰς λίθους ὑπάντων ἀεὶ συνανέστρεφε καὶ συμπαρέθρόχαζεν. *Mulorum unus, qui alacriter opus adiuverat, sed iam ob ætatem vacatione donatus fuerat, in Ceramicum descendens, ac iunctis ad plaustra lapides vectantia occurrens perpetuò una versabatur currebatque.* Et adhuc clarius in vita Catonis Majoris: Ἡμιόνων μίαν φασὶ καλαβαίνουσαν ἀφ' ἑαυτῆς πρὸς τὰ ἔργα, τοῖς ἀνάγουσι τὰς ἁμάξας ὑποζυγίοις εἰς ἀκρόπολιν συμπαραθρέχειν καὶ προηγεῖσθαι. *Mularum unam aiunt sua sponte venisse ad opus, unaque cum iumentis, quæ in arcem trahebant plaustra, cucurrisse ac præivisse.* Ὑποζύγια hic *iumenta*, id est, *mulæ*. Nam & apud Græcos illo sensu sæpe vox hæc reperitur. Sed est observandum in his verbis dici mulam in feminino, qvæ mulus est & in præcedenti loco, & apud Plinium. Μίαν, inqvit, & ἑαυτῆς, qvod ad mulam pertinet. Ego tamen malo credere fuisse mulum. Mulos enim masculos potius adhibebant ad hoc genus agreste, qvam mulas feminas. Monstrat ipse etiam Homerus Iliad. P. qvando ita infit:

-- Ὡς δ' ἡμίονοι κραιπνὸν μένος ἀμφιβαλόντες
Ἕλκωσ' ἐξ ὄρεος καὶ παιπαλόεσσαν ἄλαπτον
Ἢ δοκὸν, ἠὲ δόρυ μέγα νηΐον. -- --

*Tanquam*

*Tanquam muli validis viribus sumptis trahunt ex monte per asperam viam vel trabem, vel lignum ingens navale.* Cujus circiter temporibus, aut paulò post, florens Naëman Syrus & ipse mulos onera trahentes Regum IV. cap. 5. memorat. Verba Græcorum Interpretum: Δοσθήτω δὴ τῷ δούλῳ σου γόμος ζεύγους ἡμιόνων. Interpres Latinus sic exposuit: *Concede mihi, servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra.* Qvod significat onus, non qvod trahere, sed gestare possint. Atq; sic accepit & Lutherus: **So viel zwey Mäuler tragen.** *Quantum muli duo ferre possunt.* Eadem sententia Castalionis fuisse videtur, vertit enim: *Duorum mulorum onus.* Eadem Tremellii & Junii: eadem interpretis Svetici, atq; aliorum. Et profectò muli freqventissimè ad hoc adhibiti, ut ferrent onera in dorso. Phædrus noster lib. II. cap. 8.

*Muli gravati sarcinis ibant duo;*
*Vnus ferebat fiscos cum pecunia,*
*Alter tumentes multo saccos hordeo.*

Senec. ep. 123. *Omnes iam mulos habent, qui chrystallina, & murrina, & cælata magnorum artificum manu portent.* Nempe sicut notat Columella lib. VI. cap. 37. *Clitellis aptior mulus, illa* (mula) *quidem agilior.* Qvia celerior agiliorq; mula, ideò illius fuit usus in vehiculis, præsertim iis, qvibus faciebant iter, sicut supra notabamus; at mulus, qvia firmior validiorqve, ideò ad gestandas in clitellis sarcinas adhibitus. Hinc *mulus clitellarius* apud Plautum in Mostellaria Act. III. scen. 1. *Muliones mulos clitellarios habent.* Non tamen id Naëman volebat, qvod interpretes pleriq; censuerunt. Aliud sanè ζεύγους ἡμιόνων, aliud *duo muli clitellarii.* Ζεύγους enim dici neqvit aut intelligi, nisi de conjunctis ad jugum, sicut ipsa ratio vocabuli testatur. Atq; ita locum illum Regum intellexit magnus vir Samuel Bochartus. Nam sic reddidit Latinè: *Detur, quæso, servo tuo onus paris mulorum*: exposuitqve: *Id est, bigæ mularis.* Ut sic Naëman voluerit, non qvantum ferre muli duo possint dorso, sed qvantum trahere vehiculo. Unde simul constat, mulos jungi ad plaustra & vehicula oneribus gestandis parata consveviſſe. Solebat qvoq; jungi molis farinariis, ut asini. Isidorus sanè ob hanc causam mulos putat appella-

pellatos. Μύλη namq; *mola. Mulus*, ait, *à Græco tractum vocabulum habet. Græcè enim, quod jugo pistorum subactus tardas molendo ducat in gyrum molas.* Et apud Svetonium in Julio cap. 31. memorantur *muli è proximo pistrino ad vehiculum juncti*, qvi non alii, qvam ad molas farinarias destinati. Ad aratra qvoq; aliqvando adhibebant. Columella lib. VI. cap. 37. *Vterque sexus* (mulorum) *& viam rectè graditur, & terram commodè proscindit, nisi pretium quadrupedis rationem rustici oneret, aut campus gravi gleba robora boum deposcat.* Videtur hoc loco Columella boves robustiores facere mulis. Contra censet Homerus, qvi ne mulabus qvidem putat in hoc opere posse comparari. Verba ejus sunt Iliad. K.

Ἡμιόνων, (αἳ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης ὄγκιλον ἄροτρον.

*Mularum (hæ enim bobus præstantiores sunt ad trahendum in novali profundo compactum aratrum.* Hic mulas præfert bobus. Sed est ista apud Homerum comparatio non de robore instituta, sed celeritate. Eustathius: Φασὶ οἱ ἔμπειροι ὡς μὲν τῇ πρώτῃ τῆς γῆς ἐργασίᾳ, βοῶν δεῖ, σχολαιοτέρων ὄντων καὶ γενναιοτέρων, ὡς ἂν βαθεῖα γένηται ἡ τομή, ἐν ᾗ τῇ νειῷ ἤδη προεσχισμένῃ, χρήσιμοι τὸ τῶν ὀρέων γένος, μᾶλλον ὡς ὀξύτερον. Τοιοῦτον γὰρ τὸ ὀρικὸν ζεῦγος, ὥσπερ αὖ τὸ τῶν βοῶν ἰσχυρότερον. *Ajunt periti, quod primæ subactioni terræ conveniant boves, quoniam sint tardiores, & laboris patientiores, ut profundi sulci agantur. In subacta verò & aratro scissa utilius sit genus mulorum, ut quod sit celerius. Tale namque jugum mulare, quemadmodum contra boum est robustius.* Sed ad genus ultimum est veniendum, id est, eqvos. Hos verò ad vehicula jungi solitos notissimum. Et jam supra prolixè hac de re locuti sumus. Fuitq; usus hic eorum non in militaribus solummodo vehiculis, iisve, qvalibus in urbe itineribusve incedebant, verum etiam agrestibus. Qvo respectu Virgilius lib. III. Georg. ubi agit de cura circa eqvas gravidas: *Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,*
*Non saltu superare viam sit passus.* -- --

Neq; enim opus erat ista admonitione, nisi eqvi alias eqvæve jungi plaustris consvevissent. Ad aratra tamen juncti rarissimè videntur. Varro sanè, Columella, cæteriqve, qvando mentionem faciunt

arationis,

arationis, boves tantum memorant vel tauros, eqvos nunqvam. Neqve apud Virgilium aut Scriptorem alium veterem aratorem eqvum memini legisse. Similiter Jureconsulti veteres, ubi fundi enumerant instrumenta, boum & jugalium, nunqvam eqvorum nominatim faciunt mentionem. Eadem Græcorum fuit consvetudo. Nusqvam certè Pollux loqvitur de eqvo ad aratrum. Et omnino eqvos censeo in magno qvondam pretio fuisse, ac iccirco adhiberi raro potuisse ad hæc opera. Contra qvam videmus hodie per multas Europæ fieri regiones, ubi bobus arare inter notas paupertatis apud agrestes solet numerari. Sed de his occasione alia.

## Cap. IX.

## De feris & similibus domitis ad vehicula.

*Feras ad vehicula quis primus junxerit. Hyginus emendatur. Inter eas usurpati cameli. Salmasii lectio Pliniana comprobatur, & Græca Esaiæ refellitur. Cameli veloces. Iuncti ad aratra quoque. Elephanti in curru Regum ac triumphantium. Plinius, Diodorus expositi, Demsterus notatus. Capitolinus emendatus. Fuerunt etiam in carpentis Augustorum circensibus & quadrigis, item in vehiculis onerariis & aratris. Leones in curru, & quis Romæ primum junxerit.* Κῶλος *quid. Dalechampius notatur, & Athenæus exponitur. Pardi & tigres in vehiculis. De Servio, ejusque quadam historia suspicio. Item ursi, & apri, & origes, & struthiones, & bubali, & bisontes. Oppianus arguitur & explicatur, itemque Solinus. Tum asini sylvestres, & cervi, & canes, & hirci. Leguntur & hermaphroditæ equi & onelaphi in vehiculis. Athenæi locus examinatur.*

PRæter domesticas, veteres nonnunqvam sive magnificentiæ, sive luxus ostentationisq; caussa vehiculis jungebant feras. Estqve hoc inventum minimè recens, sed jam ante tempora Trojana notum, qvando de Admeto Hyginus fab. 50. *Alcestim Pelei filiam cum complures in conjugium peterent, & Pelias cum multos eorum repudiaret, simultatem his constituit, ei se daturum, qui feras bestias ad currum junxisset: Iis, quum vellet, aveheret. Itaque Admetus ab Apolline petiit, ut se adjuvaret. Apollo cum ab eo esset liberaliter tractatus, cum in servitium fuit ei traditus, aprum & leonem ei junctos tradidit,*

*quibus ille Alceſtim in conjugium avexit.* Sic emendo locum hunc, in qvo ante fuit; *Is quam vellet:* ſine ſenſu. Cæterum ferarum aliæ accedunt propius ad domeſticas animantes, aliæ non item. Ex his, qvæ accedunt propius, cameli ſunt, & elephanti. De CAMELIS ergo primo loco dicemus. Etſi enim Plinius uſurpatos ad vehicula videatur negare, tamen diverſum comprobabimus. Verba Plinii ſunt lib. VIII. cap. 18. ubi de camelis agit: *Omnes jumentorum miniſteriis dorſo funguntur, aut vicem equitatus in prælio.* Ita bene locum hunc emendat Clariſſimus Salmaſius, cum ante legeretur: *Omnes iumentorum in iis terris dorſo funguntur, atque etiam equitantur in præliis*; abſq; ſenſu. Dicit Plinius, fungi jumentorum miniſteriis *dorſo*, non cervice vel collo, qvod huic eſſe oppoſitum, ſupra notabamus, uſurpariq; de iis, qvæ ſarcinas onerave geſtant; & fungi talibus miniſteriis *omnes*. Unde conſtat, Plinium camelos jugales aut vehicularios ignoraſſe. Memoravit tamen eos etiam ex Prophetis Eſaias cap. XXI. v. 7. Nam, ut auctor eſt Clariſſimus Bochartus, intelligendus ibi *currus, quem cameli vehunt*, teſte Symmacho, non ἀναβάτης καμήλε, ſicut vertunt Græci, vel *aſcenſor cameli*, ſicut reddiderunt Latini, cæteriq; interpretes. Nec res fuit tam rara vel inſolita per Orientem. Nam & Strabo lib. XV. ubi loqvitur de elephantis: Νέαρχος φησὶ μέγιστόν τε νομίζεσθαι κῆμα ἐλεφάντων ἅρμα. Ἄγεσθαι δ' ὑπὸ ζυγῶν καὶ καμήλους. Vertunt: *Scribit Nearchus, quod maxima poſſeſſio exiſtimetur elephantis bigæ, duci enim ſub iugo, ut camelos.* Sed vertendum eſt: *Duci verò etiam ſub iugo camelos.* Oſtendit Nearchus, non elephantos modò per Indiam vehiculis adjungi, ſed & camelos, idq; ibi ſolens eſſe, licet alibi non faciant. Uſurpavit tamen Ptolemæus Philadelphus etiam in pompa ſua, qvæ deſcriptâ extat apud Athenæum lib. V. Memorantur enim ibi συνωρίδες καμήλων ἐξ ἑκατέρου μέρους τρεῖς: *utrinque bigæ tres camelorum.* Ex Romanis idem fecit Nero, de qvo Sveton. cap. 11. *Commiſit etiam camelorum quadrigas.* Ubi tamen vox, *commiſit*, docet, non ſimpliciter traxiſſe tantum, ſed certaſſe curſu qvoqve in Circo. Atq; eſt non contemnenda nonnullorum ex ipſis velocitas, ut Plinius lib. VIII. cap. 18. teſtatur. Igitur & de Sagaræis Ælianus lib. XII. cap. 34. Hiſt. Anim.

Σαγα-

Σαγαραῖοι τῇ Ἀθηνᾷ καμήλων ἀγῶνα ὅσα ἔτη σὺν αἰδοῖ τῇ τῆς θεοῦ ἐπιτελοῦσι. γίνονται δ' ἄρα παρ' αὐτοῖς αὗται δρομικώταται τε καὶ κουφότατα. *Sagarenses quotannis summa adversus Minervam observantia ei celebrant camelorum certamen. Enimverò velocissimi apud ipsos procreantur.* Neronem imitatus est Heliogabalus, simia ipsius. Nam Lampridius de eo cap. 23. *Dicitur iunxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo privato spectaculo.* Qvaterni cameli sunt, qvos qvadrigas camelorum Svetonius appellavit. Cameli ad postremum aliqvando qvoq; serviebant aratro. Leo sanè Africanus affirmat, Numidas vulgo terram exercere eqvo & camelo. Utut autem camelorum usus fuerit non plane nullus in vehiculis, tamen longè major fuit elephantorum. Atq; primum qvidem Reges ipsi ELEPHANTOS in curru suo apud Indos habuere. Curtius lib. VIII. cap. 9. *Rex breviora itinera equo conficit, longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, & tantarum beluarum corpora tota contegunt auro.* Secuti postea exemplum hoc & Reges alii. Sic in pompa Regis Syriæ Antiochi habes apud Athenæum lib. V. cap. 5. ἐλεφάντων ἅρμα, *currum elephantorum.* Et in alia pompa Ptolemæi Philadelphi apud eundem paulò post Calixenus Rhodius commemorat ἐλεφάντων ἅρματα εἰκοσιτέσσαρα, *elephantorum currus viginti quatuor.* Apud Romanos ornabant currus triumphantium, fuitq; primus Pompejus, qvi hoc instituit. Plin. lib. VIII. cap. 2. *Romæ iuncti elephanti primum subiere currum Pompeji Magni Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero patre memoratur.* Plinii sententia, nisi fallor, ea est, Liberum seu Bacchum primum triumphasse junctis ad vehiculum elephantis. Atq; ita Demsterus ad Rossini X. *Bacchus de Indis devictis triumphaturus quatuor elephantos iugo summisit.* Laudat deinde auctorem Diodorum Siculum lib. IV. At ille nihil de vehiculo, nec de elephantis qvatuor, tantum egisse πρῶτον τῶν ἁπάντων θριαμβεύσαντα ἐλέφαντι τῷ Ἰνδικῷ, *primum omnium triumphum super elephanto Indico* testatur. Qvæ verba volunt, vectum elephanto ipso, cui nimirum insidebat. Itaq; non bene Demsterus, ac ne Plinius qvidem, nisi alios secutus sit auctores, qvam qvos Diodorus. Post Pompejum elephantos ad currum triumphalem junxisse Cajum Cæsarem scribit idem Dem-

sterus, loco supra nominato: *Post hunc* (Pompejum) *Cajus Cæsar Gallico Triumpho* junxit. *Sveton. cap. 37.* At illo qvidem loco nihil tale videas. Sed nec alibi de Cajo memorat, qvod de Gallis triumpharit, adeò nil tradit de ipsius elephantis. Triumphum ejus de Germanis narrat cap. 47. sed nec eo loco ulla mentio elephantorum. Pergit Demsterus, & Claudium qvoq; junxisse ait in triumphali curru ex ejusdem Svetonii cap. 11. Sed non magis illo loco mentio currus triumphalis. Sermo est de curru in Circensi pompa, sicut postea videbimus. Idem post Claudium nominat Domitium. *Deinde*, ait, *Domitius Allobrogibus Arvernisque superatis. Svet. in Nerone, cap. 2.* Svetonii eo loco hæc sunt verba: *Cn. Domitius* (atavus Claudii) *in Consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis elephanto per provinciam invectus est.* Nulla mentio hic triumphalis currus, & videri potest non tam vehiculo, cui adjunctus foret elephantus, qvam elephanto ipso vice eqvi usus. Subdit amplius Demsterus Gordianum. Credo Gordianum tertium innuere. Nam in cæterorum vita, à Capitolino proposita, nihil videas de elephantis. At de hoc sic habet cap. 27. *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Hic qvadrigas elephantorum accipit Demsterus pro qvadrigis triumphalibus, qvia seqvitur de triumpho. At mihi non videntur ista cohærere. Eccur enim, qvia Persas vicit, qvadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non sunt elephanti propriè ac speciatim usitati Persis. Dein qvid hoc est? *Quadrigæ elephantorum decretæ, ut triumpho Persico triumpharet.* An triumpho Persico triumphare aliter non potuit? Itaq; vix credo sic Capitolinum scripsisse. Potius ita hæc legenda censeo: *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, atque, qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet.* Qvicqvid sit, qvadrigæ elephantorum Gordiano hic decretæ, non ut iis triumpharet, sed ut ex lapide marmoreve formatis publico loco honoraretur. Nunqvam enim triumphantibus à Senatu leginus decretum, qvo animalium genere uterentur in curru: at honores, statuas, bigas, qvadrigas decretas invenimus sæpissimè. Et seqvitur

statim

ſtatim apud Capitolinum, *Miſitheo autem quadriga equorum, & triumphalis currus, & titulus huiusmodi,* qvæ omnia de ſtatuis intelligenda. Sic itaq; & Gordiano decretæ qvadrigæ cum elephantis, ſicut loco alio uberius monſtrabimus, ubi ſeorſum de honore hoc agemus. Supereſt Alexander Severus, de qvo clarè Lampridius cap.57. *Pedes palatium conſcendit, quum retrò currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur.* Item Aurelianus, de qvo Zonaras tom.III. *Romam reverſus quadrigis elephantorum triumphavit.* Qvanqvam hujus rei mentionem nullam faciat Vopiſcus, qvi tamen cætera triumphi diligenter executus eſt. Poſt currus triumphales, elephantos habemus in carpentis Auguſtorum, qvibus honorabantur in pompa Circenſi. Videturq; honor ille primum tributus à Senatu Octavio. Svetonius in Claudio cap.11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & in Circenſi pompa currum elephantorum Auguſtæo ſimilem decernendum curavit.* Habes ecce currum Auguſtæum cum elephantis in circenſi pompa. Et ne putes imaginarium fuiſſe, verum à vivis tractum elephantis, dabo locum Xiphilini, qvi ſic de eodem, vita Neronis: Καὶ οἱ ἐλέφαντες οἱ πρὸ τοῦ Αὐγούστου ἁρμάμαξαν ἄγοντες, ἐς μὲν τὸν ἱππόδρομον ἐσῆλθον, καὶ μέχρι τῆς τῶν βουλευτῶν ἕδρας ἀφίκοντο. *Et elephanti, qui trahebant currum Auguſti in Circum ingreſſi eo usque, ubi Senatores ſedent, proceſſerat.* Trahunt & procedunt hic elephanti juncti ad Auguſti eum currum. Factum porro hoc imperio Neronis, unde liqvet, diu eam conſvetudinem manſiſſe. Poſt Auguſti currum hunc, invenio & Claudii, itemq; Veſpaſiani, ſimiles Auguſtæo, in antiqvis nummis. Nam Scriptores temporum illorum, qvantum ſcio, memorare omiſerunt. Pertinacis tantum legimus apud dictum Xiphilinum, ubi de Severo: Προσέταξεν χρυσῆν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἁρμαλοῦ ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι. *Iuſſit ſtatuam eius auream curru elephantorum in Circum vehi.* Cæterum hæc conſvetudo monſtrandi magnorum virorum imagines vectas curru elephantorum in ſolenni pompa etiam Græcis Macedonibusve fuit uſitata. Athenæus ſanè ſcribit lib. V. cap.8. ubi pompam Ptolemæi ex Calixeno commemorat: Καὶ ἐπὶ πᾶσιν Ἀλεξάνδρου, ὃς ἐφ' ἁρμαλοῦ ἐλεφάντων ἀληθινῶν ἐφέρετο χρυσοῦς, Νίκην καὶ Ἀθηνᾶν ἐξ ἑκατέρου μέρους ἔχων. *Præter hæc cuncta*

*Alexandri, qui aureus in curru veris elephantis iuncto ferebatur, Victoria & Pallade eius utrumque latus claudentibus.* Apud Romanos habitus honor iste etiam Imperatricibus. Sic aviæ Liviæ *in circensi pompa currum elephantorum* decrevit Claudius, ut jam supra ex Svetonio vidimus. Agrippinæ, Faustinæ aliarumq; currus similes cernuntur in antiqvis nummis. Amplius junxisse observamus elephantos ad vehicula, qvibus certabant in Circo. Qvanqvam ignorem, an hoc qvisqvam fecerit, præter unicum Heliogabalum. Lampridius de eo, cap. 23. *Fertur & elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse.* Tò *agitasse* monstrat, fuisse ludicrum istud instar certaminis curulis in Circo, qvanqvam Heliogabalus non in Circo, sed in Vaticano agitaverit. At vehiculis aliis, qvibus portabantur onera, junxisse innuit & Seneca, qvando inqvit lib. II. de ira, cap. 31. *Aspice elephantorum jugo colla submissa.* Indis hoc vulgatum fuit. Plinius lib. VI. cap. 19. de Indis loqvens diversis: *Vnum super hæc est genus, venandi elephantes domandique; iis arant, iis invehuntur.* Qvanqvam illud *invehuntur* possit accipi de non curru vectis, verum ipsi elephanto insidentibus, qva re nihil fuit apud eos usitatius. Interim & alterum in usu habuisse, vix est dubium. Sanè faciunt id hodieqve, atqve memorat Acosta, junctos ad tormenta ænea, qvorum in militia esse usus solet. Neq; forsan alio respexit Strabo, qvando ait lib. XV. de Indis: Μέγιστόν τε νομίζεσθ ἐλεφάντων ἅρμα φησὶ. *Maxima possessio putatur elephantorum currus.* Item, ὑπὸ ζυγῶν ἄγεσθ φησὶ. *Ajunt duci sub jugo.* Atq; ad hunc modum de Adriano Spartianus: *Colossum stantem atque suspensum per Detrianum architectum, & de eo loco, in quo nunc templum urbis est ingenti molimine, ita, ut operi etiam elephantes quatuor & viginti exhiberet.* Postremo & aratris adjunguntur. Plinius lib. VI. cap. 19. ubi de ipsis agit: *Iis arant, iis invehuntur, hæc maximè novere pecuaria.* Item lib. VIII. cap. 1. *Indis arant minores, quos appellant nothos.* Solinus cap. 65. *Elephantos venantur, quibus perdomitis ad mansvetudinem aut arant, aut vehuntur.* Ad vehicula veteribus adhibiti etiam LEONES. Primus, qvi hoc Romæ fecit, M. Antonius memoratur. Plinius lib. VIII. cap. 16. *Iugo subdidit eos,* (leones) *primusque Romæ ad currum*

*junxit*

*junxit M. Antonius, & quidem civili bello cum dimicatum esset in Pharsalicis campis.* Qvando Plinius primum eum vocat, qvi sic junxerit leones, plures postea fecisse ostendit. Primus enim est respectu plurium, qvi seqvuntur. Qvanqvam memoria paucorum supersit. De uno legimus Heliogabalo, apud Lampridium: *Iunxit sibi & leones.* Alias & in pompa Ptolemæi mentio leonum in vehiculis. Ita enim habet Athenæus loco antea laudato: *Post hos prodierunt leonum duodecim bigæ.* Ita vertit Dalechampius. At in Græco est συνωρίδες κώλων δεκαδύο, nulla mentio leonum. Κώλ@ enim animal est Scythicum, album, inter cervum & arietem. Strabo lib. VII. Ἐστὶ δὲ τῶν τετραπόδων ὁ καλούμενος κώλ@ μεταξὺ ἐλάφου καὶ κριοῦ τὸ μέγεθ@, λευκὸς, ὀξύτερ@ τούτων τῷ δρόμῳ. *Habent autem animal quadrupes, quod ab iis colos dicitur, magnitudine inter cervum & arietem media, album, cursu quam illa velocius.* Vocat κόλον, qvod Straboni κώλον. Hesychio existimo κολὸν esse. Verba hæc sunt: Κολὸν, κολυσόν. Μέγ αν τράγον κέραλα ἐκ ἔχοντα. Omnino hic κολὸς, qvod reliqvis κώλ@ vel κόλ@, qvod liqvet, qvia dicit fuisse hircos majores, absq; cornibus. Convenit enim magnitudini, qvam in eis Strabo notat. Neq; alia est caussa, qvare in enumeratione diversorum vehiculorum apud Athenæum præcedat, συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, *hircorum bigæ sexaginta.* Nempe qvia fuit animal cognatum hircis, ideò adjectum illis est. Legimus & PARDOS in vehiculis, sed rarissimè. Martialis de temporibus Domitiani, qvibus visum hoc spectaculum, lib. I.

*Picto quod juga delicata collo*
*Pardus sustinet, improbæque tygres*
*Indulgent patientiam flagello, &c.*

Habes hic non pardos solum, sed & TYGRES. Qvales nescio, an ad currum junxerit & Cæsar Julius seu potius Augustus. Virgilius profectò de Daphnide V. Ecloga hoc modo:

*Daphnis & Armenias curru subjungere tygres*
*Instituit.* — — — — —

At hoc Servius intelligit de Augusto. *Hoc,* inqvit, *apertè ad Cæsarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Vult, qvantum intelligo, hoc dicere, Augustum sacra Liberi instituisse,

tuisse, atq; ideo dici subjugasse tigres. Nempe tigres in vehiculo sunt Liberi seu Bacchi, sicut loco alio docebo. Verum aliud est *subjungere tigres*, & aliud Bacchum seu Liberum junctis ad vehiculum tigridibus Romam adducere. Neq; si dicamus Bacchum feras, & in eis tigres domuisse, aliqvid efficiemus, cum nec Daphnis isto loco facere fingatur qvidqvam, qvod ad Bacchum pertineat, nec in Cæsare Bacchum intelligere qveamus. Ut sit cogitandum, annon sicut alia, sic ejusmodi spectaculum dederit Augustus. Plinius lib. VIII. cap. 17. *Divus Augustus Q. Tuberone, Fabio Maximo, Consulibus, IIII. Nonas Majas theatri Marcelli dedicatione tigrin primus omnium Romæ ostendit in cavea mansvefactum.* Alias & Heliogabalus in curru tigres habuit. Lampridius: *Iunxit & tigres, Liberum sese vocans.* URSOS memorat Martialis ante dicto loco istis verbis: -- -- *Freno Libyci domantur ursi.*
Putat Lipsius per ursos Libycos intelligendos esse leones. Nempe Libyam ursos alere non existimat. Sed diversum monstrat Clarissimus Salmasius magni Operis p. 311. qvem proinde arbitramur hic seqvendum, sicut factum à Clarissimo Gerhardo Vossio lib. III. Idol. cap. 52. Freno autem domitos non aliter intelligendum, qvam in curru aut vehiculis. Ursis addo APROS; namq; & de his Martialis dicto loco:

*Et quantum Calydon tulisse fertur*
*Paret purpureis aper capistris.*

Puto hic capistra intelligi, qvibus regunt, qvi adjunctos habent in vehiculo. Possunt qvidem & capistra esse, qvibus ora ipsorum clauduntur, & ducuntur ipsi. Qvomodo in cœna Trimalcionis *tres albi sues adducti sunt, capistris & tintinnabulis culti.* Sed tamen non penitus insolitos fuisse in vehiculis, ostendit nummus aliqvis Trajani, expressus ab Onuphrio in ludis Circensibus p. 87. qvi exhibet vehiculum ab apro & leone tractum, præeunte Hercule cum clava. Meminit & Occo alicujus, sed diversi, ut opinor, à priori. Descriptio illius hæc est in Trajano: *Diana Lucifera curru à leone & apro vecta dextra facem tenet, præeunte Hercule, Deam retrò aspiciente, clavam dextro humero spectante, sine alia inscriptione.* Facit hic Dianam

Dianam in curru, cum in altero Onuphrii sit Victoria, qvæ, præter facem in dextra, palmam tenet in siniſtra. Sed & ibi est inscriptio, cum hic sit nulla. Unde colligas non difficulter id, qvod dixi. Apud Athenæum in pompa Ptolemæi habes qvoqve bigas ORYGUM. Μετὰ τάτοις συνωρίδες ὀρύγων ἑπτά. *Post hæc bigas septem orygum.* Sunt autem oryges ea figura, qva vulgo monocerotes traduntur. Eadem in pompa leguntur & STRUTHIONES ad vehicula. Ita namq; habet: Στρουθῶν συνωρίδες ὀκτώ. Id est: *Struthorum bigas octo.* Major ibi numerus vehiculorum, qvæ habebant BUBALOS. Συνωρίδες ait βουβάλων δεκαπέντε, *bigas bubalorum quindecim.* Qvo loco bubalos debemus intelligere non boves feros, sive uros, verum animal diversum, ex caprearum genere, de qvo Maximus Bochartus Part. I. Hist. Animal. lib. III. cap. 22. BISONTES legimus apud Martialem, isto versu:

*Turpes esseda — trahunt bisontes.*

Unde simul colligas, non esse usqveqvaq; verum, qvod de iis habet Oppianus, nempe ἀμαιμάκετον γένεθλον, *indomitum genus* existere. Nisi fors accipimus de domandi raritate difficultateqve. Qvo respectu Plinius qvoq; lib. VIII. cap. 15. *Gignit Germania insignia boum ferorum genera jubatos bisontes, &c.* Non intellexit Solinus, itaq; de suo sic exposuit cap. 32. *Bisontes frequentissimi, qui boves feris similes, setosi colla jubis, horridi ultra tauros, pernicitate capti assvescere manu nequeunt.* ASINOS SILVESTRES in vehiculis memorat Athenæus in sæpe dicta pompa. Συνωρίδες τέσσαρες ὄνων ἀγρίων. *Bigas quatuor asinorum silvestrium* habuit. Hos Latini alias *onagros* nominant, qvi cum ipsi qvoq; aliqvibus credantur arte nulla posse domari, hoc exemplo diversum ostendunt. Qvanqvam vel ipsa vehiculorum aut bigarum hic nominata paucitas ostendat, minimè freqventem fuisse onagrorum subjugationem. Id qvod & de subjugatione bisontium, bubalorum, struthionum, orygum, aprorum, tigridum, pardorum & similium censendum. CERVOS crebrius adhibuere, memoratq; Athenæus in prædicta pompa bigas ἐλάφων ἑπτά, *cervorum septem.* Qvin imò apud Patrenses solenne fuit, ut virgo sacra Dianæ in festo qvodam publico veheretur curru cervis juncto. Pausanias in Achaicis: Καὶ ἱερομένη παρθένος ἐφέρετο τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ

τὸ ἅρμα ἐζευγμένων. *Vltima vehitur virgo sacerdos in pompa curru à cervis tracto.* Nescio, an simile qvid observatum apud Gothos fuerit. Regem enim eorum curru cervis juncto vectum legimus apud Vopiscum vita Aureliani. *Fuit,* inqvit, *alius currus, quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum: quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos voviſſe Iovi Optimo Maximo ferebatur.* An hoc fuerit solenne Gothicis Regibus, sicut Francicis curru bobus juncto vehi, ignoro. Saltem qvia Rhenonum, qvos nominant Rangiferos, species non multum est diversa, qvorum per Septentrionem, unde Gothi oriundi sunt, usus olim fuit longè freqventissimus, in eorum defectu adhibuisse cervos amore patriæ consvetudinis, fortassis non absurdum est putare. Hoc profectò videmus, etiam Aurelianum tali curru vectum. Qvale qvid & legimus de Alagabalo seu Heliogabalo. Lampridius cap. 28. *Processit in publicum & qvatuor cervis junctis ingentibus.* Cervos in vehiculis exhibuit Domitianus qvoqve, sicut discimus ex Martiale lib. I. ubi spectacula illius describit. Nam post alia sic qvoq; habet:

*Mordent aurea -- lupata cervi.*

Qvod sine dubio de bigis vel qvadrigis cervorum intelligendum est. Atq; istæ qvidem feræ domitæ ad vehicularem usum. Qvæ ostendunt abunde, tabulam ab Onuphrio Panvinio exhibitam in de Ludis Circensibus pag. 11. non esse à pictoris sculptorisve ingenio confictam penitus, sed ad veritatem rei ipsius bigas leenarum, cervorum, leonum, capreolorum ibi decurrere. Ante cæteras autem omnes biga canum qvoq; ibi cernitur. Scilicet & CANES jungere vehiculis qvandoq; consveverunt. Lampridius de Heliogabalo dicto loco: *Canes qvaternos ingentes junxit ad currum, & sic est vectatus intra domum regiam, idque privatus in agris suis fecit.* Sepius ostendit hoc feciſſe, & cum adhuc privatus esset, & deinde, cum veniſſet ad imperium. Ait autem sic *vectatum* esse, qvod ignoro, an de simplici vectatione tantum debeat intelligi, num potius de ludicra ad metam, qvalis esse consveverat in Circo. Nam & ad hanc rem adhibitos aliqvando canes legimus. Dio sive Xiphilinus lib.

LXI.

LXI. *Cum propter hoc Neronis ſtudium ii, qui equos alebant, una cum aurigis ſuperbè extollerentur, ac proinde erga Prætores & Conſules perquam petulanter ſe gererent, Aulus Fabricius Prætor uti noluit illis, juſta mercede cum quibusdam certare recuſantibus, ſed κύνας διδάξας ἐλκειν ἅρματα, ἀντὶ ἵππων ἐσήγαγε, canes doctos currus agere pro equis introduxit.* Patet manifeſtè, bigas canum ad metam decurrentes in prædicta tabula ex vero eſſe formatas. Exemplo canum jungere qvandoq; HIRCOS etiam conſveverunt. Nam apud Athenæum ſæpe dicto loco leguntur συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, *bigæ hircorum ſexaginta.* Similia de capris diſcimus ex Martiale, qvando ait lib. I. ep. 52.

*Geſtari junctis niſi deſinis AEdile capris.*

Nec res penitus inſolita noſtris etiam temporibus: ipſi namq; vidimus nonnunqvam capros canesq; in ploſtellis. Id verò prodigioſum atq; ſingulare, qvod hermaphroditas eqvas Nero junxerit. Plinius lib. XI. cap. 49. *Oſtentabat Nero hermaphroditas ſubjuges carpento ſuo equas, in Trevirico Galliæ agro repertas, ceu plane viſenda res eſſet, Principem terrarum inſidere portentis.* Poſſunt huc referri onelaphi Ptolemæi, ſi vera eſt ſcriptura Huraldini codicis Athenæi. Nam ubi vulgatus in ſæpe dicta pompa exhibet bigas ἐλάφων ἵππλα, codex ille aliiqve habent ὀνελάφων ἵππλα, qvod eſſet genus animalis ex aſinis cervisq; mixtum. Qvanqvam autem fortè non omnimodè repugnet procreari tale animal caſu qvodam, ſicut ex vulpecula & cane, item tigride & cane procreantur aliqvando, qvæ vocantur ἀλωπέκιδες vel μελάγονίδες, ut videre licet apud Gratium, & Ulitii ad eum notis pag. 174. vel ſicuti ex aſino eqvaqve, qvi vocantur muli; ſic inventos eſſe uno tempore tam multos onelaphos, ut potuerint ſeptem bigas conficere vix perſvaderi mihi patior, atq; ideò ſcripturam communem exiſtimo ſervandam.

## Cap. X.

## De hominibus ad vehicula junctis.

*Homines vehiculis adjuncti. Cathedrarii. Lecticarii. Corpora lecticariorum. Lipſius notatur. Lecticas geſtare non ſemper proprium ſervorum. Geruli. Κλινοφόροι. Διφροφόροι. Φορεῖς. Φορισφόροι. Traharii. VVoverii explicatio Sidonii repudiata. Savaro notatus, & Sidonius correctus.*

*Astrabarii. Philargyrii dissensio ab aliis observata. Senici locus distinctus. Subire sub jugo. Iungere se sub jugo. Currus Ladislai. Iungere ad currum homines per superbiam consvetudo vetus. Lectio Lucani contra Argolum defensa. Pampillum, vox nihili. Lampridii locus expenditur.*

PRæter bruta sæpe homines adhiberi solent ad vehicula. Est autem hæc ipsorum opera vel solennis, vel singularis & inusitata. Solennis opera duplicis est generis, nam vel gestando promovent vehicula, vel trahendo. Gestant vehicula *cathedrarii*, qvorum servilis ferè conditio fuit. Meminit Sidonius lib. I. ep. 11. de Curione: *Per cathedrarios servos domum raptus ac reportatus est.* Hic servi cathedrarii, qvi gestant cathedras, sicut vocat Phædrus noster, lib. III. cap. 9. *Lecticarios* etiam vocabant. Hinc Svet. in Othone cap. 6. *Muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus lecticariis cum descendisset, &c.* Sella muliebris est cathedra, & lecticarii, cathedrarii, qvi etiam hoc loco servi. Alias sunt lecticarii propriè, qvi lecticas gestant. Sulpitius apud Ciceronem lib. IV. ep. 12. *Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meis lecticariis in urbem eam referre.* Qvando ait, meis lecticariis, etiam hos habuisse servos ostendit. Qvanqvam autem hi servilis ferè conditionis essent, tamen publicè habebant qvoq; ex minuta plebe, qvi hoc munere fungebantur. Inde corpora eorum legimus in inscriptione veteri:

TIB. CLAUDIO
AUG. LIB.
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM
CÆSARIS.

Tigranus hic libertus est, & tamen ex Lecticariorum corpore, qvi Cæsari ministrabant. Qvare nescio, qva ratione Lipsius ex hoc lapide conatus sit probare, lecticariorum ministeria inter servilia fuisse. Licet enim ita fuerit apud privatos, tamen aliter publicè res habuit. Sed & alias amicitiæ officiiq; caussa ministerium hoc obibant. Qvomodo legimus apud Svet. vita Claudii, cap. 10. *Ab his*

(militi-

(militibus) *impositus lecticæ, & quia servi diffugerant, vicissim succollantibus in castra delatus est.* Similia occurrunt apud eundem vita Othonis c. 6. Martialis ipse non veretur istiusmodi officium præstare,

*Lecticam sellamque sequar: nec ferre recuso.*

Posteriori ævo dicti lecticarii etiam, qvi efferebant funera, ex instituto Constantini magni, de qvo consulendus est Kirchmannus lib. II. de Funer. cap. 8. Alias & *gerulos* appellavere. Seneca IV. Benef. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus?* Græci κλινοφόρους nominasse videntur. Ita sanè habet Lexicon vetus Argentoratense: *Lecticarius,* κλινοφόρος. Maluerunt tamen διφροφόρους alii vocare. Ita sanè legas apud Plutarchum: πολλοὶ συνίτωσαν, ὥσπερ γυναικὸς πολυτελοῦς, τῆς τραγωδίας κομμωλαὶ καὶ διφροφόροι. Nam apud Athenæum lib. XII. cap. 2. peculiarem notat ministrum aulæ Persicæ, qvi præbere descendenti è vehiculo Regi sellam auream solebat, ne pedibus terram tangere cogeretur. Verba sunt Dinonis: *Cum Rex è curru descenderet, nec desiliebat, etiamsi exigua foret altitudo à terra, nec, ut egrederetur, manibus circumstantium fulciebatur,* ἀλλ' ἀεὶ ἀμπὶ χρυσᾶς διφρος ἐτίθετο, καὶ τύπῳ ἐπιβαίνων καθῆτο, καὶ ὁ βασιλέως διφρόφορος εἰς τοῦτο εἶπετο. *Sed ei semper admovebatur aurea sella, in quam egressus è curru descenderet, ejusque rei gratia semper regiæ sellæ gestator sequebatur.* Qvanqvam fortassis & alias curam sellæ ejus habuisse videatur, Regiq; eam præbuisse, qvotiens esset opus. Plutarcho qvoq; sunt φορεῖς. Ita namq; habet vita Artaxerxis: *Donavit Timagoræ* φορεῖς τὰς κομιζούσας αὐτὸν ἄχρι θαλάττης. In Glossario antiqvo legimus φοριοφόρους pro ipsis. Φοριοφόρος, *lecticarius.* Alterius autem generis sunt, qvi vehicula trahebant: qvorum pariter est duplex ratio. Qvidam enim ante se solebant propellere, alii post se trahere. Prioris generis existimo fuisse, qvi chiramaxium impellebant. Et patebit amplius, cum de ipso vehiculo agetur. Veteribus in usu multo fuisse non videtur. Hodie est freqventissimum, non in hortis modò, sed & munimentis aggeribusq; struendis. Posterius genus trahebat vel communia vehicula, vel sacra. De communibus res ipsa docet. Nec enim dubitare possumus, qvin habuerint, qvi funem plostellum religatum post se traherent. Qvomodo nunc qvoq; fieri

videmus cum in agris, tum in urbibus, ubi duo tresve birotum cum non parva sarcina trahere per plateas consveverunt. Pertinere huc *traharii* videntur, qvorum mentio est apud Sidonium lib. VI. ep. 1. Verba hæc sunt: *Tu nihilominus hastatorum antesignanorumque paulisper contubernio sequestratus, ultimos calones tuos lixasque non despicis, & ad extimos trahariorum, qui per insipientiam suam adhuc ad carnis sarcinas sedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers.* Woverius ad hunc locum ita notat: *Trahariorum) ita ferè omnes MSS. sed opt. liber meus, & ad extimos triariorum &c. Fort. triariorum. Sed nihil mutandum. Nam & vulgatæ lectioni in facili interpretamentum comminisci.* Sed non ideò, qvia interpretamentum comminisci facile, lectio altera repudianda. Ratio enim, cur *triariorum* legi neqveat, est evidens, qvia illi, qvorum hic est mentio, sunt inter lixas & calones, multo hastatis atq; antesignanis inferiores. At de triariis nihil unqvam tale proditum. Pro optimis & præstantissimis militibus semper habebantur. Liv. lib. VIII. cap. *Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatæ virtutis.* Hactenus ergo rectè retinetur ὸ *trahariorum*. Neq; deest viris doctis aliqva interpretatio. Vossius in Etymologico: *A traha est traharius, qui trahis vehit sarcinas.* Savaro in Notis: *Traharii sunt, qui trahis & sarracis sarcinas & militaria vehunt impedimenta: sic à trahis traharii dicti sunt. Sunt autem trahæ vehicula, quibus frugum culmi comminuebantur.* Miror Savaronem trahas voluisse sic exponere. Si enim talia fuere vehicula, qvid ita illis impedimenta exercitus vehuntur? Et profectò trahis vehi sarcinas impedimentave militum nemo hactenus, opinor, legit. Qvotqvot veterum Scriptorum Latinorum Græcorumve illam rem exponunt, vehicula, plaustra, ἁμάξας & id genus nominant. Qvare mihi valde sunt suspecti traharii illi. Et qvid, si legamus, *& ad extremos astrabariorum?* Ita procul dubio Sidonius scripsit, perq; astrabarios intellexit eos, qvi astrabas & jumenta clitellaria ducunt; ut sit ab astraba, astrabarius, sicut à clitella, clitellarius, à rheda, rhedarius & id genus. Sanè prima syllaba in astrabarius apud Sidonium facillimè absorpta esse potuit per syllabam ultimam haud ita dissimilem vocis præcedentis, & *b* non mul-

tum

tum differt ab *h* in Manuscriptis. Postremo astrabarum usus frequentissimus in bello, sicut suo loco indicabitur. Sed si apud Sidonium sunt astrabarii, non intelligi possunt illi, qvi trahunt trahas ipsi, eqvove juncto ducunt, atq; adeò nec referri ad hanc classem. Qvanqvam non defuerint veteribus, qvi trahas aliave istiusmodi vehicula post se traxerint, licet fortè certum non habuerint vocabulum. Venio ad vehicula sacra, ea qvoq; constat homines traxisse funibus. Athenæus in Ptolemæi pompa lib. V. ubi de vehiculo, cui effigies imposita erat Bacchi: Μετὰ τούτους τετράκυκλος πηχῶν τεσσαρεσκαίδεκα, ὀκτὼ δὲ τὸ πλάτος ἤγετο ὑπὸ ἀνδρῶν ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. *Post hos rotis qvatuor currus longus cubitos qvatuordecim, latus octo, agebatur à centum & octoginta viris.* Ita paulò post de alio vehiculo, in qvo Nysſa Bacchi nutrix: Μετὰ δὲ ταύτας ἦγε τετράκυκλος πηχῶν ὀκτὼ πλάτος ὑπὸ ἀνδρῶν ἑξήκοντα. *Post has alter currus qvatuor rotarum latus octo cubitos à viris sexaginta ducebatur.* Atq; sic observes etiam in aliis. Similiter apud Virgilium Trojani ducunt sacratum Palladi eqvum. Versus sunt II. Æn.

*Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum*
*Subjiciunt lapsus, & stuppea vincula collo*
*Intendunt.* — — —

Dictys Cretensis: *Destructa murorum parte cum joco lasciviaque induxere equum, feminis inter se atque viris certatim attrahere festinantibus.* Et in universum de thensis Asconius in Verr. III. *Thensas dici putant, qvod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Præter has solennes vehicula deducendi consvetudines, accidit aliqvando, ut homines adjungerentur ob defectum jumentorum. Qvomodo leguntur juncti olim Cleobis & Biton ad matris suæ plaustrum. Meminit Philargyrius ad Georg. III. *Cydippe Argivæ Junonis sacerdos, cum boves deesſent, filios suos Cleobin & Bitonem plaustro subjunxit, & sic ad templum deducta est, qvod fas non erat illam venire sine plaustro.* Dicit Philargyrius, matrem eos subjunxisse; at, qvi primus hanc descripsit historiam, Herodotus ultro subiisse jugum ait. Ἐκκλητιζόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ οἱ νεηνίαι, ὑποδύντες αὐτοὶ ὑπὸ τὸν ζεύγλην, εἷλκον τὸν ἅμαξαν. *Juvenes excluſi tempore, jugum subeuntes plaustrum pertraxerunt.* Atq; sic Hyginus cap. 254.

*Inter*

*Inter quam trepidationem Gleops & Bitias pro bobus sub jugo se junxerunt, & ad fanum sacra & matrem Cydippem in plaustro duxerunt.* Nota, esse Gleopen Hygino, qvi Herodoto & aliis est Cleobis, & Bitian, qvi cæteris est Bito. Nam & Servius sic vocat ad prædictum Virgilii locum, ubi etiam ipse, *matrem, subeuntes jugo, ad templa duxere.* Sic sunt distingvenda illa verba, qvæ se malè habent in vulgatis. *Subire jugo*, est, qvod Hyginus dixit, *iungere se sub iugo.* Necessitate licet alia juncti olim homines. Legimus qvippe anus ad aratra sine dubio inopia qvadam jumentorum. Plinius lib. XVII. cap. 5. *In Byzacio Africæ campum post imbres vili asello, & à parte altera iugi anu vomerem trahente vidimus scindi.* Manuscripti & Chifflelianus codex habent, *iungi anum vomerem trahentem*, qvod rem clarius exponit. Qvanqvam à recepta lectione minimè fortassis recedendum. Non sunt dissimiles multum dicti olim apud Hungaros *currus Ladislai.* Nam cum incursione Tartarorum sub Ladislai IV. imperio vastatis omnibus jumenta qvoq; defecissent, homines ad plaustra & aratra juncti. Qvod vehiculorum genus odio Ladislai appellabant, sicut dixi. Memorant Bonfinius & alii temporum illorum Scriptores. Invenimus aliqvando junctos homines per superbiam, & in signum aliqvod victoriæ. Nec est ista consvetudo recens, verum pridem usurpata Sesostri apud Ægyptios. Josephus nominat Susacum. Diodorus lib. I. *Qui gentium devictarum regna indulgentia ipsius tenebant, aut alioquin principatus acceperant maximos statotempore cum donis in AEgyptum ventitabant. Quos Rex exceptos cætera honorare & eximiè provehere, sed templum vel urbem ingressurus, equos à quadrigis solvere, Regesque ac Duces quaternos subiugare solebat: planum ita cunctis, ut putabat, faciens, quod aliorum potentissimis totoque orbe clarissimis, bello subactis, in virtutis certamine sibi comparandum habeat neminem.* De eodem Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Victo Sesostre AEgypti Rege, tam superbo, ut prodatur annis quibusque sorte Reges singulos è subiectis iungere ad currum solitus, sicque triumphare.* Hinc Lucanus lib.

*Venit ad Occasum mundique extrema Sesostris,*
*Et Pharios currus Regum cervicibus egit.*

Argolus

Argolus in Notis ad Onuphrium pro *Occasum* citat *Oceanum*. Nimirum qvoniam in Oriente fuit Sesostris, præterea Oceanus extremum mundi, sicut dixi pridem in libris de Mil. Navali; Occasus autem non magis mundi extremum, qvam Oriens, vel Meridies, vel Septentrio. Sed omnino retinendum est *Occasum*, qvoniam postremum Sesostri fuit bellum cum Scythis, qvi Ægyptiis ad *Occasum*. Sesostri hac parte similis fuit Cyrus, uti testis est Cedrenus, qvando sic de ipso pag. m. 117. Ὁ Κῦρος αἰχμαλωτεύσας πολλοὺς βασιλεῖς, καὶ ἔχων αὐλοὺς ἐν φυλακῇ, προσέταξε τῇ ἑορτῇ τοῖς ὤμοις αὐλῶν σύρειν τὸ τέθριππον ἅρμα, ἐν ᾧ αὐτὸς ἐπωχεῖτο. *Cyrus cum multos haberet Reges captivos, & in custodia detineret, solenni quadam festivitate eos trahere suis humeris quadrigas jussit, quibus ipse vehebatur.* Postremo & lasciviæ caussa junctos homines legimus. Nam de Heliogabalo Lampridius cap. 29. *Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad papillam, vel ternas & amplius, & sic vectatus est: sed plerumque nudus, quum illum nudæ traherent.* Ita habent cum Schreveliana editio nupera, qvæ Salmasii, Casauboni, Gruteri editiones seqvitur, tum Henrici Stephani, atq; aliorum. Notant tamen pro *ad papillam*, Palatinum Manuscr. exhibere ad *pampillum*. Atq; ita editores Fori Romani repererunt suis in codicibus, unde *genus delicati currus* sunt interpretati. Sed pampilli qvidem nulla ratio denominationis liqvet, sive Græcam lingvam sive Latinam consulemus. Qvare sunt, qvi *pompilli* legere hic malunt. Sed de pompa nulla loqvitur Lampridius. Deinde nec *pompillum* legimus, sed *currum pompaticum*. Isidorus lib. XX. cap. 12. *Carpentum pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum.* Nempe sic *adventum pompaticum* dixit Tertullianus adv. Valent. cap. 16. Apud qvem cum reperiatur & *pompalis, pompalem* qvoq; *currum* dici potuisse liqvet. Qvare dubito de integritate hujus loci, & qvidvis potius, qvam *pompillum* aut *pampillum* legere volo. Neq; tamen *ad papillam* possum amplecti; ecqvid enim est, *jungere mulieres ad papillam?* Qvid papilla facit ad juncturam? Deinde, cum de pluribus mulieribus sit sermo, cur non *ad papillas* potius dicendum fuit? Neq; cogitare possumus sic junctas, ut jugum funesq; cingerent earum papillas: Nemo enim

ad hunc modum diceret, *jungere equos ad collum, vel cervicem.* Qvoties illud *jungere ad* occurrit, toties fit mentio rei, cui qvid adjungitur, & qvæ ducenda trahendave venit, ut jungere ad currum, ad aratrum. Qvare alia excogitanda lectio, de qva dicemus amplius, cum ad vehicula ipsa ventum erit. Neq; enim dubitare possum, qvin sub voce *papillam* vehiculi genus qvoddam lateat.

## Cap. XI.

## De jugo & funibus, qvibus junguntur.

*Iugum, unde.* Ζεῦγος *pro bovibus mulisve junctis. Athenæi & Polybii explicatio rejecta. Materia iugi lignum. Locus Esaiæ expenditur. Iugum unctum oleo. Iugum buxeum, æneum, ferreum. Figura eius eadem in omni genere iugalium. Iugum fuit curvum. Stevechii & Lipsii figuræ reiectæ.* Ζεύγλη. *Sub uno iugo duo, aliquando tria, sed non nisi certo fine.* Μέσαβα. *Gvaltherus notatur.* Ἀκροχηνίσκοι. *Curtius exponitur. Cælata iuga.* Γλυφὴ, ἄκρον ζυγοῦ. *Hesychius explicatur & emendatur. Stephani explicatio reiicitur.* Ζυγόδεσμον. *Pollux emendatur.* Ζυγοδλέτης. *Lora. Iugalorata. Subiugæ. Cato emendatur.* Ἕως ὀμφαλὸς ζυγοῦ. Λέπαδναι. *Eustathius explicatur, item Pollux.* Μασχαλιστῆρες. *Antilena, postilena. Plautus exponitur contra Lambinum.* Ὑπερὶς. *Pertinet ad clitellas.* Διερεισῆς. *Vossius reiicitur. Iugum equis solitum imponi.* Ζύγιοι ἵπποι. *Iugales. Item mulis atque asinis, & quidem in collo, ac liberè, ut possent excutere.* Λόφος. *Statius exponitur.*

ANimalia, qvæ ad currus junguntur, jungi ferè solent interventu jugi. Sic enim vocabant instrumentum illud, ad qvod & temo vehiculi & funes cæteri, qvibus trahebant, religabantur. Dicebatur verò jugum ita à jungendo, uti Varro testis est. *Iugum*, ait, *& jumentum à junctu.* Qvanqvam fortè rectius cum Gerhardo Vossio statuamus contra sese rem habere, ac à *jugo* venire *jugare*, item *iungere*. Jugum autem à Græco ζυγὸς derivari, permutatione qvadam literæ ζ, cui similem Latini non habent, in I, qvomodo & à μείζων *maius* est. Ζυγὸς profectò Græcis, qvod Latinis jugum. Philoxenus: *Iugum*, ζυγὸς. Licet hoc ζυγὸς fortasse sit à ζεῦγος, qvod, ut Hesychius est auctor, notat πᾶν τὸ ἐζευγμένον, id est, qvidqvid conjugatum sociatumq; est. Qvomodo est ζεῦγος pro bobus junctis apud Athenæum

Athenæum lib-I. cap.13. ubi agitur de saltatione Magnesiorum. Μάχεσθαι πρὸ ζεύγους ὀν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλὸν. Καὶ τέλος ὁλκῆς δήσας τὸν ἄνδρα, τὸ ζεῦγος ἀπάγει. Perperam Interpres: *Raptis armis ante iugum arator pugnat, tibiæ modis corporis motum adaptans. Ad extremum verò prædo vinctum aratorem cum iugo abducit.* Ζεῦγος enim hic sunt juncti boves, qvibus arator sparsa semina simulabat insinuare terræ. Sic ζεῦγος mulæ carrucariæ apud Polybium in Excer. Peiresc. pag. 154. Καὶ τῶν ὀρεοκόμων, καὶ τῶ ζεύγους, καὶ τῆς ἀποίνης αὐτῆς ὑπαρχούσης. Ubi pariter interpres malè, *iisdem pilento, bigis ac mulionibus.* Nihil enim hic de bigis agitur, sed mulabus. Materia ipsius vulgo fuit lignea. Inde habes apud Esaiam cap. 10. *Auferetur iugum de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Dicit, *computrescet,* qvod non convenit in aliam materiam, præsertim, cum addatur caussa, oleum. Græci omiserunt: Ita namq; habent: Καὶ καλαφθαρήσεται ὁ ζυγὸς ἀπὸ τῶ ὤμου σου. At Junius & Tremellius: *Imò disturbabitur iugum propter oleum.* Clarius Castalio: *Iugum ex cervice auferetur, iugo præ pinguitudine corrupto.* Nempe hoc vult, nisi fallor, fore, ut oleum nimis jugo inunctum non conservet ipsum, sed corrumpat. Solebant enim instrumenta illa lignea, qvo fierent durabiliora, oleo inungere. Cato R.R. cap. 98. *Amurca decocta* (ea fex est olei) *ligneam supellectilem omnem si ungves, non putrescet, & cum ea terseris, splendidior fiet.* Apud Homerum in vehiculo Priami buxeum est jugum. Verba sunt Iliad. Ω.

Κὰδ δ' ἀπὸ παστὰλόφιν ζυγὸν ἤρεον ἡμιάγειον
Πύξινον, ὀμφαλόεν τ', εὖ οἰήκεσιν ἀρηρός.

*Apaxillo iugum abstulerunt mulinum, buxinum, umbilicosumque, bene clavis aptatum.* Notat hic Eustathius, ita factum ab Homero, cum ad indicandum robur, tum, qvod sermo esset Regis de vehiculo, alias non fuisse usitatum. Verba ejus: Τὸ δὲ πύξινον, ἔστι μὲν καὶ πρὸς ἐρρότηλα, ἔχει δέτι καὶ κάλλος βασιλικῆ πρέπον ἀπήνη. Οὐκ ὂν ὁ ζυγὸς βόειος τοιοῦτος εἴη. Dicit, jugum vulgare, ac qvale bobus solebat imponi, non fuisse istiusmodi. Et profectò supra demonstravimus è carpino vel acere fieri consveviisse. Sicut autem vulgo lignea fuere juga, sic nonnunqvam legimus & ænea. Nam Horatius III. Carm. od. 9. ita habet, de Venere loqvens:

*Diductosque iugo cogit aëneo.*

Et Apollonius lib. III. Argon. v. 1283. de bubus Æatæ:

-- Ἴδε ζυγὰ χάλκεα ταύρων.

*AErea vidit iuga taurorum.* Sed & ferrea occurrunt. Claudianus:

-- -- *Sub iuga ferrea mittit*
*Cornipedes.* -- -- -- --

Et jam olim DEUS ipse apud Jeremiam Prophetam cap. 28. *Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, ut serviant Nabuchodonosor, Regi Babylonis.* Forma jugi fuit eadem in cunctis animalibus, cujuscunq; essent generis. Qvod colligimus ex eo, qvia neqve Græci neqve Latini differentiæ alicujus meminerunt. Nam qvod Cato de R. R. cap. 11. *iugum* memorat *plostrarium*, & mox *asinarium*, non tam pertinet ad formæ aliqvam diversitatem, qvam ad usum alium & alium, qvando illud pertinuit ad plaustra, hoc ad molas. Deinde, qvia, qvæ in jugo boario memorantur partes, eædem iisdemq; cum nominibus occurrunt & in jugo eqvorum, qvod ex Pollvce liqvet, qvi lib. I. cap. 10. 10. jugum eqvorum sic describit, sicut alii jugum boum, aliorumve animantium, ut constabit ex seqventibus. Deniq; ostendunt hoc imagines & monumenta prisca, qvando ea specie, qva boum, etiam eqvorum juga exhibent. Qvod ante omnia notandum, ne talia nobis imaginemur juga eqvorum, qvalia hodie per Germaniam regionesq; alias sunt in usu, orbiculata clausaqve, & qvibus eqvi colla inserunt. Nam contra veterum juga habuere ligna non duplicia, & coëuntia in orbem, sed simplicia, eaqve leviter inflexa circa medium, curvaqve. Inde Ovid. I. de Arte:

*Præbet & in curvo colla premenda iugo.*

Non igitur perite satis, qvisqvis in Stevechianis notis ad Vegetium qvadrigas pinxit falcatas, pag. 215. eqvis qvatuor imposuit tignum rectum instar asseris loco jugi. Sed nec Lipsii imago, qvam proponit in Notis ad libros de Cruce, pag. m. 116. est conveniens, & nos infra dabimus ex Trajani Columna alia specie. Curvatura illa Græcis ζεύγλη. Pollux: Τὰ κοῖλα τῶν ζυγῶν, ὑφ' ἃ ὑπάγουσαι οἱ ἵπποι, ζεῦγλαι. *Curvaturæ iugi, sub quas mittuntur equi, zeuglæ.* Observandum, qvod

qvod unius jugi curvaturas faciat plures. Τὰ κοῖλα, inqvit, & tamen de uno tantum jugo loqvitur. Videlicet non singula jumenta singula qvoq; apud veteres habuere juga, verum jugum unum simul incumbebat duobus. Inde factum, ut pro duobus istis jumentis uno in jugo duplex esset curvatura. Qvod de uno jugo in jumentis pluribus dixi, liqvet vel ex Columella, qvando capite de domandis bubus lib. VI. *Per hæc blandimenta triduo ferè mansvescunt, jugumque quarto die accipiunt.* Unum modò jugum memorat in pluribus. Similiter & lib. II. cap. 2. *In opere boves arctè junctos habere convenit, quo speciosius ingrediantur sublimes, jugumque melius aptum cervicibus insideat.* Qvin imò lib. VI. cap. 2. jugum memorat, qvo tres simul jungi possint boves, pertinens singulariter ad eos domandos. *Si*, ait, *non pigeat jugum fabricare, quo tres jungantur, hac machinatione consequemur, ut etiam contumaces boves gravissima opera non recusent.* Memorat hoc jugum velut singulare, atq; alias non usitatum, unde liqvet, vulgo habuisse, qvibus jungebantur tantum duo. Neq; alia est caussa, cur Latinis pariter ac Græcis jugum boum de duobus usurpetur. Eadem fuit ratio in eqvis. Ovidius propterea in curru Solis, qvem ducebat Phaëton, f. 3.

*Consternuntur equi, & saltu in contraria facto*
*Colla jugo eripiunt, abruptaque lora relinquunt.*

Jugo uni eripiunt colla plura, pluresq; eqvi. Itaq; & ipsi plures uni-co sub jugo, contra qvam receptum nostris esse moribus consvevit. Qvia ergo jugum unum pluribus, &, ut postea liqvebit, duobus simul incumbebat, ideò in eo curvaturæ binæ, qvæ à Græcis ζεῦγλαι dicebantur. Errant enim, qvi existimant fuisse ligna propendentia à jugo, hinc inde boum colla amplexantia: qvando nulla talia in imaginibus antiqvis. Etymologici auctor: Τὰ ζυγὰ τὰ τιθέμενα ὑπὸ τὰς αὐχένας τῶν βοῶν, οἱ μὲν ζεύγλας, οἱ δὲ βοείας, οἱ δὲ μέσαβα καλοῦσιν. Facit auctor hic eadem esse ζεύγλας atq; μέσαβα. Porrò, μέσσαβα sunt lora qvædam jugi, ut mox dicam. Sed notandum, ζεύγλαν duo denotare, lora ista, atq; curvaturam. Ideò & de μέσσαβῳ seu μεσάβῳ Stephanus, qvod aliqvibus sit ἡ τοῦ ζυγοῦ γλυφὴ, ἔνθα αἱ αὐχένες τῶν βοῶν δέδενται. *Jugi cavitas, in quam colla boum inseruntur, religanturve.* Sanè ζεύγλας apud

Pollucem non intelligi posse lora, vel ex eo liqvet, qvia statim post superius allata verba seqvitur, ὧν τὰ ἄκρα, ἀκροχηνίσκοι. Vertit ista Gvaltherus, *quarum* (zeuglarum) *extremitates cornua vocantur.* Si zeuglarum extremitates cornua, qvomodo possint esse lora, qvorum extrema sive capita nemo unqvam, credo, nominavit cornua? Qvanqvam Græca parum propriè reddiderit Gvaltherus: Alia enim *cornua*, alia ἀκροχηνίσκοι. Nam ἀκροχηνίσκοι propriè extremitates, qvæ desinunt in anserculos. Nimirum fuit ea consvetudo veterum, ut in jugis, præsertim eqvorum, extremitates sive capita formarent specie animalis alicujus, sive avis, maximè verò anserculi, qvod videmus apertissimè in jugo boum, qvod occurrit in columna Trajani, ista specie.



Habes satis clarè ἀκροχηνίσκον in hoc jugo. Ad eundem ferè modum cernitur in jugo alio à Lipsio in Notis ad lib. III. de Cruce exhibito, qvanqvam ibi pictoris insscitia canis aut piscis potius, qvam anseris, speciem exhibeat. Appellabatur autem illa extremitas ἀκροχηνίσκος, non qvod semper ibi anserculi haberet effigiem, sed qvod plerumqve. Namq; in qvadrigis, qvas diligentissimè delineatas exhibet Philippus Rubenus lib. I. Elect. cap. 30. pars illa jugi desinit in helicem, cochleæ figura. In vehiculo Darii ab uno capite Nini, ab altero Beli habebat effigiem. Memorat Curtius lib. III. cap. 3. cujus verba non satis hactenus intellecta, explicant abunde, qvæ hucusq; diximus. *Distingvebant*, inqvit, *internitentes gemmæ jugum, ex qvo eminebant duo aurea simulachra cubitalia, qvorum alterum Nini, alterum*

*alterum Beli gerebat effigiem.* Loco anſerculi jugum illud effigies Nini Beliq; habebat, unam in dextro, alteram in ſiniſtro capite, non demiſſas, ut paulò ante anſerinum caput vidimus in jugo bovino, ſed ſubrectas, ut opinor, qvia ſcribit, *eminebant*. Atq; hæc *cælata juga*, qvorum mentionem facit Propertius lib. II.

*Eſſe da cælatis ſiſte Britanna jugis.*

Cælata hic, in certas effigies formata, iſto modo, ſicut dixi. Habuerunt tamen & ſimplicia, nullisq; iſtiusmodi ſculpturis cælaturisve culta, qvorum poſtea effigiem exhibebo. Nunc cum ſatis conſtet, ἀκροχηνίσκους eſſe in jugis, ζύγλας eſſe partem jugi neceſſe eſt, qvia capita ſeu ἄκρα ζυγλῶν Pollux appellari dicit ἀκροχηνίσκους. Neq; aliud intellexiſſe cenſeo Heſychium, qvando ita ſcripſit: Ζύγλη. Ζυγὸς, ἢ τὸ ἄκρον ζυγοῦ καθ' ὃ ἐπίκειται τοῖς τραχήλοις τῶν ζώων. Qvod Pollux appellavit κοίλα, alii dixerunt γλυφὴν, id Heſychius ἄκρον τοῦ ζυγοῦ hic reddidit. Intellexitq; illud ſupernè inflexum, qvod imponitur cervici, & cui cervix veluti inſeritur. Itaq; is ipſe paulò ante: Ζύγλας, ζυγοὺς, ἢ μέρη τοῦ ζυγοῦ, καὶ ζευκτῆρας ἱμαντόδεσμοι. Tria dicit hoc vocabulum ſignificare, jugum integrum, vel certam ejus partem, vel lora qvædam ſive coria. Si partem ejus, alia profectò eſſe neqvit, qvam de qva huc usq; dictum eſt. Sed apud eum loco ζύγλας mallem ζύγλαι legere, ut ſubſeqventia reſpondeant. Ζύγλαι interim & ζευκτῆρες ἱμαντόδεσμοι, ut Heſychius teſtatur, hoc eſt, lora jugorum, non *juga falcata*, ut Gvaltherus reddidit absq; ſenſu apud Pollucem lib. I. cap. 14. Μέσακα exponit Etymologus, de qvibus Heſychius: Μέσακον, ἐξ ὠμοβοείων ἱμάντων, ᾧ τὸν ἰσχοβόα πρὸς μέσον τὸν ζυγὸν προσδέουσι ὅ τινες ἐχέβοιον. Sic ibi legendum videtur, non ἢ τὸν ἰσχοβόα, ſicut mea habet. *Meſſabum eſt lorum ex crudo corio, quo temonem alligant ad medium iugum, quidam echebœum appellant.* Bene τίνες, id eſt, *quidam*, nam echebœum aliter exponunt alii, ut mox dicam. Interea μέσακον eſſe funem illum, qvo temo alligatur jugo, firmat qvoq; Tzetzes ad Heſiodum. Μέσακοι δ' (inqvit) οἱ λῶροι, οἱ μέσοι ὄντες τοῦ ζυγοῦ, καὶ συνδέοντες τὸν ῥυμὸν τῷ ζυγῷ. Ubi nota, qvod ſit Tzetzæ μέσακον, qvi μέσακον Heſychio. *Meſabi*, ait, *ſunt lora, in medio iugi, quæ temonem iugo adfirmant.* Pollux qvoq; ad hunc modum lib. I. cap. 13. Ὁ δὲ πάλυς ἱμὰς, ὁ πρὸς ζυγῷ παρακαθαπτόμενος, ἐχέβοιον,

ἐχέβοιον, ἢ μεσόβοιον, καὶ μεσάβοιον καλεῖται. Stephanus non rectè *lorum bovem adiungens aratro* explicavit. Neq; satis evidenter Gvaltherus: *Lorum autem illud latum iugum contingens.* Qvid enim est *contingens?* Loqvitur de loro, qvod jugo alligat temonem, de qvo apud Pollucem proximè præcesserat. Et hoc est παρακαθαπτόμενον ζυγῷ, lorum, qvod alligatur jugo. De qvo speciatim hic observat Pollux, qvod fuerit πλατὺ sive latum. Idem lib. I. cap. 10. p. 10. ζυγόδεσμον vocavit. Τὰ δὲ συνάπτοντα αὐτὸ τῷ ζυγῷ, ζυγόδεσμα καλεῖται. Ita meus Francofurti anno MDCVIII. excusus. Verum sine dubio legendum συνάπτοντα αὐτὸν, ut respiciat ῥυμὸν, de qvo præcedit. Et verterunt: *Iugum autem huic alligantia, iugalia lora dicuntur.* In qvibus verbis illud *huic* sine dubio ad temonem retulerunt. Aliis est ζυγοδέτης. Hesychius: Ζυγόδεσμον, ὁ ἱμὰς τῷ ζυγῷ, ὃν ἔνιοι ζυγοδέτην. Latini generali voce *lora* vocant. Inde habes apud Catonem de R.R. cap. 10. *Iuga cum loris ornata tria.* Et Curtius de jugo Gordii loqvens lib. III. cap. 1. *Ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit, vel implevit.* Ausonius de iisdem epist. 24.

*Occyus illa iugi fatalis solvere lora*
*Pellæum potuisse ducem reor.* --

Virgilius ex hac caussa dixit *iuga lorata* in Moreto:

*Sub iuga parentes cogit lorata iuvencos.*

Speciatim tamen observo lora ista esse, qvæ Latini *subiugas* vocarunt. Glossæ veteres: Ζεύγλη *subiuga.* Catonem puto lora istæc appellasse *subiugia*, cap. 63. diversamq; ostendisse longitudinem eorum in plaustro & aratro. Verba habent ita: *Funem torculum esse oportet extentum P. LV. &c. subiugia in plostrum P. XVIII. funiculum P. XV. in aratrum subiugia lorum P. XVI.* Corrigenda hinc, qvæ leguntur apud eundem cap. 135. *Subiugia in lustrum lora ped. XIX. funiculum P. XV. in aratrum subiugia lora P. XII.* Ita habet mea editio à Comelino anno 1595. publicata. Sed scribendum, pro *in lustrum, in plostrum*, & pro *P. XIX. P. XIIX.* sicut contra in superiori loco pro *P. XVI.* mallem *P. XII.* Vulgo putant, subjugia fuisse lora, qvibus jugum collis boum eqvorumve aptabatur. Verum major apud me Glossarum fides, qvæ ostendunt ad temonem jugumq; pertinuisse.

se. Solebat autem lorum hoc religari circum clavum, qvem à jugo habebant trajectum, Græcis ἕστωρα vocatum. Scholiastes vetus Homeri Il. Ω. Ἕστωρ πάσσαλος ᾧ τῷ ζυγῷ ἐνιέμενος ὃν ἄκρῳ τῷ ῥυμῷ παρεπηγὸς. Ἔνθα κρίκος ἐμβάλλεται, ᾧ τὸ ζυγόδεσμον ἀποδέδεται εἰς συνοχὴν τοῦ ζυγοῦ. *Hestor est paxillus iugo immissus, in summo temonis defixus, in quem iniicitur annulus, & religatur lorum iugi, ut iugum contineat.* Ita Pollux: Ὁ δὲ πάσσαλος, ὁ διηρμένος ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ ἐπὶ τὸν ῥυμὸν ᾧ τὰ ζυγόδεσμα περιελίττεται, ἕστωρ. *Paxillus à iugo ad temonem erectus, cui lora iugi induntur, hestor.* Docent, paxillum istum fuisse in jugo, & transmitti consveviſse per temonem, qvia temonem jugo imponebant, ut ostendam in seqventibus. Circulum qvoq; sive annulum injecisse paxillo illi demonstrant, qvi annulus sine dubio in capite temonis fuit. Meminit hujus annuli Homerus etiam Il. Ω. in vehiculo Priami:

-- -- Ἐπὶ δὲ κρίκον ἕστορι βάλλον
Τρὶς δ' ἑκάτερθεν ἔδησαν ἐπ' ὀμφαλὸν.

*Annulum paxillo iniecerunt, ter verò utrinque ligarunt, iuxta medium.* Sic hæc explico; nam ὀμφαλὸν expresse Scholiasti veteri τὸ μέσον τοῦ ζυγοῦ, *iugi medium.* Et temonem cum loris ad medium jugi religari consveviſse superius demonstratum est. Qvando ait, *ter ligarunt,* lorum illud ter circum temonem jugumq; vult fuisse ligatum firmitudinis majoris gratia. Qvo fine qvoq; longum habebant. Qvod Homerus qvoq; indicat, qvando præmittit:

Ἐκ δ' ἔφερον ζυγόδεσμον ἅμα ζυγῷ ἐννεαπήχυ.

*Extuleruntque lorum cum iugo novem cubitorum.* Facit lorum longum novem cubitos, qvod est brevius nonnihil, qvam qvale Cato exigit in plaustro. Vult enim esse pedum XVIII. cum novem cubiti faciant pedes tantum tredecim cum dimidio. Dicit autem Homerus ter ligasse ἑκάτερθεν seu *utrinque,* qvod accipio de utraq; parte paxilli sive hestoris, ut in medio illorum vinculor ea emineret, qvæ simul ὀμφαλὸν ζυγοῦ ambibant. Habebat enim medium illud qvædam foramina, per qvæ firmitatis majoris gratia lora illa trajiciebant simul, cum temonem alligarent. Unde Hesychius: Ὀμφαλόεντα, ὀμφαλοὺς ἔχοντα ζυγόν. Ὀμφαλοὺς δὲ λέγουσι τὰς ἐν τῷ ζυγῷ τρώγλας, ἐφ' ὧν αἱ ἀνίαι δέδενται. *Vmbilicatum, iugum umbilicos habentem. Vmbilicos autem*

*vocant foramina sive cava iugi, in quibus lora religantur.* Fuerunt autem illa non tam integra foramina, qvam inciſuræ qvædam ad hoc factæ. Sic enim accipio, qvod ait Euſtathius: Ὀμφαλόεν δὲ, τὸ, ἢ κύκλους τινὰς κοίλους ἔχον ὀμφαλοειδεῖς, ἢ γλῦμμά τι κοῖλον περὶ τὸ μέσον τοῦ ζυγοῦ, ὅπου οἱ ἱμάντες περίκεινται. *Vmbilicatum verò, quod habet circulos quosdam cavos umbilicorum figura, vel inciſuram cavam circa medium iugi, circa quam ligantur lora.* Præter lorum, temonem jugo alligans, video & lorum aliud à jugo circa colla boum. Exhibet manifeſtè pictura proximè propoſita, & qvam Lipſius in de Cruce publicavit. Similiter in illis bobus occurrit, qvos ex Porcii marmore dedit Petus libro de Ponderibus & Menſuris. Boves trahunt aratrum, cum jugo iſtiusmodi.



Habes hic lorum à capite jugi, qvod hic ſimplex eſt, deſcendens ambiensq; bovis collum. Græcos λέπαδνα exiſtimo vocaſſe. Euſtathius II. E. Λέπαδνα κυρίως, πλατεῖς ἱμάντες, οἷς ἀνεδέσμουν οἱ τράχηλοι τῶν ἵππων πρὸς τὸν ζυγόν. *Lepadna propriè lora lata, quibus colla equorum religantur ad iugum.* Dicit primum manifeſtè, lora hæc pertinuiſſe ad colla, eaq; religaſſe ad juga, qvod notandum. Deinde lora hæc fuiſſe ait lata. Atq; hac effigie cernuntur in bobus plauſtri, qvod in tabula marmorea expreſſum ſervant ædes Barbarinæ. Hic ſanè lorum ſive corium eſt bene latum, qvod colla boum ligat ad jugum. Verum

non

non de boum jugo loqvitur Eustathius, sed eqvorum. Credo, qvod in verbis Homeri, qvæ exponit, esset mentio eqvorum. Pollux aliter nonnihil de hoc genere lib. I. cap. 10. p. 11. Τὰ δὲ ἀπὸ τῶν ῥυμῶν ἀπηρτημένα, τὰ ὑπὸ τὰς αὐχένας τῶν ἵππων ἑλκόμενα, λέπαδνα. *Quæ verò à temone extensa sub equorum collis constringuntur, lepadna.* Facit ipse lepadna descendere non à jugo, verum à temone. Sed cum Eustathio consentit etiam Hesychius: Λεπάδια, ἱμάντες πλατεῖς, οἷς ἀναδέονται οἱ τράχηλοι τῶν ἵππων πρὸς τὸν ζυγόν. Ita habent editi, sed legendum Λέπαδνα, qvod jam Stephanus observavit. *Lepadna*, inqvit, *lora lata, quibus religantur colla equorum ad jugum.* Expresè dicit πρὸς τὸν ζυγὸν, *ad jugum*, non ad temonem. Potest tamen verum esse etiam alterum, si credamus illa lora pependisse ab una parte à temone, ab altera revincta fuisse ad jugum. Et



hoc velle ἀπηρτημένα Pollucis videtur. Auctor Etymologici alio nomine vocata putat μασχαλιστῆρας. Λέπαδνα, inqvit, οἱ κατὰ τῶν ἱππίων στηθῶν ἱμάντες, οἱ μασχαλιστῆρες. *Lepadna sunt lora circa pectora equorum, quæ & maschalisteres.* At hæc inter se distingvit, & diversa facit Pollux. Nam post ea, qvæ de lepadnis, subdit: Τὰ δὲ ὑπὸ τὰς ὤμους τῶν ἵππων, μασχαλιστῆρες. *Quæ verò sub scapulis equorum, maschalisteres.* Ponit maschalisteres ὑπὸ τὰς ὤμους, cum lepadna sint κατὰ τῶν στηθῶν. Et certè lepadna omnes agnoscunt in collo, vel, qvod idem est, in pectore. At maschalistires esse circa scapulas humerosqve ipsa vox earum docet. Nam μασχάλη Græcis *ala* vel *axilla*. Hesychius: Μασχαλιστὴρ ὁ διὰ τῶν μασχαλίων δεσμὸς τὸ ὑποζυγίου, τὸ αὐτὸ καὶ μασχαλίς. *Maschalister, vinculum per axillas iumenti, quod & maschalis.* Credo tamen, duo ista lora interdum in summo fuisse conjuncta, indeq; factum esse, ut pro eodem sumerentur. Ita suspicor ex imaginibus vetustis, qvæ ab Onuphrio ex tabula marmorea ædium Farnesiarum sunt delineatæ. Ecce tibi cervum currui in Circo ita junctum.



Cingulum, qvod collum atq; pectus ambit, & lepadnon, qvod super humeros & axillas decurrit ad ventrem, maschalister, utrumq; in summo conjungitur nodo, in qvo fuisse annulus tenendis frenis videtur. Atq; ita cernas & in qvadrigis à Rubenio delineatis lib. I. Elect. cap. 30. Erant tamen, qvi alterutro carebant. Qvod ex iisdem

dem Onuphrii imaginibus apparet, qvarum aliqvæ lorum habent circa collum, aliqvæ tantum circa humeros. Et fortassis potest hoc ex eo esse, qvod, qvæ animalia non habebant jugum, ut ea, qvæ trahebant solis funibus à latere jugariorum, ea nec haberent lepadna, sive lora circa collum, sed tantum circa humeros & scapulas, id est, maschalisteres, ad qvas funes horum puto fuisse religatas, sicut ad lepadna jugum ac temonem. Certè, si consideramus bene Rubenii qvadrigas, qvæ omnium diligentissimè sunt pictæ, alia videmus lora circa colla jugariorum, alia circa colla funariorum. Hæc enim tenuia & parva sunt: at illa jugariorum prorsus lata, & à loris triplicibus inter se composita, manifestèq; jugo, cujus caput, desinens in helicem seu spiram à latere unius eqvi, apertè cernitur, innectuntur. Cæterum, hoc loramenti genus qvomodo Latinis dictum sit, hactenus ignoro. Nam τῆ *antilenæ* vox, qvam qvidam afferunt, idonea auctoritate caret. Neq; *postilena*, unde antilenam deformarunt, propriè de loro usurpatur, ut apparet ex Plautinis verbis, in qvibus solis illa vox occurrit. Ita namq; habent in Casinæ A. I.

*Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe,*
*Vt postilena possit ex te fieri.*

Hic profectò postilena *lorum crassum*, sicut explicat Lambinus, significare non potest. Nullum enim lorum natura sua curvum. Flecti qvidem in utramq; partem potest, at per se curvum non est. At verò postilena, etiam priusqvam postilena fiat, debet esse curva, ut postilena possit fieri. Dicit enim Plautus, *te curvum faciam*, non ut *sis*, sed ut ex te *possit fieri* postilena. Qvare melius, qvi lignum incurvum interpretantur, qvod mox ipse facit Lambinus. Nihil eo ligno hodieq; vulgatius in jumentis clitellariis, mulis maximè. Lignum est tres circiter digitos latum, unum verò crassum, figura literæ π Græcorum non absimili, nisi qvod obtusiores rotundioresqve habeat angulos. Ejus extrema duo capita firmantur ad clitellas, cætera muli nates ambiunt sub cauda, unde & in lexico Argentoratensi ὑπυρὶς, id est, *subcaudale*, dicitur. Illud lignum postilena neq; usum habet ullum in iis animalibus, qvæ adjuncta vehiculis. Cæterum, qvia postilena lignum, ejus imitatione dici antilena neqvit, nullum

enim lignum istiusmodi ab anteriori parte, neq; in clitellariis, neq; in vehicularijs jumentis. Lego tamen in antiqvo Lexico Argentoratensi: *Antilena*, προσηθίδιον. Et in Lexico Cyrilli: στηθιστὴρ, *antellina*. Item in Philoxeno: *Antilena*, ἱμὰς ἵππων, & mox, *antelena*, διεζηστήρ. Ὃ ἐστιν ἱμὰς ἵππων περὶ τὸ στῆθος. Qvibus verbis declaratur, per antilenam significari non lignum aliqvod, qvale postilena fuit, verum lorum, idq; circa jumentorum pectus. Qvanqvam, qvid postremo loco sit διεζηστήρ, haud intelligam, & διαστηθιστὴς vel cum Martinio διεζευστὴς existimem legendum. Porrò, si est lorum, illud ipsum fuerit, qvod Græci λέπαδνον dixere. Interim vix dubito, qvin Latinum saltem vocabulum sit novum, ac fortassis ne id qvidem signet, qvod est λέπαδνον. Invenio id enim usurpatum apud Mauritium nostrum, non in vehicularijs, sed sellarijs. Mauritius noster lib. I. c. 2. Καὶ μικρὰ τυφία ἐν τῶν ὀπισθολείνων καὶ ἀντελίνων. *Parva tuphia in postilenis & antilenis.* Loqvitur de eqvitibus illorum temporum, qvi cum habuerint sellas in eqvis, sicut liqvet ex eodem capite, valde mihi verosimile, antilenas hasce inventas esse cum ipsis, & ad easdem propriè pertinuisse, neq; ullo modo spectasse ad juga, vel significasse illa lora, qvibus ad vehicula trahenda utebantur. Certè Græca qvoqve, qvæ in Glossis occurrunt, nova sunt, nec apud veteres recepta, ut appareat rem qvoq; novam denotare. Accedit qvoq; Isidorus, qvi ob caussam hanc expresse: *Antella, quasi ante sella, quemadmodum postella, quasi post sella.* Nam *antella* & *postella* ipsi, qvod aliis *antilena* & *postilena*. Unde apertè seqvitur, ad sellas pertinuisse. Fueruntqve hæc omnino ἱμάντες, id est, lora coriacea, sicuti Philoxenus testatur, hodieq; receptum est. Nec videre possum caussam, qvare vestes maluerit explicare Vossius in Lexico. *Sanè vestem fuisse de cauda dependentem arguit, quod antilena item vestis erat, qua pectus equis tegebatur*, ait, postilenam explicans. Verum talem de cauda dependentem vestem nemo prodit veterum, nec in ullis monumentis aut imaginibus antiqvis potest observari. Atq; istoc qvidem jugum apud veteres. Solebat autem jugum istiusmodi usurpari non in bubus tantum, qvæ res notissima, verum etiam in eqvis. Liqvet ex loco Curtii, qvem attulimus in præcedentibus, & Virgilius lib. III. Æn.

*Sed*

*Sed tamen iidem olim curru succedere sveti*
*Quadrupedes & frena jugo concordia ferre.*

Hinc apud Græcos ζύγιοι ἵπποι, apud Latinos *jugales*. Sic enim eqvos istiusmodi appellat Virgilius Æn. VII. & Servius ad lib. V. Æn. *Iugis*, pro *equis jugalibus*. Mulis qvoq; imponi solebant. Unde Claudianus in Epigrammate de mulabus Gallicis:

*Et pareant duro libera colla jugo.*

Etiam asinis. Itaq; habes apud Catonem *jugum asinarium* in de R. R. cap. II. *Iugum plostrarium 1. jugum vinarium 1. iugum asinarium unum*. Et hac ex caussa apud eundem cap. 62. *Iuga boum, mulorum, asinorum* nominantur, pro tot paribus. Illud etiam notandum, qvod hæc juga haberent in collo. De bubus res est nota, qvanqvam aliqvi religarent ad cornua, qvod minus probabatur. Columella lib. II. cap. 2. *In opere boves arctè iunctos habere convenit, quo minus colla eorum labefactentur, iugumque melius aptum cervicibus insideat. Hoc enim genus iunctura maximè probatum est. Nam illud, quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur iugum, ferè repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt. Neque immeritò: Plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quam cornibus*. De mulabus discimus ex Martiale, qvando lib. IX. in Edilum epigrammate, qvo nil dicit esse tritius, inter alia sic ait:

*Non ruptæ recutita colla mulæ.*

Vocat enim *ruptam*, qvæ est læsa à jugo. Læsionem porrò illam facit in collo, qvod appellat recutitum, qvia labra vulneris reflectuntur hiantqve. De eqvis discimus ex Scholiaste veteri Homeri, qvando ζυγὸν exponit, τὸ ἐπιτιθέμενον ξύλον ταῖς τραχήλοις τῶν ἵππων, *lignum impositum collis equorum*, ad Il. E. Inde Curtius lib. IV. cap. 15. *Equi crebra iactatione cervicum iugum excusserant*. Qvibus verbis simul liqvet, non fuisse religatum validè, sed potuisse excuti. Hinc de Solis eqvis Ovidius in fabula Phaëtontis: *Saltu in contraria facto Colla iugo eripiunt*. Tacitus Vita Agr. cap. 31. de Brigantibus, respectuq; hujus rei: *Nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere*. Et Florus lib. II. cap. 14. de Macedonibus: *Sed prior iugum excutit Macedo*. Sed & *imposita* tantum juga iccirco dicuntur. Cicero de

Nat.

Nat. D. *Nos onera quibusdam bestiis, nos iuga imponimus.* Græci partem illam colli appellabant λόφον. Eustathius Il. Ψ. Λόφος δὲ ἐπί τε βοῶν καὶ ἵππων καὶ ἡμιόνων, τόπος τῦ τραχήλυ, ᾧ ἐπιτίθεται ὁ ζυγός. Statius tamen juga ponere in pectore videtur lib. VI. Theb. illo versu:

-- *Nunc avidi prono iuga pectore tangunt.*

Non intelligo, qvomodo tetigerint juga pectore, si fuerunt in collo. Nam de viris currus agitantibus sermo esse non potest, qvia reliqva non ipsos spectant, verum eqvos. Sed fortasis sermo est de jugis non propriis, sed præcedentibus, qvoniam velut ex opposito dixerat ante: *Spatio, quo quisque valebat diducti* fuere. Qvanqvam, cum sit ibi sermo de qvadrigis, qvarum interiores tantum eqvi jugum habent, qvomodo id subseqventes tangere potuerint, perinde intelligere haud valeam. Igitur notandum, non hic cohærere *tangunt pectore*, verum absolutè dici, *juga tangunt*. Dicuntur tangere juga, qvi pedibus cursu in altum sublatis genubusq; hoc faciunt, maximè, si ipsi pectora collumq; flectant, sicut fit in concitato cursu. Qvo respectu qvoq; additur *avidi prono pectore*. Vult enim pectus per aviditatem studiumq; currendi habuisse pronum inclinatumq; ad terram. Cum qvo, qvia & cervix & jugum ipsum inclinabatur, fieri profectò poterat, ut genubus tangerentur juga.

## Cap. XII.

## De ratione jungendi.

*Vni iugo iuncti duo tantum. Olim erant singuli per se, alii post alios in vehiculo. Isidorus explicatur. Temo perpetuus, quid. Emendatio Salmasiana expenditur, vetusque Isidori lectio stabilitur. Temones plures, unus post alterum.* Τέλαρυμος, ὀκτάρυμος. *Centum iuga in vehiculo. Protelum. Protelare. Nonius explicatur. Protendi ordines equorum. Equi singuli longa serie. Claudianus, Martialis & Cato explicantur. Clisthenis ætas, & quid invenerit. Funarii prisci quales.* Παρήοροι. *A fronte, non latere iugalium stabant. Homerus explicatur.* Τέλαζυγον & τελάρυμον *ut differant. Alexandri mirum vehiculum, in quo singularis iunctura. Tota ratio iungendi breviter explicata. Funes.* Σειραὶ. Ἡνίαι. *Pollucis versio notata & Gyphanii. Eustathius expositus.* Ῥυμῶρες. Ἑλκυστῆρες. *Helcia, tæniæ, copulæ, iunctura, iungla.* Κόσμος μέλων.

μέλων. *Argenteæ iunctura. Funes quo religati.* Μεσάτιον & μεσάτιον *differunt. Equi, cum ad currum firmantur, dicuntur iungi. Iuncti muli pro vehiculo. Iunctos conscendere. Currus iuncti. Iuges & iuncti differunt. Seiuges non sunt sex iuncti. Isidorus explicatur. Iungere & iugare differunt.* Ζευγνύναι ἵππους. Ζεῦγος. Τρίζυξ. Τελράζυξ. *Philoxenus emendatur. Abiungere. Abiugare.* Ἀποζευγνύναι *Seiungere. Deiungere. Scaliger & Taubmannus notati. Interiungere. Martialis vetus lectio contra Scaligerum probata & exposita. Equus dexter, sinister. Equi medii. Equus dexter & medius dexter differunt. Iugales & medii num fuerint sexus feminini. Argolus & Salmasius reiecti. Equæ velociores maribus. Funalibus non semper tributa in Circo victoria. Introiuges, qui.* Οἱ ἔξωτε ζυγοῦ. *Vnus tantum equus in triga vel quadriga, cui victoria debebatur.* Παρήοροι, σειράφοροι, σειραῖοι, ἀκροῆρες. *Chrysostomi lectio defensa contra Salmasium.* Δεξιόσειροι. *Dexter. Lævus. Primus. Secundus. Argolus & Salmasius iterum reiecti. Silii locus examinatus, & Stahlii. Stahlius aliter emendatus, atque à Salmasio factum. Funalis dexter præcipuus in curru, non sinister. Primus funalis est dexter. Equorum iuncturas quis primus omnium ostenderit.* Ἱπποδρομία. Ἅρμα ζεῦξαι.

JUgis usos esse veteres ad junctúram, ante vidimus. Qvæ verò ista fuerit junctura, qvove modo singula, qvo bina, terna junxerint animalia; unone jugo omnia, num verò pluribus, & utrum qvædam nullo, id nunc est dispiciendum. Atq; olim qvidem boves, eqvos, asinos uno jugo adjunxisse duos, manifestum est. Hinc enim *iugum boum, equi iugales,* & id genus, sicut supra qvoq; vidimus. Qvin imò de sydere, qvod plaustrum appellarunt Græci Latiniqve vetustissimi, sic Hyginus in Poët. Astron. *Ex septem stellis duæ, quæ pariles, & maximè in uno loco viderentur, pro bobus haberentur, reliquæ autem figuram plaustri simularent,* constituerunt. Dicit eas stellas habitas pro bobus, qvæ maximè pariles & vicinæ, qvoniam ut in uno juncti jugo videbantur. Sed ignoro, annon stellæ ipsæ explicationi huic repugnent: Neqve enim una ab alterius consistit latere, sed altera alteram à tergo veluti consequitur. Ut aut valdè rudes veteres in formandis istis imaginibus fuisse, aut hanc novam & ex præsenti usu

desumptam Hygini esse interpretationem oporteat. Sanè, qvin & alias bovem unum junxerint post alterum, si essent plures, & vehicula oneraria vel rustica, ego qvidem dubitare neqveo. Et colligitur ex eqvis, qvi sic juncti antiqvissimis temporibus. Isidorus: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat, perpetuoque, & qui omnibus equis iniiceretur. Iugo primus Ciristenes Sicionius tantum medios iugavit.* Vocat temonem duplicem *perpetuumque*, qvando alter ab alterius capite procedit. Hoc enim *perpetuum* Latinis, qvando absqve intermissione qvid procedit, qvomodo *perpetua fossa, montes perpetui, trabes perpetuæ*, de continuis nulloq; interstitio diruptis divisisq; usurpantur. Jam si temo duplex, illeq; perpetuus, necesse est, ut ad unum duo eqvi & ad alterum ante hunc iterum duo eqvi alii primis temporibus fuerint firmati. Scio, aliter hæc verba legere Salmasium in Exercitationibus Plinianis, nempe illo modo: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat, perpetuoque, & quod omnibus equis iniiceretur, iugo:* Atq; ita illud *perpetuo* referre non ad duos temones, sed ad jugum. Verum adversatur emendationi huic primò constans codicum omnium lectio, in qvibus semper *qui* est, qvod referri, nisi ad temones, neqvit. Deinde jugum unum unqvam pluribus impositum, qvam duobus, in vehiculis vulgaribus ad bellum pertinentibus, qvi probabitur? Contra duobus tantum indi consveviſſe scimus nos vel ex Homero, qvi vixit annis circiter trecentis qvinqvaginta ante nominatum Isidori Ciristenem, vel, ut scribi oportebat, Clisthenem. Verba sunt manifestissima Il. π. ubi describit pugnam Sarpedonis cum Patroclo:

Τὼ δ' διαστήτην· Κρίνε δ' ζυγὸν ἠνία δ' ἔσφι
Σύγχυ', ἐπεὶ δὴ κεῖτο παρήορ' ἐν κονίῃσι.

*Hi autem divisi sunt, stridit verò jugum, funesque confundebantur, postquam jacebat in pulvere funalis equus.* Hic, nisi fallor, trigæ describuntur, certè trium in curru eqvorum mentio fit nominatim. At jugum non in tribus omnibus, sed tantum in duobus, qvia tertius παρήορος, id est, extrà jugum fuit constitutus. Homerus itaq; nescivit jugum istiusmodi continuum aut perpetuum, qvale prodidit Salmasius. Unde qvoq; seqvitur, cum tanto Clisthenes sit recentior,

centior, qvod primus jugum duobus tantum eqvis in plurium eqvorum curru imponere non instituerit. Contra temonum plurium, unius post alterum collocatio vetusta est. Eam enim legimus & in vehiculis Abradatis Cyriqve, qvi vixerunt circa illa ipsa Clisthenis tempora, ut mirum non sit, si hanc consvetudinem mutavit. Xenophon profectò lib. V. Pæd. Abradatis currum vocat τετράρυμον ἐξ ἵππων ὀκτώ. *Instructum qvatuor temonibus & eqvis octo.* Et paulò post currum Cyri ὀκτάρυμον, *instructum temonibus octo*, tractum verò ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν, *octo jugis boum.* Unde qvoq; discimus, qvod jam alias ostendi, veteres qvot paria animalium haberent ad vehiculum, tot habuisse temones, hocqve valuisse non in bobus magis, qvam in eqvis, fuisseq; omnium eandem rationem. Nec est, ut existimemus, qvod Salmasius putabat, temones illos fuisse juxta se collocatos, alios dextros, alios sinistros. Ita enim similes fuissent currus illi τετρίπωοις. At Xenophon non dicit habuisse ὄκτιππον, vel ἐννεαζύγιππον, qvomodo hujus generis alia vehicula ἕξιππα, τέτριππα & similiter Græcis nominantur, verum ὀκτάρυμον, vel τετράρυμον. Deinde, qvis omnino Cyri ætate legit ὄκτιππον, seu octojuges? ut de aliis non dicam. Sed nec ad postremum, qvomodo vel boves vel eqvi sedecim uno in vehiculo æqva fronte statui jungive potuerint, apparet, qvod tamen in Cyri curru fuit necesse, si eum ex sententia priori explicemus. Qvare supereſt, ut credamus, temones illos qvatuor vel octo fuisse alios post alios, id est, *perpetuos*, sicut Isidorus appellabat. Maximè, cum ex temonibus Xenophon vehicula ista, unum ὀκτάρυμον, alterum τετράρυμον, potius, qvam ex eqvorum numero, maluerit appellare. Qvid, qvod ista ratio deinde qvoq; fuerit servata in onerariis vehiculis? Docet manifestè Lucilius Sat. XII. cum ait: *Hunc juga mulorum protelo ducere centum*
*Non possunt.* — — — —
Centum juga sunt centum paria, qvorum qvodlibet ad suum propriumq; jugum est firmatum. Hæc centum paria protelo ducunt qvidpiã, qvãdo ducunt cõstituta lõga serie. Hoc enim *protelo* significat. Qvemadmodum res ipsa, qvando ita longa serie constituũntur, Latinis *protelare* dicitur. Unde Nonius: *Protelare, rursus adjungere.*

*jungere.* Ita enim rectè emendavit Faber, & ex libris optimis expressit Mercerus. Dicit, *rursus adjungere*, qvod est, adjuncto jam uni jugo jugum aliud adjungere, & huic rursum aliud. Qvod factum aliqvando, donec essent centum, indicat Lucilius, qvi numerus jugorum, nisi aliis ante alia collocatis, intelligi non potest. Habemus itaq; vehicula vetustissimis temporibus sic juncta, ut, si plura boum aut eqvorum essent paria, alia antecederent, alia sequerentur, serie continua, interjuncto inter singula temone, qvi, qvia mutuo se excipiebant longo ordine, iccirco ab Isidoro *perpetui* sunt dicti. Eandemq; rationem videmus servatam postea qvoq; in vehiculis onerariis, sive boves ea ducerent, sive muli, sive eqvi. Pertinet huc enim locus etiam alius Lucilii ex Sat. VI. ubi ait:

*Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri*
*Ducere protelo validis cervicibus possent.*

Nam & hic protelo ducunt tauri, qvando longa serie alii post alios junguntur. Sed & ex Sulpitio Severo hoc discimus, qvi fiscalem rhedam sic describit sui temporis. Verba sunt Dial. II. cap. 4. *Per aggerem publicum plena militaribus viris fiscalis rheda veniebat. Sed ubi Martinum in veste hispida nigro & pendulo pallio circumtectum contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta hæserunt. Deinde funibus implicatis protentos illos, quibus, ut sæpe vidistis, miseranda animalia conglobantur, ordines miscuerunt.* Non est dubium, qvin *protenti ordines* jumentorum hoc loco sint alii ante alios longa serie incedentes. Ideòq; funium fit mentio in his verbis, qvibus implicati non intelliguntur, nisi junctos isto modo dicamus. Adde, qvod communis numerus eqvorum in tali rheda fuerit vel denarius, vel octonarius, qvantus nusqvam vel rarissimè legitur in curribus, qvi æqva fronte eqvos habebant collocatos. Constantius Imperator in l. 8. C. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad rhedam æstivo tempore, hyemali decem.* Nisi qvis non duas & duas incessisse mulas hic existimet, verum pro se singulas, qvam fuisse rationem antiqvissimam jungendi, maximè in onerariis vehiculis & ad itinera spectantibus, jam ab initio monstravi. Claudianus Epigr. de Mulabus Gallicis, in esseda:

*Quamvis*

*Quamvis quæque sibi longis discurrat habenis,*
*Et pateant duro libera colla jugo,*
*Ceu constricta tamen servit, patiensque laborum*
*Barbaricos docili concipit aure sonos.*
*Absentis longinqua valent præcepta magistri,*
*Frenorumque vicem lingva virilis agit.*

Non potuisset elegantius exprimere consvetudinem Gallicam jungendi jumenta, qvæ hodieq; durat, nec apud Gallos modò, sed & Germanos passim est recepta. Verè ibi qvodq; sibi discurrit, absq; ullo socio. Qvo respectu qvoq; Claudianus *libera colla* dixit, non qvod libera omnino essent, sed qvod libera à socio. Et hoc est, qvod subdit, *servire tamen ceu constricta*, nam *constricta* sunt conjuncta copulataq; cum alio sub eodem jugo. Currebant igitur hæ mulæ pro se singulæ, una post alteram, longo tractu. De eadem ratione accipio & Martialem lib. V. epigr. in Paulum:

*Vixque datur longas mulorum vincere mandros,*
*Quæque trahi multo marmora fune vides.*

Marmora namq; trahuntur *multo fune*, qvando eqvis mulisve pluribus longo ordine ante se junctis vehuntur. Qvo fortassis fine ibi mulorum longas habuere mandras, sive stabula, qvia mulis trahi multis consveverant. Item Catonem, qvando ait lib. V. Orig. de bubus: *Sed protelo trini boves unum aratrum ducent.* Ducent, ait, trini, non communi ratione, missiq; sub unum jugum, sed *protelo*, id est, alii post alios juncti. Qvomodo & apud Plinium habes *octonos boves ad singulos vomeres anhelantes*, lib. XVIII. cap. 18. Sicut autem ratio hæc absq; dubio vetustissima, nec in onerariis aut itinerariis solummodò, sed & militaribus vehiculis olim servata, ita eam postea, saltem in militaribus, aut qvæ ad speciem illorum facta erant, ludicris & ad spectacula destinatis Clisthenes immutavit. Isidorus loco antea laudato: *Quadrigarum currus duplici temone olim erat perpetuoque, & qui omnibus equis injiceretur. Iugo primus Clisthenes Sicionius tantum medios jugavit, eisque singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρας, Latini funarios vocant, à genere vinculi, quo prius alligabantur.* Clisthenes hic Sicionius Si-

cioniorum fuit tyrannus, cujus mentionem facit Athenæus, Polyænus, Frontinus atq; alii, vixitq; circa tempora Solonis, ut observat ex Herodoto Clariſſimus Valleſius in annotatis ad Excerpta Diodori, hoc eſt, circa Olympiadem qvadrageſimam & ſeptimam. Ante qvod tempus proinde, ſi audimus Iſidorum, qvadrigæ habuerunt eqvos non æqvali fronte conſtitutos, verum duos ante, duos poſt, cum duplici temone. Cliſthenes temonem priorem demſit, eqvosq; diviſos, unum à dextra, alterum à ſiniſtra poſuit, ut deinde æqva fronte omnes qvatuor incederent. Sed qvid eſt, qvod addit Iſidorus, eqvos utrinq; additos dictos *funarios* à genere vinculi, qvo PRIUS alligabantur? An & prius funibus alligati? At ajebat ante duplicem habuiſſe temonem. Nec exponit nobis hoc Salmaſius, qvi & ipſe ante Cliſthenis ætatem omnes facit jugales. Verba ejus hæc ſunt: *Prius quatuor equos ſic jungebant, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus injiceretur. Tum nullus in curru funalis equus fuit, ſed omnes jugales.* Si nullus tum funalis, qvomodo Iſidorus dicit, appellatos funarios à genere vinculi, qvo *prius* qvoq; & ante ætatem Cliſthenis alligabantur? Et profectò, qvin qvadrigæ veteres habuerint jugales omnes, dubitari neqvit, ſaltem ob temonem duplicem, qvoqvo illum modo, ſive perpetuum, ſive alterum juxta alterum intelligas. Unde ergo Iſidori funarii, & qvidem ante Cliſthenis ætatem? Ego puto ita dictos non reſpectu qvadrigarum ante Cliſthenem, ſed trigarum. In his enim habuiſſe ut jugales duos, ita unum παρήορον, ſupra etiam ex Homero vidimus. Sed de hoc παρήορῳ ſeu funario eſt dubium, qvem habuerit olim locum. Salmaſius æqvali eum fronte collocat cum jugariis. Verba ejus in Exercitationum magno opere p. 900. *Heroës ut plurimum trigis uſi leguntur in bello. Duobus ſubjugis equis adnexus erat vinculis alius equus extra currum, quem παρήορον dicebant.* Extra currum ait, hoc eſt, à latere eqvorum reliqvorum. Sed ſi hæc trigarum fuit ratio vetuſtiſſimis temporibus, ſcire cauſſam velim, cur, cum facerent qvadrigas, mallent addere temonem, qvam funali uni, qvem in dextro latere adjunctum jam jugariis habebant, ut Salmaſius exiſtimat, funalem alium adjungere in ſiniſtro? Atqvi illud

maluis-

maluisse ante Clisthenis ætatem necesse est, ut credamus, si Salmasii stamus sententiæ. *Equos*, ait Salmasius, *sic jungebant, ut duplici temone equis interiecto perpetuum iugum omnibus iniiceretur.* Cur, qvod incommodum putarunt in trigis, ut tres eqvos mitterent sub unum jugum, id putarunt non incommodum in qvadrigis, ut sub jugum unum mitterent qvatuor? An qvid minus verosimile potest dici? Qvare mihi semper is παρήορος in trigis visus non à latere jugalium adjunctus, verum fronte. Ac putavi posse ita colligi vel ex Homero, qvando scribit Il. Π. in hunc modum:

Κάδδ' ἔπεσ' ἐν κονίῃσι μακών, ἀπὸ δ' ἔσσυτο θυμός.
Τὼ δ' διαστήτην· κρίκε δ' ζυγὸν, ἵππια δέ σφι
Σύγχυτ', ἐπειδὴ κεῖτο παρήορος ἐν κονίῃσι.

*Decidit verò in pulverem hinniens, avolavit autem anima. Hi autem divisi sunt: Stridit autem iugum, habenæque ipsis confundebantur, postquam iacebat extra iugalis in pulvere.* Annotandum est, qvod divisos fuisse dicat jugales, postqvam cecidit funalis, id est, hunc ad dextram, alterum ad sinistram partem instituisse cursum; Divisionis namq; hujus ratio videtur nulla alia, qvam qvod ante ipsos jaceret funalis. Hoc enim jacente difficile erat, ut in latus unum ambo jugales discederent. Nec transire juncti poterant, nisi simul prolaberentur. Eustathius hoc ipsum indicat illis verbis: Τὸ δ' διαστήτην, καιριώτατα εἴρηται. Πεσόντος γὰρ τοῦ παρήορου, ἢ ξυνωρὶς διίσταται, ἢ ταραγμῷ συγχυθέντες, ἢ ἄλλως πρὸς ἀνάρεισιν, ἵνα μὴ συγκαλύπτεσθαι. *Illud, divisi sunt, opportune dictum est. Cadente namque funali, duo jugales sunt divisi, vel pavore consternati, vel alias obiecto obstaculo, ne simul deferrentur ad terram.* Obstaculum sive ἀνάρεισις Eustathii, ob qvod necesse fuit, ut dividerentur à se mutuò jugales, aliud intelligi non potest, qvam qvod fecit eqvus tertius funalis ante pedes ipsorum prolapsus. Nam si cecidisset à latere, poterant profectò jugales manere conjuncti, imò & cursum tenere suum, illo reciso. At apud Homerum post casum funalis dividuntur, & discedunt in partes diversas, eoq; remoto, de novo incipiunt cursum instituere rectum, seq; conjungere. Sic enim clarè ait, postqvam resectum funarium ostendisset:

Τὼ

Τὼ δ' ἰθυνθήτην, ἐν δὲ ῥυτῆρσι τάνυσθεν.
Τὼ δ' αὖτις συνίτην ἔριδι & πέρι θυμοδόροιο.

*Hi autem rectà iverunt, inque habenis directi sunt, & rursum coiverunt propter contentionis fervorem.* Αὖτις συνίτην ait, unde jugales à se mutuò divisos fuisse manifestum est, non hos à funario, qvod existimare posset, qvi rem non bene ponderaret. Ex qvibus cunctis tandem seqvitur, funalem tempore Homeri non stetisse fronte æqvali cum jugalibus, sed eos præcessisse. Sanè, si funalis æqva fronte stetit cum jugalibus, qvi potuerunt hi procedere longius, altero jacente? Nam cum esset ad jugales revinctus, casu suo ipsos qvoq; tenuisset. At verò, qvia hic procedunt, inter ipsos & funalem spacium aliqvantum necesse est fuisse, qvod intelligi non potest, nisi funalem ante jugales statuamus. Jam cum in trigis fuerit funalis, steteritq; ante jugales, etiam postea, cum à latere adjunctus est jugalibus, nomen id, qvod olim habuit, servavit, qvoniam adjunctus fuit non temone, verum solis funibus, plane sicut ante. Scilicet res tota sic se habuit, mea sententia. Primum omnium & antiqvissimis temporibus sub jugo uno juncta duo jumenta æqvali fronte, intercedente uno inter utrumq; temone. Hæc cum non sufficerent vel ad celeritatem, vel ad onus trahendum, addita duo alia simili ratione, id est, sub uno jugo, intercedenteq; uno temone, qvi temo firmatus est ad caput prioris temonis. Nemo enim veterum temones duos ipsi vehiculo junctos & sibi à latere positos unqvam nominavit. Cum ne juga qvidem duo satis essent, addita alia & alia, singula cum temonibus suis. Inde currus τετράρυμοι & ὀκτάρυμοι, de qvibus supra disseruimus. Sed accidebat aliqvando, sive oneris levitate, sive penuria jumentorum, ut adjungerentur animalia tantum tria. Hic duo veteri ratione juncta sub jugo uno, cum uno temone: Tertium verò itidem veteri ratione collocatum ante cætera, sed solis funibus religatum, nullo imposito jugo, qvia uni jugum non temerè solebat imponi; nec intercedente temone, qvia nunqvam temo sine jugo, nec ab uno temo rectè trahitur. Hæc ratio mansit longo tempore in trigis qvadrigisqve, donec Clisthenis ingenium accessit. Vidit enim, credo, minus aptè flecti eqvos serie longiori ambu-

ambulantes, & temone duplici impeditos. Ideò temonem alterum sustulit, & si qvadrigæ essent, exemplo trigarum eqvos duos fecit funarios, alterum verò ad dextrum, alterum ad siniſtrum latus jugariorum collocavit. Si trigæ, veterem funarium retinuit, tantum locum immutavit, effecitqve, ut deinde omnes tres vel qvatuor æqvali fronte incederent. Atq; hoc, opinor, est, qvod ajebat Isidorus de Clisthene, *mediis equis*, qvi soli tunc habebant jugum, cum ante haberent etiam cæteri in qvadrigis, *singulos ex utraque parte applicuit*, qvi nimirum ante fuerunt non singuli, sed in uno jugo conjuncti, nec ex utraq; parte, sed à fronte, & applicuit *simplici vinculo*, qvali *prius* etiam *alligabantur* in trigis, unde nomen σειραφόρων apud Græcos, apud Latinos *funariorum* servabant, qvod habebant ante hanc mutationem Clisthenis, non qvidem in qvadrigis, qvæ funarios habebant nullos, verum trigis. Hæc nostra est sententia de veteri jungendi ratione ante Clisthenis ætatem temporibus Homeri, & qvæ deinde auctore Clisthene in qvadrigis fuit observata. Salmasius, ut dixi, adversatur, omniq; tempore iviſse æqva fronte eqvos qvatuor existimat, qvem hac in parte seqvuntur alii, Vossius qvoq; in de Originibus, voce *Funis*. Adscribam totum locum, ut necesse non sit adferre Salmasii verba, qvando ea compendio refert. *Funales sive funarii equi, quos Græci dixere* σειραίους, *&* σειραφόρους, *&* παρασείρους, *&* παραίρους. *Hi erant, qui in quadrigis, ubi fronte æquata equi quatuor irent, latus clauderent duobus jugalibus, qui in medio irent. Ergo hoc ordine ibant, dexter funalis, dexter jugalis, siniſter jugalis, siniſter funalis. Ac quemadmodum jugales vocabantur, quia interjecto temone jungerentur, ita funales vocabantur, quia à dextra siniſtraque jugalium loro seu fune adnecterentur. Antiquis verò temporibus in quadrigis non duo jugales erant, sed quatuor. Neque enim tum unus erat temo, sed geminus, dexter & siniſter, ac dextro duo, totidem siniſtro temoni equi nectebantur.* Facit dextrum & siniſtrum temonem in vehiculo, qvod ex nullo veterum probari poterit. Nemo enim novit, nisi unum. Et qvi possit, cum sit fueritq; semper μέσον ὑπὸ τοῦ ἄξονος, ut loqvitur Hesychius, vel, ut Phavorinus, μεταξὺ κατὰ μέσον τοῦ ἅρματος ξύλον, id est, medium ab axe, in medio vehiculi extentum

tentum lignum. Temones certè gemini ambo in medio fuisse nequeunt. Postremo ipsa ratio temonis repugnat. Cum enim eo flecti debeat vehiculum, plures esse nequeunt in uno, quod quidem eis regatur. Nam temones reliqui in τετραρύμῳ, exempli gratia, vel ὀκταρύμῳ non ad vehiculum pertinebant, verum juga, & in iis equos. Singulis enim paribus singuli temones tribui solebant, idque ante Clisthenis ætatem etiam in militaribus vehiculis. Post in onerariis quidem mansit, at in militaribus Clisthenis est ratio servata, collocatiq; duo equi sub jugo, cæteri absq; jugo in lateribus, æquali cum duobus illis fronte. Sic, ut bigæ quidem non haberent nisi jugales duos sub uno jugo; trigæ pariter jugales duos, sed à dextro latere funalem unum absq; jugo. Uni enim soli jugum nunquam imponebant, unde Claudiani quoque mulæ, quarum una cursitabat post alteram, habent *libera colla jugo*. Quadrigæ verò præter funalem in dextro, funalem alium etiam in sinistro latere, atque ita jugales duos, funales duos, omnes æqua fronte constitutos, sicut sæpe in antiquis nummis & marmoribus cernuntur. Jam cum quadrigæ non habuerint, nisi jugales duos, temonem unum, sequitur errare plurimum, qui cum τετραρύμοις faciunt easdem. Sicuti Henricus Stephanus in Lexico, voce τέτρωρος, & Martinius. Cujus posterioris in Lexico Philologico, voce *quadrijugis*, hæc sunt verba: *Quadrijugis*, τέτρωρος, *&c. Glossæ: Quadrigum*, τετράζυγὸν; *Lego quadrijugum, est &* τετράρυμον. Perperam τετράζυγον seu *quadriiugum* & τετράρυμον idem esse arbitratur. Nam quadrijugum vehiculum equos tantum habet quatuor, at τετράρυμον bis totidem, id est, octo. Diodorus manifestè ostendit in vehiculo Abradatis, de quo supra etiam locuti sumus. Deinde τετραρύμου jugales omnes, funales nulli; Contra fuit in vehiculo quadrijugo, cujus pars dimidia equorum erat funalium. Postremo in τετραρύμῳ equi duo, antecedebant duos, & hi duos alios, & hi rursum alios duos; At in quadrijugo ibant omnes quatuor fronte æquali. Habebant autem veteres non trigas modò & quadrigas ista ratione junctas, ut in iis equi duo tantum essent jugales, reliqui funales, omnes æqua fronte incederent, sed & plurium aliquando equorum vehicula, & in universum omnia, quæ

apud

apud Græcos ſicut τέτριππα efferuntur. Ut ſunt ἑξίππα, qvorum mentio eſt apud Athenæum. Latini *ſeiuges* vocarunt, ut ex Plinio eſt notum. Occurrunt & *ſeptemiuges* in tabula veteri ludorum Circenſium apud Onuphrium, qvi, opinor, Græcis fuere incogniti: Nomen certè eorum apud neminem reperias. *Decemiuges* commemorat Svetonius, qvi & ipſi Græcis ignorantur. Sunt & bis ſeni eqvi apud eundem in curru Jovis, cap. 94. Aug. E qvibus, noſtra ſententia, duo tantum fuere jugales, ad temonem qvippe unum tantum conſtituti, reliqvi funales. Nec enim habere plus, temone uno, hæc vehicula ſolebant, ſicut dixi. Qvare tanqvam ſingulare qvid & novum Diodorus memorat in curru, qvo funus Alexandri ducebatur, qvod haberet qvatuor temones. Verba hæc ſunt lib. XVIII. Τέτρασι δὲ ὄντων ῥυμῶν, ἑκάστῳ τετρασοιχία ζευγῶν ὑπέζευκτο, τεττάρων ἡμιόνων ἑκάστῳ ζεύγει προσδεδεμένων, ὥστε τὰς ἁπάσας ἡμιόνους εἶναι ἑξήκοντα καὶ τέσσαρας. *Quatuor temones cum eſſent, unicuique ordo iugorum quadruplex adiunctus erat, quaternis mulis iugo alligatis, ita, ut omnium mulorum numerus eſſet ſexaginta quatuor.* Qvatuor temones hic intelligi non poſſunt alii poſt alios, ut in onerariis vehiculis, hoc enim novi nil fuiſſet, ſed à lateribus juncti. Qvod ex eo etiam colligitur, qvia qvivis temo habebat τετρασοιχίαν ζευγῶν, poſt qvam non potuit collocari temo alius. Τετρασοιχία enim eſt, cum juga qvatuor ſe mutuò, unum poſt alterum, excipiunt. Itaq; illi qvatuor temones ita erant juncti ad vehiculum, ut æqvales eſſent, neuterq; ante alterum poneretur, ſed alter eſſet ab alterius latere. Temones ſinguli trahebantur à jugis qvatuor mulorum, qverum qvodlibet habebat mulos qvatuor, duos jugales, duos funales, conſvetudine vulgari: erantqve illa juga non à latere, ſed in frontem, unum poſt alterum, collocata per τετρασοιχίαν, qvod fuit plane novum. Sedecim enim muli æqva incedebant fronte, poſt hos totidem alii, idq; qvarta vice, ita tamen, ut temonem qvemlibet juga promoverent qvatuor, qvæ à tergo ſeſe mutuò excipiebant. Qvod, ut dixi, fuit novum qvidpiam & ſingulare, ac neq; ante neq; poſtea translatum in communem uſum. Communis uſus non recepit, niſi duo genera, unum ante Cliſthenis ætatem, alterum poſt ea tempora. Illud fuit, cum

jumenta tria, qvatuor vel plura junguntur pro se singula, qvod hodieq; durat, maximè per Sveviam in plaustris, qvibus vehunt sarcinas mercatorum; vel cum duo & duo longa serie, sed, ut inter singula paria intercedat temo cum jugo suo, qvalis ratio & ipsa nunc in usu est, præsertim, qvando plaustris suis carbonarii ex sylva Hercynia per adjunctos boves vehunt res suas in vicinas urbes; vel si ante duo jumenta jugaria eat unum funibus firmatum ad posteriorum illorum temonem, qvæ similiter non ignota hodie est ratio, præsertim rusticis per Alsatiam, qvi non temerè alia utuntur. Posterius genus, & qvod habet Clisthenem auctorem, fuit illud, cum jumenta omnia æqvali collocantur fronte, duo media sub jugo, cætera firmata funibus ad axem. Qvalis ratio videtur antiqvata hodie, nisi ejus instar servare currus Batavorum arbitramur, qvibus vulgo facere itinera sveverunt. Rarò enim illis duos, plurimum tres jungunt eqvos, pari omnes fronte, in qvibus illud qvoqve servant, qvod funem tertii axis capiti alligant. Mansit porro illa Clisthenis consvetudo non modò in Circensibus vehiculis & ludicris, in qvibus ipse primus usurpavit, sed & aliis, ut triumphalibus similibusq; ad ornatum pompamq; pertinentibus, qvod liqvet ex vetustis monumentis. Qvin imò posterioribus temporibus & in ipsa præfecti Prætorii Urbisq; carruca eam observamus, sicut in Notitia Imperii est delineata. Eqvi omnes qvatuor incedunt pari fronte. Qvanqvam illi eqvi non sint alii jugarii, alii funarii, verum omnes ratione simili nudis tænis copulisve juncti absq; jugo. Unde conjectamus, desiisse tum & Clisthenis consvetudinem, ventumqve propius ad eam rationem esse, qvæ in nostris est vehiculis recepta. Nam & in ipsis eqvi nudis copulis junguntur. Licet nostra differant in eo, qvod nos collocemus eqvos non æqvales omnes in fronte, verum duos & duos longa serie, nec temones habeamus plures, nisi unum, primis duobus & à vehiculo proximis interjunctum. Cæterum, qvemadmodum in vehiculis antiqvis eqvi duo medii fuerunt juncti per lora jugalia in jugo, ut jam ante aliqvoties ostendimus, sic cæteri non in jugo, verum axe ipsoq; curru *simplici vinculo*, ut Isidorus loqvebatur. Vinculum id Græcis est ζυγὸν. Pollux

lux lib. I. cap. 10. Ἵπποι οἱ ἐκαλέρωθεν, παρήοροι, & παράσυροι & συραῖοι, & αἱ τούτων ἡνίαι, σειραὶ καὶ παρηορίαι. Vertit Gvaltherus: *Equi, qui utrinque assistebant, pareori, adjutorii, catenati & siræi vocabantur, horum verò habenæ, catenæ & lora.* Pleraq; hæc prava. Nam Græcorum παράσυροι, non *adiutorii catenative* Latinorum, qvos ignorant penitus, sed *funarii*, ut mox dicam. Deinde nullus sermo de *habenis* est hoc loco, sed de funibus, qvibus eqvi ad vehicula junguntur. Illi sunt ἡνίαι in his verbis. Deniq; hi funes nunqvam à Latinis appellati *lora* vel *catenæ*, verum *funes*. Inde habes *implicatos funes* in rheda fiscali apud Sulpitium Severum verbis supra recitatis. Sed & eqvorum *funariorum* appellatio inde orta, ut ex Isidoro liqvet. Ἡνίας Græcis esse funes istiusmodi apparet ex eodem p. 11. ubi post ἡνίας varias postremo subdit, αἳ δὲ, σειραὶ & ἱμάς. Ubi rursum imperitè Gvaltherus, *habenæ aliæ lora dextra dicuntur*, cum debuisset, *quædam, funes tractorii*. Neq; aliud, opinor, voluit Eustathius ad Il. T. ubi ait: Τὰς δὲ ὀπίσω καλαλειπομένας ῥυῆρας, ἡνία, ὡσεὶ τὸ ἐνεῦν τὰς ἵππους ὑπὸ τῷ ἅρμαλι. Certè ὀπίσω καλαλειπόμενοι, hoc est, *retrò extenti*, funes alii in vehiculis sunt nulli, qvi qvidem dici possint ἐνεῦν τὰς ἵππους ἅρμαλι, id est, *equos iungere currui*. Nec ἡνία alia, qvam ἡνίαι. Homerus ipse in verbis supra citatis:

-- -- Κρίνε δὲ ζυγὸν, ἡνία δ' ἐσφι
Σύγχυ'. -- -- -- --

Ubi ne Gyphanius qvidem rectè, *habenæque ipsis confundebantur*, pro *funes implicabantur*. Nam seqvitur, postqvam submovisset impedimentum eorum Patroclus:

Τὼ δ' ἰθυνθήτην, ἐν δὲ ῥυῆρσι τάνυσθεν.

Qvod & ipsum perperam Gyphanius reddidit: *Hi autem rectà iverunt, inque habenis directi sunt*, debuisset enim, *inque funibus rectè tentis processerunt*, vel, *& funes rectè intensos traxerunt*. Nam ῥυῆρες hic, qvi paulò ante ἡνία. Scholiastes ibi: Ῥυῆρσι, χαλινοῖς, ἡνίαις. Παρὰ τὸ ἐρύειν, ὅ ἐστιν ἕλκειν. Dicit *rhyteras* & *henias* idem esse, illas ita dici ab *eryein*, qvod *trahere* significet. Qvibus verbis liqvet, ῥυῆρας pertinuisse ad trahendum, fuisseq; ἡνίας, id est, funes tractorios. Hesychius: Ῥυῆρ, ἡνίον, λῶρ & ἱμὰς ἑλκυστήρ. Ῥυῆρες, ἡνίαι, ἱμάντες τῶν ἵππων, οἷον ἑλκυστῆρες. Exponit per ἑλκυστῆρας, qvi plane funes sunt tractorii. Ita Au-

ctor Etymologici: ῥυμήρ, ἑλκυστήρ. Apulejus ad exemplum hoc vocavit *helcia* Latinè. Verba ejus lib. IX. Asini: *Defectum me, helcio sparteo dimoto nexu machine liberatum applicant præsepio.* Paulò ante idem *tæniis* appellat. *Illico scitissimè tæniæ sparteæ totus innixus discursus alacres obibam.* Sunt eidem & *copulæ* in verbis seqventibus, ubi ait, de jumentis ad molas jungi solitis: *Copulæ sparteæ triturâ tontinua exulcerati.* Capitolinus maluit *iuncturas* nominare in Vero, cap. 5. *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum iuncturis argenteis, ut ita de convivio redirent.* Casaubonus sic exponit: *Iunctura est, quâ iunguntur mulæ carrucariæ, ut iumenta aut boves ad aratrum iugo.* Voluit, si rectè mentem ejus assequor, juncturam esse in carrucis, qvod jugum in aratris. Atqvi etiam in carrucis jugum. Inde namq; Phædrus noster lib. III. cap. 7. ubi Mulam talem carrucariam loqventem facit cum musca:

*Sed istum timeo, sella qui prima sedens*
*Iugum flagello temperat lento meum.*

Qvare junctura esse neqvit jugum in carruca. Salmasius existimat vocatam alias & *iunglum.* Jungla porrò sunt Philoxeno funes, sive lora. Verba ejus: *Iungla,* ἡνίαι ζευκτικαί. *Iungla* sunt contractè, qvæ alias *iungula,* qvomodo & *ungla* pro *ungula, singla* pro *singula,* & ejusmodi. Philoxenus exponit ἡνίας ζευκτικάς, id est, funes, qvi jungunt. Tales igitur & juncturæ erunt ex Salmasii sententia. Qvanqvam verius existimem, fuisse juncturas non funes modò, vel lora vehiculo annexa, sed &, qvicqvid firmaret in eqvis funariis. Videlicet funarii juga non habebant, sed eorum loco lora largiora circum pectus absqve jugo, sicuti videmus in antiqvis monumentis, maximè qvadrigis Rubenianis. Illa igitur lora una cum funibus helciariis copulisve una voce, *iuncturæ.* Hinc Julius Paulus III. Sent. t. 7. *Curruca cum iunctura legata, mulæ quoque legatæ, necnon & mulio videtur.* Interpres vetus ista verba sic exponit: *Si carruca cum iunctura per legatum dimissa fuerit, carpentum cum iunctura, & mulæ debentur.* Nisi qvis adhuc amplius juncturas hic significare putet non funes modò helciarios, & lora pectoralia in funariis, sed ipsa qvoq; juga cum loris necessariis in jugalibus. Qvod ego qvidem

dem censeo rectissimum. Liqvet enim in legato isto junctvræ vocem esse prorsus generalem, & significare non instrumenta modò cuncta trahendo vehiculo in mulabus necessaria, sed ipsas qvoqve mulas: Adeò ad funes tantum helciarios non posse restringi. Unde etiam adducor, ut diversa censeam significasse jungla, & junctvras. Et *junctvras* denotasse omnia mularum cum jugalium tum funalium ornamenta; *iugla* verò solas copulas, seu funes helciarios. Sanè, qvæ Ulpiano in l. 19. ff. de auro, argento, &c. sunt *junctvræ*, eæ Auctori Basilicorum μύλων κόσμ@, id est, *ornatus mularum*. Verba Ulpiani ea sunt: *Lectum plane argenteum, vel si qua alia supellex argentea fuit, argenti appellatione non continetur, si numero argenti habita non est. Vt in junctvra argentea scio me dixisse, quod non in argentario pater familias reponebat.* Basilicorum ista: Τῷ λεγάτῳ τὲ ἀργύρε, ὅτε ἡ ἀργυρᾶ κλίνη, ὅτε ἄλλ@ τῆς οἰκοσκευῆς ἀργυρ@ περιέχεται, εἰ μὴ καὶ ταῦτα ὁ διαθέμεν@ εἶχεν ἐν ἀριθμῷ ἀργύρε. Οὐδὲ ὁ τῶν μύλων κόσμ@, ὅτε μὴ ἐν ἀργενταρίῳ ἀπόκειται. Nemo potest dubitare, qvin hic κόσμ@ μύλων sit *junctvra*. Jam verò κόσμ@ referri ad ἡνίας ζευκτικὰς solummodò non potest. Κόσμος enim, qvicqvid ad vehiculum trahendum mula reqvirit. Qvomodo apud Xenophontem est κόσμ@ κυνῶν pro iis omnibus, qvibus canes instruuntur vel armantur. Qvo exemplo aliqvando etiam apud Latinos *ornamenta* leguntur, & apud Livium, Cornelium, alios, *ornati equi, ornati elephanti*, pro instructis ad prælium vel eqvitationem. Hinc intelligitur, qvomodo apud Capitolinum esse argenteæ junctvræ qveant. Nam per eas & juga, & lora pectoralia, & helcia, omnia argento culta ornataq; indicantur. Qvalis ideo & apud Ulpianum est intelligenda. Neq; potest esse mirum de helciis, id est, funibus, cum & ipsi ferè essent latiores. Ut enim catenas cogitemus, caussa nulla est, cum Gvaltherum vox σειρῶν deceperit apud Pollucem, qvam perpetuò catenas denotare putavit, cum σειραὶ sint sæpe funes tenti ex loris. Suidas: Σειραῖς, πλεκτοῖς ἱμάσι. Solebant autem funes illi helciarii, de qvibus ante dixi, & qvorum usus erat in funariis, non ad temonem religari, sed ad currus, ut jam dixi, nominatimqve axis capita, qvæ ultra rotas prominebant. Unde Claudianus lib. I. in Ruf. v. 344. sub persona Martis: *Nexusque rotarum*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*rum Tende, Pavor.* Barthius eo loco: *Nexus tendere, est lora capitibus axis adnectere, quibus currus trahebatur, non enim temonibus erant alligata ea lora, sed capitibus axium, ut clarum ex nummis aliisque picturis priscis.* Et hi qvidem funes, qvibus jungebantur ad vehicula. Præter eos autem erant qvoqve, qvibus jungebantur inter sese ipsi. Docet Pollux, qvando ait lib. I. cap. 10. Ἀπὸ δὲ ἵππου ἵππου ὁ ἀπηρτημένος ἱμὰς, μεσάτιος. *Lorum verò ab uno equo pertinens ad alterum, mesatios.* Ubi nota, esse aliud μεσάτιος, aliud μεσάτιον, hoc enim denotare partem sellæ in curru, de qva dixi aliqvid in præcedentibus, illud verò funem, qvi est inter eqvos, & alterum alligat alteri, ne liberè possint evagari, contra uno frenis adducto, simul reliqvi adduci. Atq; hoc est, qvod superius ajebam non potuisse ex jumentis sic ad currum junctis, ut æqvata omnia essent fronte, unum cadere, ut non eo casu cætera progredi impedirentur. Qvocunq; autem jumenta firmarentur modo ad vehicula, sive æqva fronte, sive alia post alia, *iungi* dicebantur. Virgilius lib. V. Æn.

*Iungit equos curru genitor.* -- --

Qvod Virgilius hoc loco dicit *iungere curru*, pro *in curru*, id eidem alibi est *iungere ad currum.* Atq; ita & Svetonius in Julio cap. 31. *Mulis è proximo pistrino ad vehiculum junctis.* Hinc sæpe absolutè *juncti*, pro junctis ad vehiculum. Columella lib. III. cap. 21. *Arbores serendi caussa collo vel mulo clitellario afferre, sed juncto advehere non permittitur.* Junctum mulum dicit, pro ad vehiculum junctum, & per eum integrum vehiculum intelligit. Simili ratione Cornelius *jumentum junctum* usurpavit. Verba sunt in Timoleonte cap. 4. *Propter valetudinem vectus jumentis junctis.* Itaq; mox seqvitur apud ipsum: *Atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat*; qvia per jumenta juncta integrum vehiculum significavit. Hinc apud Virgilium *junctos conscendere*, pro conscendere vehiculum, lib. XII. Æn.

-- *Cum prima in prælia iunctos*
*Conscendebat equos.* -- --

Sed & *currus iuncti* sic dicuntur absolutè, pro adjunctis simul eqvis. Vellejus lib. II. cap. 114. *Erat desiderantibus paratum, iunctum vehiculum.* Virgilius IV. Georg.

*Et*

*Et iuncto bipedum curru metitur equorum.*

Paulò alii sunt *equi iuges*, nempe non qvi modo qvovis juncti ad vehiculum, sed qvi juncti inter se æqvali fronte, ac velut sub eodem jugo. Festus: *Iuges, eiusdem iugi, pares. Vnde & coniuges, & seiuges.* Non hoc vult, qvasi *iuges*, qvi sint sub eodem jugo, nam ex sejugibus duo tantum habuere jugum, sicut supra dixi, sed qvi ejusdem jugi, hoc est, ordinis. Qvomodo & in Tacticis *iugum* seu ζυγὸς est, ἐκ παρεμπιπτόντων πλήθους, ut ad Arrianum & Mauritium nostrum pridem annotavimus, id est, multitudo eorum, qvi à latere se mutuò tangentes stant longa serie. Itaq; adjunxit, *pares*, id est, pari modo collocati. Plane illo modo, qvo & sejuges locantur, qvos exempli caussa hic adduxit. Nam sejuges sic dicti non à *iugo* instrumento, qvod imponi solet collis jumentorum; Nunqvam enim eqvi sex sub uno constituti jugo, nec in sejugibus unqvam amplius, qvam jugum unum duobus mediis tantummodò impositum: Sed à *iugo* verbo, qvod est juxta colloco, ut sint sejuges, eqvi sex, juxta se continua serie collocati, non ante se bini & bini. Certè, si à jugo instrumento dicti essent sejuges, vel significarent eqvos sex sub uno jugo, vel significarent eqvos plures sub sex jugis, qvorum tamen neutrum verum est, cum sint eqvi sex æqvali fronte collocati. Plane sicut & qvadrijuges sunt eqvi qvatuor hoc modo juncti. Qvod cognoscimus ex curru Solis, de qvo sic Ovidius:

— — — *Tritumque relinquunt*
*Quadriiuges spacium, nec quo prius ordine currunt.*

Certè nemo fuit unqvam, qvi non eqvos in hoc curru faceret æqvali fronte incedentes. Itaq; & *quadrigas* appellarunt. Tertullianus libro de Spect. *Quadrigas Soli sanxerunt.* Nempe & qvadrigæ, velut qvadrijuges, aut qvadrijugæ. Fronto apud Gellium lib. XIX. cap. 8. *Quadrigæ semper, etsi multiugæ non sunt, multitudinis tamen tenentur numero, quoniam quatuor simul equi iuncti quadrigæ, quasi quadriugæ vocantur.* Dicit, non esse *multiugas*, id est, multa habere imposita sibi juga vehicularia, habere tamen simul junctos eqvos, id est, pares & ejusdem jugi, sicut Festus supra loqvebatur, vel, qvod idem est, jugatos inter seſe ac conjunctos. Qvomodo intelligendus

gendus qvoq; Isidorus, qvando ait: *Quadrigæ & bigæ, trigæ & seiugæ ab equorum numero & iugo dictæ.* Vult, à jugo dictas, non qvod jugum unum habeant, sed qvod inter se jugentur. Hoc enim propriè *iugare*, à qvo differt *iungere*. Jugantur enim animalia, cum vel sub unum mittuntur jugum, vel æqvali fronte, velut sub jugo uno, constituuntur. Junguntur autem, qvando qvovis modo firmantur ad vehiculum. Græci pæne ad eundem modum ζευγνύναι vel συζευγνύναι ἵππους dixerunt, ut Latini *equos iungere*, qvemadmodum ex Homero constat. Sed & sicut illi *currum iungere*, ita hi ζευγνύναι ἅρμα usurparunt. Qvod jam olim annotavimus in Indice ad Ælianum, ubi tamen perperam per absentiam nostram, etiam in secunda editione, cum non paucis aliis hujusmodi, est vulgatum ζευγνύειν. Verba Æliani extant lib. II. cap. 27. de Anniceri Cyrenensi: Ζεύξας ἓν τὸ ἅρμα, περιήλασεν ἐν Ἀκαδημίᾳ δρόμους παμπάλλους. Usurparunt autem hoc etiam, cum junguntur æqva fronte. Unde ζεῦγος etiam de bigis, trigis & qvadrigis. Pollux lib. X. cap. 12. Ζεῦγος πᾶν' ἂν καλεῖτο τὸ ἐζευγμένον, καὶ εἰ τριῶν ὑποζυγίων, ἢ καὶ τεττάρων εἴη. Parum commodè Gvaltherus: *Iugum omne subiugatum dicitur, sive trium iumentorum sit, sive qvatuor.* Mallem ego: *Zeugos dicitur, qvicqvid iunctum est, etiamsi sit trium qvatuorve iumentorum.* Nam apud Latinos *iugum* usurpari solet nunqvam, nisi de duobus. Et docere Pollux voluit, vocem ζεῦγος apud Græcos, qvæ & ipsa vulgo bigas denotat, significare aliqvando trigas etiam, & qvadrigas. Nempe non est à ζυγὸς, instrumento jugatorio, sed à ζευγνύω verbo. Possunt autem plura ζεύγνυσθαι sive jungi, atq; ita ζεῦγος fieri. Qvanqvam pro ζεῦγος in trigis qvadrigisq; τρίζυξ & τετράζυξ dicere maluerint. Lexicon Argentoratense: *Quadriiugi*, τετράζυγος. Philoxenus: *Quadrigum*, τετράζυγον. Ubi tamen mallem legere *quadriiugum*, ut intelligatur vehiculum, cum & τετράζυγον sit ita dictum ἅρμα respectu. Sicut autem *iungi* dicebantur jumenta, qvando firmabantur ad vehiculum, sic, qvando solvebantur, *abiungi*. Propertius II. eleg. 18.

*Quam prius abiunctos sedula lavit equos.*

Virgilius Georg. III.

-- -- -- -- *It triſtis arator,*
*Mœrentem abiungens fraterna morte iuvencum.*

Pro *abiungere* Philoxenus habet *abiugare*, qvod exponit Græcè ἀπολύειν, id eſt, *ſolvere*, qvomodo Virgilius idem: *Tauris iuga ſolvet arator*, Eclog. IV. & Georg. III. in fine:

*Et iam tempus equum fumantia ſolvere colla.*

Græcis alias hoc eſt ἀποζευγνύναι, qvod in Gloſſis eſt *ſeiungere*. Verba earum: Ἀποζευγνύω, *ſeiungo*. Num & *deiungere* ſic uſurparunt Latini? Cenſet Scaliger ad ſuperiora Propertii. *Abiungere equos*, ait, *& deiungere, idem.* Amplexus hoc Taubmannus qvoq; ad Plauti Aſin. III. ſcen. 3. ubi Poëta:

-- -- *Ne nos deiunge amantes.*

Sed hoc loco *deiungere amantes* non eſt ἀποζευγνύναι, verum διαζευγνύναι, fitqve, cum alter amantium ab altero ſeparatur, qvod non fit, qvando abjunguntur eqvi, tum enim non tam ſeparantur ipſi à ſe mutuò, qvam à curru. Sanè Ciceroni qvoq; *deiuncta*, qvæ ſeparata à ſe mutuò, ut Scaligero non poſſim conſentire. Ita enim habet in de Univerſo: *Ita neceſſitas cogit, ut eadem ſint ea, quæ deiuncta fuerunt.* Illud rectius idem Scaliger, qvod diverſum ſignet *interiungere*. Nam hoc, inqvit, eſt *deiungere equos, donec cibo recreati ſint.* Ac oſtendit ſic locutum eſſe Martialem, ubi ait lib. III. ep. 25.

*Exarſitque dies, & hora laſſos*
*Interiungit equos meridiana.*

Puto autem verbis hisce reſpexiſſe Martialem ad eorum conſvetudinem, qvi vehicula locabant. Hi enim ſolebant tempore meridiano reqvieſcere pauliſper à curſu, & in diſpoſitis ad id ſtabulis cibum eqvis præbere, qvod in uſu hodieq; eſt, Germanisq; **außſpannen**/ Belgis Batavisq; **pleiſteren** vocatur. Idem voluiſſe Martialem eundem lib. II. ep. 6. rectè obſervatur ab eodem. Verba ejus ita habent:

*Et cum currere debeas Bovillas,*
*Interjungere quæris ad Camœnas.*

Non, ut Scaliger citavit: *Interjungere quæris ad bovillas.* Aliud hoc enim, nec qvod vult Poëta, qvi in voce *Bovillas* & *Camœnas* ludit, innuitq; fruſtra qværere in litteris Severum & carminibus doctis,

qvæ hic Camœnæ sunt, remissionem aliqvam, cum ingenium ipsius cogat eum ire ad Bovillas, id est, rustica & crassa. Rectè, inqvam, observatur, etiam hic *interiungere* nil esse aliud, qvam paulisper requiescere, abjunctosq; eqvos pabulo reficere. Nam qvod putant tractum esse à curru, cujus rotæ interjecto sude junguntur, ut qviescant, nihil est. Lexicon Argentoratense: *Interjungo*, ἐφίσαμαι. Mallem, ἐφίημι. Qvomodo habemus apud Arrianum lib. V. Ἐφέσησε τὸς ἱππέας τῷ πρόσω, similiter pro cohibere, moram injicere, facere qviescere. Jungebantur autem jumenta alia in dextra parte, alia in læva, qvod in bubus qvidem iisdem non temerè faciendum monet Varro lib. I. R. R. cap. 20. *Neque pertinaciter, quem feceris dextrum, in eo manendum. Quod si alternis sit sinister, fit laboranti in alterutra parte requies.* Observa, nominare *dextrum*, qvi à dextra parte jugi, *sinistrum*, qvi à sinistra: Idem namqve & in eqvis fuit solitum. Hinc Ausonius:

*Pegasus hinc dexter currat.* -- --

Cæterum, in qvadriga dextri sinistriq; non modò, qvi in jugo, sed &, qvi in fune, sic, ut jugalis unus & proximus ei funalis essent dextri, & contra reliqvi sinistri. Dicebantur autem jugales etiam *medii*, qvod essent in medio funalium constituti. Scholiastes Aristophanis, & ex eo Suidas: Ζύγιοι ἵπποι, οἱ ὑποβαλλόμενοι τῷ τῷ ἅρματι καὶ ζυγῷ, τελέσιν ὁ μέσος καὶ ἀριστερὸς καὶ ὁ μέσος καὶ δεξιός, καὶ ἁπλῶς ὁ μὴ παράσειρος καὶ οὕτω λέγεται. *Zygii seu jugales equi, qui jugo vehiculi sunt subditi, hoc est, medius sinister, & medius dexter, & simpliciter, qui non paraseirus seu funalis, ita appellatur.* Alius igitur *dexter medius*, sive μέσος καὶ δεξιός, & alius *dexter*, sive δεξιός. Ille enim jugalis, cum hic ferè funalis, ut mox dicam. Jugales hosce putant vulgo fœminas fuisse. Argolus ad lib. I. Onuphr. de Lud. Circens. *Insuper jugales equæ, ut indigniores, maribus equis interponebantur, atque in medio collocabantur.* Putat jugales fuisse indigniores in qvadrigis, minusqve utiles, ideò ad id eqvas captas. Laudatq; assertionis hujus suæ auctorem Hyginum, qvi in descriptione currus Solaris: *Hi funales sunt mares, fœminæ jugariæ, &c.* Atq; sic jam olim & Salmasius tradiderat. Verum primo falsum, eqvas fœminas esse maribus deteriores in hoc negocio.

Ælianus,

Ælianus, cui, ut Romano, ignota esse res hæc utiqve non potuit, lib. VI. Hist. Anim. cap. 36. Ἰδια δὲ ἄρα τῶν ζώων καὶ ἐκεῖνα λέγεται· Αἱ ἵπποι εἰς ἁρμαλλασίαν ἐπιτηδειότεραι εἶναι πιστεύονται. *De animalium natura hæc quoque feruntur: Equæ ad rem currulem aptiores esse creduntur.* Hinc Horatius II. Carm. 16.

-- -- *Tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa.* -- --

Et Virgilius lib. I. Georg.

-- *Eliadum palmas Epirus equarum.*

Qvo loco Servius: *Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Iovis Olympici curuli certamine. Nec mireris, equas currere. Nam, ut dicit Plinius, velociores sunt ideò, quod in cursu urinam faciunt.* Vides verbis manifestis, ad certamen currule prælatas eqvas, ut velociores. Igitur & Glauco, certaturo qvadrigis, eqvas tribuit Philargyrus ad Virgilii Georg. III. *Glaucus Sisyphi filius, cum ad mimicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, & equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse ac morsibus laniasse dicuntur.* Servius aliam reddit caussam, eqvas tamen ut velociores adhibuisse in curru ipse qvoq; firmat. *Dilaniatus est Glaucus*, inqvit, *effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet à coitu, ut essent velociores.* Sed & apud Herodotum in VI. legimus de eqvabus Cimonis: Κλεανθίου δ' αὐτοῦ αἱ ἵπποι τεθάφαται αὗλοι, τρεῖς ὀλυμπιάδας ἀνελόμεναι. Ἐποίησαν δὲ καὶ ἄλλαι ἵπποι ἤδη τοῦτο Εὐαγόρεω Λάκων. *E regione eius sepultæ sunt equæ illæ, quæ tres Olympicas victorias reportarunt. Fecerant hoc iam aliæ equæ, quæ fuerant Evagoræ Laconis.* OEnomaus qvoq; vicit Pelopem non eqvis, sed eqvabus, uti docet Scholiastes Apollonii lib. I. vers. 754. Αἱ δὲ Οἰνομάου ἵπποι, Ψίλα καὶ Ἅρπινα. Habes ecce & earum vocabula. *Equæ verò OEnomai*, ait, *Psilla & Harpinna.* Et in Tabula veteri, eqvorum Circensium nomina continente, qvam publicavit Onuphrius, habes *Romulam, Gemmulam, Aunaram, Murram, Aristam*, victores in ludis circensibus, qvæ sine dubio fuere feminæ, non mares. Deniq; Plinius est auctor lib. X. cap. 63. *vicisse Olympia* etiam

*prægnantem Echecratis Theſſali* eqvam. Adeò ex Hygino contra eas nil concludi poteſt. Deinde nec hoc verum, feminas fuiſſe ſemper jugales. Certè, ſi, qvod vult Salmaſius, victoria tributa non jugalibus in curru, ſed funalibus, eqvas, qvas ſuperius ex Herodoto, Plinio & Tabula veteri nominavimus, fuiſſe non jugales, verum funarias, neceſſe eſt, qvia victores celebrantur. Plinius clariſſimè de una Echecratis prægnante loqvitur, qvæ absq; dubio in curru ejus extitit funalis. Qvanqvam fortè ne hoc qvidem fuerit perpetuum, ut funalibus victoria deberetur. Nam in tabula Cecchinorum legimus de Diocle: *Duobus introiugis Cotyno & Pompeiano vicit.* Item: *Diocles præcedens eum introiugis tribus, Abigeio, Lucido, Parata L. vicit.* Item: *Vicit CXXXXIIII. ampliatis titulis ſuis, Cotyno, Galata, Abigeio, Lucido, Pompeiano, introiugis quinque.* Hic *introiuges* dicuntur, qvi ſunt intra jugum, qvod eſt idem ac *iugales*, atq; opponuntur funalibus, qvi dicuntur extra jugum eſſe. Scholiaſtes Sophoclis in Electra: Σειραῖον ἵππον, τὸν ἔξω τοῦ ζύγου δέξιον. *Funalem equum, eum, qui eſt extra iugum, dextrum.* Si funales extra jugum, qvi ſunt intra jugum, non funales erunt, ſed jugales. Auctor tabulæ *introiuges* vocavit, qvibus proinde qvi vicit, is non vicit funalibus. Qvorum introjugum qvia nominatim hic fit mentio, colligitur, victoriam cum ipſis haud fuiſſe freqventem, qvippe qvæ foret difficilior, indeq; toties funales, cum eſt ſermo de victoria, nominari. Qvando autem auctor tabulæ illius ait, non duobus modò, ſed & tribus, imò qvinqve introjugis viciſſe, non hoc puto dicere, habuiſſe ſimul eqvos qvinqve unico ſub jugo, id enim nec lectum unqvam eſt, nec cum conditione jugi unius videtur convenire, ſed diverſis vicibus uſurpaſſe hos introjuges, eosq; fuiſſe tam doctos, ut non uni tantum ſemper deberetur victoria, ſed & alteri, & tertio, & qvarto, & qvinto, ſingulis nimirum ſuo tempore. Nec enim victoria unius curſus pluribus, qvam uni eqvo, tribui ſolebat. Inde habes in iisdem tabulis, *Fortunatus factionis Praſinæ in victore Tuſco victor CCCLXXXVI.* Item, *in Abigeio victor eminuit & ſine flagello.* Idem docet alia tabula integra, in Baſilica Petri ſpectanda. Cæterum, qvi funales Latinis, ſeu funarii, illi Græcis παρήορoι, σειράφοροι, σειραῖοι. Pollux: οἱ μὲν ὑπὸ τῷ ζυγῷ, ζύγιοι,

ζύγιοι, οἱ δὲ ἐκαλέρωθεν, παρήοροι, καὶ παράσυροι, καὶ συράφοροι, καὶ συραῖοι. Dicti qvoqve ἀκροῆρες. Chryſoſtomus in Oratione de Circo: Ἐν ἅρμασι ἀπὸ μέλανες, ὑποζύγιοι μὲν, ὁ φόβος καὶ θάνατος, ἀκροτῆρες δὲ σότος καὶ ἀπώλεια. Scio, ſummum virum Clariſſimum Salmaſium hic emendare ἀορτῆρες. Sed hæc lectio ibi bis occurrit, qvod fatetur ipſe; Vix autem veriſimile, potuiſſe utroq; loco corrumpi. Deinde ἀορτῆρες dictos eſſe hos funales nemo alius ex antiqvis docet. Nec fortaſſe dici potuerunt, ſi analogiam vocis rectè ponderamus. Eſt enim ἀορτὴρ, τὸ ἀπηωρημένον, ut exponit auctor Etymologici, hoc eſt, ejusmodi aliqvid, qvod ex alto eſt ſuſpenſum, deſcenditq; ab ἀείρω, qvod eſt elevo, vel in altum tollo. Adeò non ſimplex notat lorum, ſed ejusmodi, qvo qvid altè ſuſpenditur. Qvomodo, exempli gratia, tali loro ſive balteo ſuſpenditur gladius. Unde apud eundem ἀορτὴρ ὁ ἱμὰς δι' οὗ τὸ ξίφος κρέμαται. Et apud Heſychium ἀορτῆρες, οἱ ἀναφορεῖς τοῦ ξίφους, ἢ οἱ κρίκοι τῆς θήκης, id eſt, non baltei ſolum, ſed & annuli, è qvibus theca ſuſpenditur. At verò nihil tale convenit in funales eqvos, non illi altius ligati ſunt cæteris, ſed nec currum ipſi altius ſuſpendunt, vel ad altiora ducunt. Itaq; potiori ratione dicti ſunt ἀκροτῆρες, qvia fuerunt ἐν τοῖς ἄκροις, id eſt, in ſummitatibus, in extremitatibus, ſicut jugales ἐν μέσῳ. Sæpe namq; Græcis ἄκρα opponuntur μέσοις, & extremitates notant. Qvomodo apud Ælianum noſtrum ἄκρα φύλλων leguntur, & in noto proverbio ſunt ἄκροι δάκτυλοι, extremæ digitorum partes, & in Gloſſario Argentoratenſi, *extremus*, ἄκρος, legitur. Fuerunt autem & hi alii dextri, alii ſiniſtri. Dextri, qvi à dextro jugalium latere, ſiniſtri, qvi à ſiniſtro ſtabant. Dextri Græcis δεξιόσειροι. Scholia Sophoclis in Antigona: Δεξιόσειρος, ὃς τὸ δεξιὸν φερόμενος κέρας. Ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἵππων τῶν ἐν τοῖς ἅρμασι παρασειρόντων. Meminit horum etiam Heſychius in voce σειράφορον, ubi ait poſt alia, ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων. Siniſtri ſine dubio ad hoc exemplum ἀριστερόσειροι, qvanqvam nusqvam legantur. Δεξιὸς & ἀριστερὸς etiam ſimpliciter vocarunt, credo, qvod in qvadrigis eſſent maximè tales. Sophocles in Electra:

-- -- -- Δεξιὸν δ' ἀνεὶς
σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν προσκείμενον.

Latini

Latini pariter *dexteriorem & siniſteriorem funalem* uſurparunt. Sveton. Tib. cap. 6. *Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt siniſteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur.* Auſonio ſimpliciter ſunt *dextri & læves*, ſi audimus Argolum. Verba Poëtæ ſunt in Epitaph. 35.

*Pegaſus hinc dexter currat ſibi, lævus Arion*
*Funis & ad quartum det tibi Caſtor equum.*

Ad hæc ſic citata Argolus: *Equus funis eſt equus funalis.* Sic ergo dexter & lævus, qvi in funibus, id eſt, funales. Cæterum, hi ipſi *primi* qvoq; dicebantur & *ſecundi.* Nam in qvadrigis funalis ſiniſter, primus, funalis dexter, ſecundus. Argolus idem: *Funales digniores erant, & præſertim ſiniſter. Nam cum circa metam eundum eſſet, interior ad metam erat ſiniſter, atque ille pæne totum curſus ordinem ſuſtinebat, & primus equus dicebatur, ut contra, funalis dexter, ſecundus. Silius: Quod ferret lora ſecundus Panchates.* Atq; ita & Salmaſius in Exercitationibus Plinianis. Verum poteſt eſſe dubium de funali ſiniſtro. Manifeſtè namq; Heſychius prærogativam illam dextro tribuit, qvod Salmaſius ipſe obſervavit. Verba Heſychii: Σειροφόρ⟨ο⟩ οἰωνὸς, ἡγεμονικός. Dicit, hoc vocabulum Græcum, qvod Latinis etiam funalis, omen alias vel ducem denotare. Et paulò ante: Σειραφόρον, ἡγεμονικόν, μεῖπιλαι δ' ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων. *Seirophorum, principale, translatum verò ab equis funalibus dextris.* Ad qvæ verba etiam Salmaſius: *Ergo funales dextri in curru potiſſimi, utpote qui ducatum cæteris præbeant.* Sed mox adjicit: *Hoc in bellicis & aliis, ſi forte, curribus locum habuerit, in agoniſticis & Circenſibus ſecus obtinuiſſe videtur.* At ego, cur in his, non illis obtinuerit, cauſſam nullam video. Neqve enim dubium, qvin Circenſes ludi velut umbra eſſe præliorum cum qvadrigis debuerint. At in pugnis ludicris, qvantum licet, res ad veritatem comparatur. Nec evincit diverſum Silii teſtimonium, qvod Salmaſius adducit. Verba ſunt ex libro XVI.

*Tertius æquata currebat fronte Peloro*
*Caucaſius; ipſe aſper, nec qui cervicis amaret*
*Applauſa blandos ſonitus, clauſumque cruento.*
*Spumeus admorſu gauderet mandere ferrum.*

*At docilis fræni, & melior parere Pelorus*
*Non unquam effusum sinuabat devius axem,*
*Sed lævo interior stringebat tramite metam.*

Hic Salmasius: *In quadriga Iberi agitatoris duos funales nominatim commendavit, Caucasum & Pelorum, illum dextrum, hoc est, δεξιόστροφον, hunc sinistrum, nunquam demum à meta aberrantem, sed doctum interiore orbe metam stringere, eos æquata fronte ambos currere dicit, quia funalis uterque.* At hæc omnia à mente Silii longissimè sunt aliena. Non hic loqvitur de duobus eqvis in curru uno, sed diversis. Pelorus, qvem hic Salmasius facit funalem sinistrum in curru Iberi, non fuit in curru Iberi, verum Durii. Monstrant seqventia manifestissimè, cum post interjecta qvædam de Peloro subdat:

*Nobilis hunc Durius stimulabat in æquore currum.*

Deinde; qvando ait Caucasum cucurrisse *æquata fronte Peloro*, non hoc ideò dicit, qvia *funalis uterque fuit* in curru Iberi, verum qvia cursu se mutuo, qvisq; tamen suo in vehiculo æqvabant. De qvo nemo dubitare poterit, qvi locum ipsum inspicere non gravabitur. Fuit sanè Caucasus adeò non Iberi eqvus, ut pertinuerit ad Atlantem potius, ipso Silio auctore. Ita enim ait ipse post superius adductum versum:

*Caucasus antiquo fidebat Atlante magistro.*

Jam cum nulla sit inter Caucasum & Pelorum oppositio, malè hic pro Peloro contra Caucasum pronunciatur. Imò contra, cum in curru Atlantis solus hic nominetur Caucasus, non minus ille, qvam Pelorus, funalis sinister erit, cum hos solos in vehiculis Salmasius existimet nominari. Sed nec locus Statii prodesse potest ad rem de funali sinistro probandam. Ea certè verba, qvæ leguntur lib. VI. Theb. — — — — *Dum non cohibente magistro*

*Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.*

Arionem eqvum fuisse sinistrum funalem haud ostendunt. Potius dextrum arguunt, qvando verbis claris *Arion dexter* nominatur. Nam, ut *dexter* referamus ad *exerrat*, ratio est nulla. Neq; valet locus Virgilii ex Æn. V. *Quo tantum mihi dexter abis?* Qvia hæc dicuntur de gubernatore navis ac navigio, cujus ratio est alia, qvam

eqvorum. Faciamus enim in qvadrigis Arionem fuiſſe funalem ſiniſtrum, an abire ille potuit in partes dextras? Annon obſiſtentes ab illa parte ſibi habuit tres alios? Adverſus qvos non abeuntes prius, qvi potuit ipſe ſolus abire, aut ad abitum ipſe in ſiniſtra parte collocatus eos compellere? Præterea expreſsè Statius *exerrat* dicit. Non autem exerrare intelligitur, niſi qvi exterius eſt conſtitutus, & ab illa exteriori parte longius digreditur, qvorum neutrum de funali ſiniſtro cogitari poteſt, qvi cum exerrat, abit ad ſiniſtram partem, non ad dextram. Præterea, nec verba, qvæ ſeqvuntur, hoc oſtendunt. Ita enim ſonant:

*— — Laxo quum tandem ex orbe reductus*
*AEquoreus ſonipes premit, evaditque parumper*
*Gaviſos. — — — — —*

Dicit qvidem hoc loco ſummus vir: *Hæc non poſſunt convenire, niſi in eum equum, qui ſiniſter eſt. Nam is equus, qui alium habet ad ſiniſtram inter metam & ipſum, non poteſt dici ipſe metam interiore rota ſtringere.* At eqvoreum ſonipedem, ſeu Arionа ſtrinxiſſe metam interiore rota, Statius non dicit, *preſſiſſe* dicit, qvod ad metam non refertur, verum ad *gaviſos*, id eſt, eos, qvi anteceſſerant, & victoriam in manibus habere crediderant. Hos preſſit, dum inſtitit, æqvavit, & parumper evaſit. Qvæ res tam de dextro, qvam ſiniſtro funali, intelligitur. Ut propterea in verbis Statii neceſſe non ſit aliqvid mutari, qvo Arionem ſiniſtrum faciamus funalem, potius, qvam dextrum. Nam Salmaſii qvidem emendatio, ut de cæteris nil dicam, valde libera eſt. Ego ita mallem:

*— — — Nam flavus Arion*
*Vt vidit, ſaliere iubæ, atque erectus in armos*
*Stat, ſociumque iugi, comitesque utrique laboris*
*Secum altè ſuſpendit equos. — —*

Vellem autem jugi ſocium explicari de jugali eqvo, ſocio Arioni non itidem jugali, verum funali, ut ſit *ſocius*, vicinus, & is præterea *iugi*, hoc eſt, jugalis, comitesqve *utrique*, illi eqvo jugi, ſeu jugali, & Arioni funali, funalis & jugalis alius. Certè Arionem in dextro latere fuiſſe etiam hoc docuerit, qvod primus horret monſtrum in

Circo

Circo sibi objectum. Nam id à latere sinistro objectum non fuisse colligitur ex eo, qvia ibi decurrebant qvadrigæ, mediæ inter currum Arionis & metam. Præcedit enim:

*Obstitit Hippodamus, mediasque immisit habenas.*
*Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem*
*Viribus Herculeis, & toto robore patris*
*Axe tenet prenso.* -- — --

Sed nec à fronte, qvia sic non primum terruisset Arionem, sed eqvos omnes qvatuor. Unde supereſt, ut à latere dextro credamus factum. Ubi cum primum terruerit Arionem, in illa parte funalem fuisse necesse videtur. Sanè de funali dextro, velut præcipuo, præter Hesychium testatur qvoq; Scholiastes Sophoclis in Antigone: Δεξιόσειρος, γενναῖος, οἱ γὰρ ἰσχυροὶ ἵπποι εἰς τὸν δεξιὰν σειρὸν ζεύγνυνται τῆς ἅρμαλος. *Dexter funalis, generosus, nam equi fortes ad funem dextrum in vehiculo religari solent.* Neq; ratio deesse potest. Nam cum circa metam flectendum esset vehiculum, qviescente propemodum funali sinistro, qvippe cujus gyrus metæ vicinior, eoqve brevior esset, funalis dexter pæne solus conficere cursum, gyroq; amplissimo secum trahere cæteros cogebatur. Nemo melius docuerit, qvam Sophocles, cujus ea de re leguntur verba in Electra:

Κοῖνος δ' ὑπ' αὐτῷ ἐσχάτην σφήλην ἔχων,
Ἔκρημπ' ἀεὶ σύριγξα. Δεξιὸν δ' ἀνεὶς
Σειραῖον ἵππον, εἶργε τὸν πρόσκειμενον.

Qvem locum sic interpretatus est Rattalerus:

*Columna at ille hærens sub extrema movet*
*Agitatque currus, deinde habenas dexteri*
*Laxans equi cohibet sinistrum.* — --

Vides, ut in circumactione circa metam dexter funalis currere cogatur, retracto & cohibito sinistro. Adeò sunt frustranea, qvæ habet Salmasius: *Præstantissimus quadrigæ equus, & adprime flecti facilis frænoque docilis ac cæteris doctior ad funem sinister locabatur.* Cuncta enim ista modo sese habent contrario, & in dextro reqvirebantur. Unde qvoq; verba Silii de Peloro, non ut funali sinistro, verum dextro, exponenda puto. Nam qvando dicit:

*Non unquam effusum sinuabat devius axem,*
*Sed lævo interior stringebat tramite metam:*

Non hoc vult, qvasi steterit interior respectu eqvorum reliqvorum in eadem qvadriga, id est, propior abfuerit à meta, & sic extiterit funalis sinister: Sed dicuntur hæc in comparatione cum eqvis aliis, qvi malebant exerrare, nec adigi tam facilè poterant ad cursum metæ viciniſſimum capeſſendum. Postremo dextrum funalem fuisse honoratiorem colligo & ex Svetonio, qvia illi in curru Augusti triumphali imponitur Marcellus, cum Tiberius sinistro veheretur, sicut supra vidimus. Nam Marcellus carior Augusto fuit, multumq; semper Tiberio prælatus. Tacitus Hist. I. cap. 15. *Augustus sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Neronem privignum in proximo sibi fastigio collocavit.* Omnibus necessitudinibus Marcellum prætulit Augustus. Non est autem verisimile, qvem tantopere amavit, in tam solenni negocio postponere privigno, ac deteriori loco esse voluisse. Unde plane seqvitur, qvod ajebam, funalem dextrum honoratiorem & præstantiorem fuisse. Frustra dicitur, fuisse currum Augusti triumphalem, non Circensem, de Circensi namq; idem ex superioribus apparuit. Sed & in Circensi curru funalem dextrum appellarunt primum, uti vidimus, qvod non erat usq; qvaq; conveniens, si præstantior sinister fuisset. Id qvod firmat & Ausonius in Epitaph. 35. qvod Theodosii jussu scripsit eqvo, nomine Prosphoro, & mea sententia sic debet legi:

*Hunc titulum vani solatia sume sepulchri,*
*Et gradere Elysios præpes ad alipedes.*
*Pegasus hinc dexter currat. Tibi lævus, Arion,*
*Funis sit. Quartum det tibi Castor equum.*

Respicit Prosphorum, & hinc, id est, proximè abs te, currat Pegasus, qvi sit dexter in jugo. At tu Arion funem habeas, eumq; lævum. Qvartum eqvum det Castor, non funalem & ipsum, sed jugalem. Sic enim jugalem sinistrum appellari solitum necesse est, etiam si Salmasium audimus. Nam & ipse funalem lævum appellari solitum secundum ex Silio testatur, qvando Silius de Panchate eqvo:

eqvo: *Quod ferret lora secundus.* Sic enim ait: *Ex omnibus unum Panchatem urget & excitat ad palmam, quia ferebat lora secundus, id est, quia funalis erat sinisterior.* Si funalis dexter in qvadriga fuit primus, sinister secundus, seqvitur, jugalem dextrum fuisse tertium, sinistrum qvartum. Nisi putamus, aliud significare *funalem secundum*, & aliud *equum secundum* in qvadriga: Hunc esse non funalem, sed jugalem dextrum, ut sint ita numerati, funalis dexter primus, jugalis dexter secundus, jugalis sinister tertius, funalis sinister qvartus. Qvanqvam qvartum eqvum dictum, qvi ex mente Salmasii omnium fuit præstantissimus, durum videatur. Itaq; & contrariam numerationem facit, sic, ut funalis sinister primus sit, jugalis sinister secundus, atq; sic deinceps; Qvæ qvia consvetudini ac naturæ ipsi adversatur, cui sinistra deteriora semper esse consveverunt, testimonio idoneo probari debet, anteqvam in eam consensum nostrum præbeamus. Funalem sinistrum dictum esse *secundum*, non primum, novimus ex Silio, ipseq; Salmasius fatetur; Eundem alia numeratione dictum primum non novimus, ac ne rationem qvidem, qva dici primus debuerit, nempe qvia fuit præstantissimus, amplectimur, qvippe qvam jam falsam esse demonstravimus. Nobis primus dexter est, neq; alium apud Ausonium intelligimus, sive sicut nobis visum est, sive sicut voluit Salmasius, legamus. Atq; ista qvidem eqvorum jungendorum ratio in vehiculis, qvotiens æqvata fronte incedebant, hæc vocabula eorum. Si verò non æqvata fronte, verum longa serie, tum fuisse primos dictos funales, postremos jugales existimo. Nec fortassis alia est causa, qvare & deinde funales primi secundiqve dicti sunt, postqvam æqvata fronte conjungi cum jugalibus cœperunt, qvam qvod ante, cum adhuc eos præcederent, hæc vocabula haberent. Cæterum, hanc omnem eqvos ad vehicula jungendi rationem artemq; primus docuisse dicitur Prometheus. Nec enim tam de vehiculis, qvam arte jungendi ad ea animalibus, nominatimqve eqvis accipio, qvod habet Æschylus, ubi sic loqventem facit:

-- Πρῶτ' ἐγὼ -- ὑφ' ἅρμασ' ἵππους ἤγαγον φιλήνιους·
-- -- -- -- -- --

*Primus ad vehicula iunxi frenigeros equos.* Alii hoc tribuunt Neptuno, qvi hoc primum docuerit Barcæos, Libyæ gentem. Ita namq; Phavorinus ex Mnasea, &, qvem exscribit, Hesychius: Βαρκαίοις ὄχοις. Λιβυκοῖς. Οὗτοι γὰρ ἐσπούδαζον περὶ ἱπποτροφίαν. Φασὶ δὲ αὐτοὺς καὶ πρώτους ἅρμα ζεῦξαι διδαχθέντας ὑπὸ Ποσειδῶνος. *Barcæis vehiculis, hoc est, Libycis. Hi enim in alendis equis operam magnam posuerunt. Aiunt verò ipsos primos currui equos adiunxisse, à Neptuno edoctos.* Ubi nota, ἱπποτροφίαν atq; ἅρμα ζεῦξαι pro eodem poni. Facit enim, ut intelligamus, qvid voluerit & Stephanus, qvando ita de Barcæis, voce Βάρκη: Οἱ τὰς ἱπποτροφίας παρὰ Ποσειδῶνος ἐμαθον. Vult nimirum idem, qvod Hesychius, à Neptuno edoctos artem modumqve, qvo ad currus eqvos jungere deberent. Qvod de Barcæis hi, id generatim Scholiastes Pindari extulit de Libyis: Ποσειδῶν τὺς Λίβυας διδάξειε τὼ ἁρμάτων καλὰ λευξιν. *Neptunus Libyas docuit currus iungere.* Nempe Barcæi sunt ex Libyis. Sed ad alia est veniendum.

## Cap. XIII.

## De armis vectantium, seu frænis.

*Frena qvis invenerit. Peletronius an Chiron. Plinius exponitur. Turnebus reiicitur. Minerva* χαλινίτις. *Orea.* Στόμια. Χαλινὸς. *Oria. Festus emendatur.* Ἡνίον. Δακτύλιοι. Ἔχνοι. Τὰ κοῖλα τῶν ὑποστομίων. Ὑποστόμια. Τρίβολοι. Λύκοι. *Lupi. Frena lupata frena. Lambini explicatio reiicitur.* Ἵπποι λυκοσπάδες. *Plutarchi versio emendata & Xenophontis.* Κέρκυμα. *Curcuma. Non sunt frena, quod putabat Salmasius.* Φιμὸς. Ἐπιστομεῖν. *Camus.* Λωρόστομα. *Versio Pollucis reiecta. Fiscella. Camerarii versio Xenophontis improbata, & Pollucis iterum, qui uterque emendatur.* Χειλωνὴρ. *Hesychius correctus.* Παρηστόμιον. Τροχοὶ. Χαλινὸς λεῖος, τραχὺς, σκληρὸς, ὑγρὸς. Σύμβολαι χαλινῶν. *Pollux emendatur.* Στόμια πριονώδη. *Obeli in frænis.* Ὀβελίσκοι. *Xenophon expositus contra Camerarium, & Pollux contra Gvaltherum.* Χαλεπῶς διαιρέχῃ τὰ τῶ χαλινῶ, *quid sit.* Ἄξονες. Ψέλλια. *Hesychius & S. Iobus explicati. Vetus interpres Bibliorum & Castalio reiecti.* Ψάλιον *pro fræno.* Ὑποχαλινιδία. *Xenophon iterum exponitur.* Κορυφαία. *Aurea.* Γενειαστὴρ. Ἡνία. Ῥῆνες. *Habenæ.* Ἀγωγεῖς. *Lora.* Καλαυρωπαῖα. Δακτύλιοι. Θαιροδύται. *Vbi fuerint. Temperare ora frænis. Frænа inhibere, succutere, ducere, retrò tendere, adducere.* Ἀνακρούειν. *Frænа*

*na dare, immittere, effundere, laxare, remittere,* ἐνδιδόναι, ἐξορμᾶν ἡνίαν. Ταινύειν ἱμᾶσιν. *Frena tenere, concutere, quatere, flectere.* Τὸν χαλινὸν μεθαβάλλειν. *Capistrum.* Φορβιὰ. Φορβαία. Κάπιστρον. *Non est* στομὶς, *quod Salmasius putavit. Stomis, postomis. Lucilii locus examinatur. Capistra ferrata. Servius revellitur, & Virgilius explicatur. Postomis unde. Capistrorum usus.* Κημὸς. Φιμὸς. *Capistrare fiscellis.* Φιμῶν. *Os servorum claudi fiscellis solitum, aut pellibus.* Φιμοδέσμιος. *Aristophanis locus examinatur.* Φιμώσιός τὸν αὐχένα. *Hesychius explicatur.* Σπαρτίον. *Capistrare.* Φιμοὶ αὐλῶδοὶ. *Versio Pollucis reiecta.* Κώδων. *Tintinnabulum, tintinnaculum, tinnibulum. Hesychius bis corrigitur, semel Eustathius. Pollux explicatur.*

UT propositum felicius expediant vectantes, armis aliqvibus uti consveverunt. Ea verò spectant vel ad eqvos, vel ad currus. Ad eqvos spectant, qvibus vel continentur & reguntur, vel concitantur ad cursum. Ad currus, qvibus vel iter eorum redditur facilius, vel, cum opus est, impeditur sistiturve. Arma, qvibus continentur regunturq; eqvi, fræna sunt. Ea putant Pelethronium excogitasse. Plinius VII. cap. 56. *Frænos & strata equorum Pelethronium aiunt invenisse.* Qvis hic fuerit Pelethronius, indicare docti omittunt. Ac existimet nonnemo, Chironem innuisse, qvia ipse ita dictus fuit. Phavorinus: Πελεθρόνιος ὁ Χείρων, ἀπὸ τοῦ Πελεθρόνου, ἐν ᾧ ἐτράφη. *Pelethronius est Chiron dictus, à Pelethrono, ubi educatus est.* Habet eadem & Hesychius, ex qvo Phavorinus fortè sumsit. Sed Chironem fræna inveniisse veterum nemo prodidit. Præterea vixisse Chironem Trojanis demum temporibus est notum, ut qvi fuerit magister Achillis. At iis temporibus in usu freqventissimo fræna, imò ante qvoq; cognita, ut ipse auctor eorum credi neqveat. Postremo Virgilius non Pelethronium unum, sed Pelethronios Lapithas, gentem totam, hujus rei facit auctorem, lib. III. Georg.

*Fræna Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere.*

Lapithæ Thessali sunt, dicti Pelethronii à Pelethronio, oppido Thessaliæ, sicut Servius est auctor. Qvanqvam cum in gente qvoq; illa non plures, verum unum aliqvem excogitasse rem hanc necesse sit, Plinii Pelethronium, unde postea Pelethroniis in universum id-

id tributum est, existimo fuisse Regem veterem, urbis illius conditorem in Thessalia. Meminit ipsius unicus Philargyrus in explicatione dicti Poëtæ loci. Verba ejus: *Pelethronios Lapithas ideò appellavit, quia sunt Thessali. Pelethronium antrum est, ubi Achillem Chiron erudivit. Alii Pelethronium Regem Lapitharum volunt.* Dicit, Pelethronium, à qvo Pelethronii vocati, alios explicare antrum, alios Regem veterem Lapitharum. Qvem necesse est per Plinii Pelethronium intelligi. Qvi cum conditor Pelethroniorum fuerit, inde factum, ut in universum Pelethronii inveniisse dicerentur. Plane sicut de Athenienſibus Justinus lib. II. cap. 6. *Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere. Arare quoque, & serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt*, qvæ tamen omnia certorum inter ipsos hominum inventa fuere, sicut aliunde novimus. Unde nec placere potest, qvod existimabat Turnebus, in Virgilio vocem *Pelethronii* accipiendam gignendi casu, singulari numero, ut cum Plinio Virgilius concordet. Nam ne sic qvidem idem dicet, cum sit aliud tribuere qvod Pelethronio, aliud Pelethronii Lapithis, qvi manent Pelethronii Lapithæ etiam post obitum Pelethronii. Qvo tempore si qvæ inveniunt, Pelethronii Lapithæ inveniisse, non autem ipse Pelethronius, dici possunt. Cum hic non tam Pelethronii fræna, qvam Pelethronius ipse, & propter ipsum cives ejus, Pelethronii Lapithæ, inveniisse dicantur. Alii tamen nec Lapithis, nec Pelethronio Regi & conditori ipsorum, sed Minervæ putant hoc deberi. Scholiastes Pindari ad od. 12. Olymp. ubi reddit causam, cur Minerva Ἑλλώτια sit dicta: Ἕτεροι δέ φασι διὰ τὸ ἑλεῖν τὸν Πήγασον ἐν χαλινῷ ὑπὸ Ἀθηνᾶς δοθέντι Βελλεροφόντῃ, πανήγυριν καὶ ἱερὸν Ἑλλωτίας Ἀθηνᾶς ὑπ' αὐτοῦ γεγενῆσθαι. *Alii aiunt, propter captum fræno Pegasum, quod Minerva Bellerophonti dedit, sacrum & templum Hellotias Minervæ ab ipso institutum.* Meminit ejusdem rei Pausanias, eidemq; ex hac causſa structum ait templum aliud, in qvo sub nomine *Frænatricis* coleretur: Τὰ μνήματα δέ ἐστιν ὑπὸ πόρρω, χαλινίτιδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Ἀθηνᾶν γὰρ Θεῶν μάλιστα συγκαλεργάσασθαι τά τε ἄλλα Βελλεροφόντῃ φασὶ, καὶ ὡς τὸν Πήγασον οἱ παραδοῖη, χρεισαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτῷ τὸ ἵππῳ χαλινόν. *A sepulchro non multum distat Frænatricis Minervæ fanum. Minervam etenim ajunt præ cæteris*

ris

*ris Diis Bellerophonti cum aliis rebus opitulatam, tum verò à se domitum, fræno imposito, Pegasum dedisse.* Fuit in eadem sententia & Mnaseas, propterea enim τὸ ἡνιοχεῖν Minervæ tribuit, cum τὸ ἁρμαξεῦξαι inveniſſe Libycos ante retuliſſet. Τὸ δὲ ἡνιοχεῖν ἀπὸ Ἀθηνᾶς, ὡς Μναστέας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης, ait Phavorinus voce βαρβαίοις. *Frænare Minervam auctorem habet, ut ait Mnaseas in libris de Libya.* Verum per Minervam non intelligenda qvædam ex humano genere, sed vis ingenii ac rationis. Qvod apparet, qvoniam Bellerophon æqvalis fuit Aodi judici Hebræorum, ante cujus tempora jam nota erant fræna. Certè ante iſta tempora leguntur currus Pharaonis, qvos infrenes fuiſſe, nemo facilè crediderit. Fræna tamen primis temporibus ſine dubio fuere ſimpliciſſima, ex nudo ferro, qvod inſerebatur ori eqvorum. Qvomodo videmus hodieq; ruſticos clavos duos ferreos à capitibus in annulum flexos jungere, fræniq; loco uſurpare. Latini genus iſtoc *oreas* vocarunt. Unde Cælius apud Feſtum: *Equusque mihi ſub feminibus occiſus erat, oreas detraho, inſpectante Lucio Stertinio.* Dicit, *detraho*, qvia loris ad caput erant revinctæ, qvæ proinde juncta hic cum ferramento per oreas intellexit. Alias oreæ propriè ſola illa ferramenta, qvæ inſerebantur ori, ſic ab ore dicta. Ideò apud Catonem III. Orig. legimus: *Equos* (antiqvè, pro eqvus) *reſpondit, oreas mihi inde, tibi cape flagellum.* Facit *indi* oreas, id eſt, inſeri, immitti, ſine dubio reſpectu oris. Græci στόμια vocarunt ſimili ratione. Inde Pollux lib. II. cap. 4. Στόμιον χαλινῦ τι μέρος. *Stomium ſeu orea, pars eſt fræni.* Qvanqvam cum ſit χαλινὸς propriè, qvod ori inditur, hæc pars ejus fuerit præcipua. Pollux idem lib. I. cap. 10. ubi de fræno, illiusq; partibus: Τὸ δὲ εἰς τὸ στόμα ἐμβαλλόμενον, χαλινὸς. *Qvod ipſi ori ſolet injici, chalinos.* Gvaltherus pro χαλινὸς habet *cannus*, qvod, qvid ſit, ignoro. Niſi fortè ſcripſit *camus*. Sed eſt aliud qvid camus, ut poſt indicabo. Χαλινὸς interea ferramentum totum, qvod inſerebatur ori eqvi, στόμιον pars ea, qvam apprehendebat vel mordebat ore. Hinc ſæpe pro iisdem uſurpantur, & Xenophon, qvod in libro de Re Eqveſtri προσφέρειν τὸ στόμιον dixit, aliqvanto poſt τὸν χαλινὸν προϊέναι extulit, velut æqvivalente locutione. Imò στόμιον propriè ferramentum unum χαλινῦ, unde ſupra Pollux par-

tem ejus dixit. Nempe fræni ea pars, qvam inſerebant ori, conſtabat ferramentis duobus anſa inter ſe connexis, ut flecti poſſent, ſicut hodieq; videmus. Ferramentum qvodlibet per ſe eſt στόμιον, & ſic duo στόμια, χαλινὸς. Qvod & in oreis valet. Inde namq; eſt, qvod oreæ in plurali de fræno uno uſurpentur, ſicut ſupra vidimus, oreas uni eqvo detrahi, uni eqvo indi. Nempe frænum eſt à frendo, uti putant, qvod in eo frendat eqvus, id eſt, dentibus crepet: Itaq; id totum notat, qvod in ore eqvi. At idem oreæ in plurali, unde oreas unius fræni plures eſſe manifeſtè colligas. Pro *oreis* apud Feſtum *orias* habemus voce *aureax*. *Aureax, auriga. Aureas enim dicebant frænum, quod ad aures equorum religabatur. Orias, quo ora coërcebantur.* Ita puto legendum. Scaliger ſic edidit: *Aureax, auriga. Aureas enim dicebatur frænum, quod ad aures equorum religabatur. Orias, quo ora coërcebantur.* At præcedit proximè: *Aureas dicebant frænos, quibus equorum aures rediguntur.* Qvod ſine dubio eſt rectius, cum *aureas* in caſu primo pro *aurea* veterum nemo uſurpaverit. Cæterum, in his oriis ſeu oreis habebant ferramenta varia minutaqve, ut annulos, globulos, & id genus, qvibus eqvus luderet. Pollux lib. I. cap. 10. χαλινῷ τὸ μὲν μέσον, ἡνίον, τὸ δὲ περὶ αὐτὸ δακτύλιοι, ἐχῖνοι, τρίβολοι, ὅσπερ μασάται ἵππος. *Fræni medium, henium, quod autem circa ipſum, dactylii, echini, triboli, quos eqvus mandit.* Qvibus verbis ἡνίον oſtendit ſignificare id in fræno, qvo in medio jungitur. Eſt hoc autem anſa duplex in capite utriusq; oreæ, de qva dixi ſupra: Altera enim alteri inſerta conjunguntur, qvæ conjunctio anſarum Polluci ἡνίον, ab ἑνόω, id eſt, jungo, unio, & ex duabus rebus unam facio, qvomodo hic duæ oreæ per anſas iſtas uniuntur. Circa has nunc anſulas dicit Pollux habuiſſe δακτυλίους, id eſt, annulos ferreos, catenatim junctos, qvod & hodie in uſu ſolet eſſe. Pollux alio loco: Τὰ ϛερεὰ, καὶ προμήκη, καὶ ἀλλήλοις ἀνειλεμμένα ἐν ἁλύσεως εἴδει, δακτύλιοι καὶ δάκτυλοι. *Longa verò illa duraque, ſibique mutuò catenæ inſtar connexa, dactylii & dactyli.* Habuiſſe qvoq; ait ἐχίνους, id eſt, ut exiſtimo, globulos oblongos, eosq; crebris aculeis aſperos. Indicat Xenophon de Re Eqveſtri, qvando frænorum genus duplex facit. Τούτων, ait, ἔστω ὁ μὲν λεῖος, τοὺς τροχοὺς ἐυμεγέθεις ἔχων. Ὁ δὲ ἕτερος, τοὺς μὲν τροχοὺς καὶ βαρεῖς ἔστω καὶ ταπεινοὺς,

τὰς, τὰς δὲ ἐχείνας, ὀξεῖς. *Horum unum genus lævius orbes grandiores habeat, alterum orbes cum graves, tum depressos, echinos autem acutos.* Utriq; generi tribuit τροχὰς, alteri etiam ἐχείνας, eosq; ὀξεῖς, unde asperos fuisse constat. Budeus orbiculos echinatos putat fuisse, qvibus fræni essent conserti, qvod non potest verum esse. Frænum, sive ferramentum illud, qvod inserebatur ori, non habebat præter unum articulum in medio, beneficio duarum ansularum mutuò se tenentium. Et licet eas jungas etiam orbiculo peculiari, unus tamen ille solusq; erit. Jam verò in fræno uno non est ἐχῖν@, sed ἐχῖνοι, in plurali, sicut ex Polluce liqvet. Qvare illis fræni neqveunt fuisse conserti. Potius existimantur globuli olivarum instar, sed asperati, circa oreas volubiles. Unde & Hesychius: Ἐχῖνοι τῆ χαλινῆ μέρ@. Plures in uno fræno memorat. *Echini*, ait, *pars fræni.* Pollucis alio loco sunt τῶν ὑποστομίων τὰ κοῖλα, id est, *hypostomiorum cava.* Ubi hypostomia exponit χαλινᾶ σιδήρια, qvæ proinde nihil erunt alia, qvam στόμια. Κοῖλα verò eorum, illi globuli, propter cavitatem & volubilitatem ita dicti. At verò τρίβολοι, opinione mea, triqvetræ sunt lamellulæ, dependentes ab annulis, in oreis. Meminit & Hesychius. Τρίβολοι, ait, ἀκάνθης εἶδ@, ὅθεν & τὸ τοῖς ἵπποις ἐν τοῖς χαλινοῖς ἐνιέμενον. *Triboli, genus spinæ, unde & qvod equis in frænis inditur.* Putes loqvi, velut de unico in frænis tribulo. Et nescio, annon tribulus aliqvando sit ferrum illud latius triangulari figura, qvod dependere solet ab ἥνίῳ ansaqve, sive illa simplex sit, sive in modum semicirculi curvata, in qva plures annuli hodieqve. Qvanqvam & in annulis cæteris interdum ferramenta istiusmodi figuræ adhiberi soleant, qvæ proinde magis Pollux intellexit. Pertinent ad hoc genus qvoq; λύκοι, hoc est, *lupi.* Hesychius: Λύκ@· τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον. *Lupus parvum ferrum in frænis.* Apertè dicit, ἐν τοῖς χαλινοῖς, unde partem eorum constat fuisse, & qvidem talem, qvæ in os soleret inseri. Ovidius IV. Trist. el. 6.

-- -- *Duros accipit ore lupos.*

*Lupi* plane hoc in loco sunt Græcorum λύκοι. Sed hæc pars peculiaris fuit, nec in frænis omnibus. Propterea, qvæ habebant, dicta sunt *lupata*, velut armata lupis. Virgilius III. Georg.

-- -- -- *Duris parere lupatis.*

Servius hoc loco: *Lupatis, frænis asperrimis. Dicta autem lupata à lupinis dentibus, qui inæquales sunt.* Vult, nisi fallor, ferramenta fræni, ori solita inseri, non fuisse æqvalia & lævia in hoc genere, sed aspera, ac modo lupinorum dentium, inæqvali serie aculeorum, armata. Hinc, qvæ apud Virgilium *dura*, ea Claudiano *rigida lupata*, in Cons. Prob. v. 82.

-- -- *Rigidisque docet servire lupatis.*

Pro lupatis integrè *lupata fræna* dixit Horatius I. Carm. od. 8.

-- *Gallica nec lupatis*
*Temperet ora frænis.*

Lambinus isto loco: *Lupati fræni, quibus equi ferociores coërcentur, à lupinorum dentium similitudine, seu à lupo instrumento ferreo, unco & tortuoso, instar dentium lupinorum, quod pro lupato fræno usurpatur.* Qvale instrumentum ferreum intelligat, ex qvo dictum sit lupatum, nescio. Lego eqvidem apud Vegetium lib. IV. cap. 23. *lupum*, qvem exponit *ferrum, in modum forficis dentatum.* At hic nil ad frænos facit, qvod ostendit forfex, cui lupus ille comparatur. Fuit enim forfex ferrum uncatum duplex, qvod immissum ponderi tenebat illud, ut per funes posset erigi in altum, sicut ex Vitruvio apparet, lib. X. cap. 2. ubi etiam à Barbaro effigies ipsius traditur. Talis forfex nil commune habet cum frænis, ut ignorem, qvare scripserit Lambinus, *pro lupato fræno usurpari.* Lupatum est à dentibus lupinis, qvorum & asperitatem & inæqvalitatem referebat. Itaq; nec usurpatum, nisi in ferocioribus, qvos existimarunt aliqvi propterea λυκοσπάδας ἵππους Græcis dictos. Plutarchus lib. II. Symp. q. 8. Ἵππους λυκοσπάδας οἱ μὲν ἀπὸ τῶν χαλινῶν τῶν λύκων ἔφασαν ὠνομάσθαι, διὰ τὸ θυμοειδὲς καὶ δύσκαθεκτον, οὕτω σωφρονιζομένους. *Equos lycosspadas sunt nonnulli, qui à frænis, quæ lupata dicuntur, appellatos putent, ob ferociam & contumaciam sic domitos.* Ita vertunt ista. Ego verò λύκους ipsa dicta esse lupata non existimo. Qvare puto sic vertenda, *qui à frænorum lupis ajunt appellari.* Sunt enim hic non λύκοι χαλινοὶ, sed λύκοι χαλινῶν, cohærentq; ἀπὸ τῶν λύκων τῶν χαλινῶν, pro τῶν λύκων, τῶν ἐν χαλινοῖς. Qvod monendum fuit, qvia video τοὺς λύκους sive lupos accepisse aliqvos pro χαλινοῖς seu frænis ipsis. Qvia verò lupi pars peculiaris fræni certi,

qvod

qvod ex eo dictum est lupatum, ideò non satis commodè, qvi φόμιον sic reddunt, inter qvos est Camerarius in versione Xenophontis. Nec enim lupatum φόμιον, sed pars ejus, neq; φόμια omnia, lupata. Putat Salmasius hoc fræni genus dictum qvoq; κύρκυμα. Sic enim habet pag. 1001. magni operis: *Lupata multis nodis ferreis olivarum instar, ac sibi cohærentibus fiebant. Inde curcumam nuncupavere, quæ vox frænum vel lupatum propriè significat.* Ut hoc firmet, adducit verba Pollucis, sic de frænis veteribus loqventis: Τῶν χαλινῶν τὰ σιδήρια περιφερῆ καὶ πριονωτὰ, τροχοί. At hoc nihil ad lupata. Qværit Pollux, qvi sint τροχοὶ in frænis, & ait esse σιδήρια περιφερῆ καὶ πριονωτὰ, id est, ferramenta circularia & denticulata. Talia ferramenta dicit appellari τροχὰς communi nomine in cunctis frænis, id est, orbiculos, annulos, rotulas. Sunt enim τροχοὶ propriè rotæ, sic à vertendo nominatæ, qvia rotarum instar illi annuli circa oreas, velut circa axem, vertebantur ab eqvis ludentibus, ut mox indicabo. At longè alii sunt λύκοι, ut constat ex prioribus. Sed tamen λύκοι, κύρκυμα. Ego verò neqve hoc existimo, qvia curcuma diversa sunt à frænis. Docet l. unica C. Nulli in fr. *Aliis autem gemmis frena & equestres sellas & baltheos suos privatos exornare permittimus, de curcumis omnem prorsus qualiumcunque gemmarum habitum præcipimus submoveri.* Manifestè in his verbis alia sunt fræna, & alia curcuma. Nam cum illis concedatur ornatus gemmarum, his penitus adimitur. Liqvet autem, olim curcuma qvoq; exornasse gemmis. Jam si curcuma fuissent lupata, qvomodo sic exornari potuerint, non video, qvippe qvæ inserebantur ori, nisi per lupata fræna simul cum habenis intelligenda putamus. Postremo liberat nos dubitatione omni Hesychius, qvando explicat κημὸς. Verba ejus: Ἐν κημῷ, ἐν κυρκύμῳ. Facit idem κύρκυμον & κημὸν. At κημὸς est certum genus fræni, de qvo Strabo lib. XV. de Indis agens: Ἀντὶ δὲ χαλινῶν φιμοῖς χρῶνται, κημῶν μικρὸν διαφέρουσιν. Vertit Casaubonus: *Capistris pro frænis uti, quæ à camis non multum differunt.* Liqvet hinc, κημὸν fuisse non χαλινὸν, ac ne φιμὸν qvidem, sed peculiare genus, qvod Casaubonus *camum* reddidit. Nempe χαλινὸς inserebatur ori, φιμὸς non inserebatur, verum circumponebatur. Esaiæ cap. 37. Ἐμβαλῶ φιμὸν εἰς πλευρήνας σου. Qvod vul-

gatus reddit: *Ponam circulum in naribus tuis.* Unde constat, non inseri ori, sed circumdari vel imponi naribus, & esse velut circulum aliqvem. Puto autem eum circulum habuisse uncos, fodiendis naribus eqvorum. Tale namq; aliqvid Hebræa insinuant. Igitur & Castilionius: *Vnco meo naribus injecto te retraham.* Et Tremellius: *Ponam hamum meum in naso tuo, & frænum meum inter labia tua.* Frænum ponitur inter labia, id est, inseritur ori, at φιμὸς in naso, & est uncatus seu hamatus. Et qvoniam in naso ponebatur, inde Hesychius φιμῶν, ἐπιζομίζειν explicavit, & apud Lucianum nescio qvis, σωπᾶν ποιῶ φιμὸν ἀυλοῖς περιθεὶς, qvod plane circumponi circum os naresq; consveviſse demonstrat. At κημὸς id est, qvod Latini reddiderunt *camum*, sicut Casaubonus voluit. Qvi consentientem sibi habet Hieronymum, ita exponentem supra indicatum Esaiæ locum. Sed & Ps. 31. ubi Græca habent: Ἐν κημῷ καὶ χαλινῷ τὰς σιαγόνας ἀυλῶν ἄγξαις. Hieronymus vertit: *In camo & fræno maxillas eorum constringe.* Κημὸς igitur est *camus*. At κημὸς non unius fuit generis, unus de genere frænorum, alter aliud instrumentum qvoddam. Docet Hesychius. Κημὸς, ait, ὁ περιτιθέμενος τοῖς ἵπποις εἰς ὃν αἱ κριθαὶ βάλλονται, καὶ εἶδος χαλινοῦ. *Camus, qui circumponitur equis, ut avena ei immittatur, & species quædam fræni.* Ostendit κημὸν seu camum significare aliqvando id, cui avena pabulumq; solet inseri, & sic circa eqvi os religari. Λωρόσακκον vocavit Mauritius noster lib. I. cap. 2. ubi ostendimus fuisse saccum scorteum, hoc fine religari solitum ad ora eqvorum. Vide Notas nostras pag. 394. huc enim faciunt. Pollux paulò aliter: Τὸ μὲν ὅλῳ τῷ στόματι τοῦ ἵππου περιτιθέμενον χαλκοῦν ἠθμῶδες, κημὸς καλεῖται. Vertit Gvaltherus: *Sed colli instar equino ori circumdatum ferrum, frænum*, qvod ineptum. Primum autem scribi debet, *coli instar*. Colum est vas, minutis foraminibus pertusum, qvo ad percolandum uti solent. Ejus habuit speciem non *frænum*, sicut vertit Gvaltherus, verum κημὸς sive *camus*. Dicit autem ferreum fuisse. Solebant nempe ex ferro struere corbis instar reticulatim plexo, qvod eqvorum induebant oris, ne valerent lædere qvem morsu. Id Polluci est χαλκοῦν ἠθμῶδες, qvia coli aut cribri speciem habebat. Latini *fiscellam* appellarunt. Cato de R. R. cap. 54. *Fiscellas habere oportet, ne herbam secentur*

*ctentur boves, cum arabunt.* Sunt hoc loco fiscellæ velut fiscinæ aut corbes, è funiculis aut viminibus reticulatim plexæ, qvibus occludebant ora bovibus, ne inter arandum herbas & pabulum possent invadere. Tales habuerunt qvoq; in eqvis, sed ex ferro, ut ostendit Pollux, cum essent mordaces. Meminit & Xenophon in de Re Eqvestri: Εἰδέναι ὃ χρὴ τὸν ἱππονόμον καὶ τὸν κημὸν περιτιθέναι τῷ ἵππῳ, ὅταν ἔθη ψῆξιν, ὅταν εἰς κυλίστραν ἐξάγῃ. Καὶ ἀεὶ ὅπου ἂν ἀχαλίνωτον ἄγῃ, κημῶν δεῖ. Ὁ γὰρ κημὸς ἀναπνεῖν ἐκωλύει, δάκνειν δὲ οὐκ ἐᾷ. Hoc ita vertit Camerarius: *Sciet etiam curator equo accommodare capistrum, quoties vel ad destrictionem vel ad volutabrum educere volet, denique, quocunque sine fræno ducendus est, capistrum induetur. Nam hoc respirationem non impedit, & morsibus tamen obstat.* Parum aptè. Qvi enim capistrum magis obstet morsibus, qvam frænum? vel qvi omnino obstet? Itaq; κημὸς non est capistrum, verum plane istiusmodi fiscella, qvalis à Polluce describitur. Qvi ejusdem meminit paulò post par. 10. Ἢν μὲν γὰρ κεχαλινωμένον ἄγῃ, ἐᾶν δεῖ ἐν ἀπτῷ παραινῶ, ἢν δὲ ἀχαλίνωτον, κημῶν τὸν ἵππον. Ὁ γὰρ κημὸς ἐᾶ δάκνειν μὲν οὐκ ἐᾷ, ἐκπίνειν δὲ ἐκωλύει. Ita habent editi, unde & Gvaltherus vertit: *Sed qui equum fræno parentem habuerit, nihil hunc jubeo. Si verò effrenem, camo utendum est. Hic enim mordere non sinit, bibere tamen non prohibet.* Ineptè omnia. Num enim κεχαλινώμενος, *fræno parens?* num ἀχαλίνωτος, *effrenis?* Qvi deinde fit, ut hic *bibere* opponatur τῷ *mordere?* Verba Pollucis sunt desumpta ex Xenophontis antea laudato loco, qvi ostendit, pro ἐκπίνειν ἐκπνεῖν scribendum esse. Sic habebimus hunc loci totius sensum: *Qui frænatum ducit equum, ei hoc præcipi necesse non est, at verò, qui absque fræno, ei camo aut fiscella utendum. Nam fiscella mordere equum non sinit, spirare tamen non impedit.* Cur spirare non impedit? qvia est ῥυθμωτὸς χαλκῆν, id est, ferrum cribri instar undiq; perforatum. Hoc aliud est ab eo, εἰς ὃν αἱ κριθαὶ βάλλονται, ut ait Hesychius. Nam hordeum seu avena qvi manere possit in ferro ita perforato? Ergo illud potius, qvod λωρόστομον nominarunt. Pollux vocat χειλωνίρα, lib. I. cap. 11. Ἐφ' ᾧ δὲ ἐστιάζῃ ὁ ἵππος, κρεμαμένη μὲν ἐκ τῆς κορυφαίας, περιτιθεμένη δὲ τῷ στόματι, χειλωνίς. Non videtur satis intellexisse Gvaltherus, vertit enim admodum obscurè: *Quod autem ab aurea extensum ori circumda-*

*cum datum est, in quo equos comedit, crates dicitur.* Qvid hic est, *extensum ab aurea?* Κρεμάμενον non est *extensum*, sed *dependens.* Nempe dependebat saccus ille ab ore, ad qvod revinctus erat. Deinde nec *in* eo comedebat, sed *ex* eo. Pabulum indebatur sacco, inde per partes eqvus educebat. Χειλωλὴρ ergo plane λωρόσακκος, nisi putamus illum solidum ex corio pannove, hunc reticularim textum ex funiculis fuisse, sicut hodieqve solet fieri, qvia χειλωλὴρ à χειλὸς, id est, fræno. Hesychius: Χειλὸς, τροφὴ, βρῶσις, χόρτος, ἢ πᾶν ἄλλο χόρτασμα. Ita ibi censeo scribendum, non χιλός, docetq; ipsa series & ordo litterarum. Nam præcedit χειλιάσυες, & seqvitur χειλέται. Non ignoro, scribi alias per simplex *i*, sed & isto modo reperiri ex Eustathio cognovimus. Neutrum autem horum κημὸς, qvatenus est εἶδος χαλινοῦ, sicut supra testabatur Hesychius aliqvando usurpari. Nam hujusmodi κημὸς, Latinè *camus*, specie non multum erat diversus à φιμῷ. Φιμὸς autem circulus circa os & nares eqvi, qvalis proinde fuerit & camus. Hinc Phavorinus: Φίμα, κημὸς, παράσχημον, φιμὸς. Pro iisdem habet, atqve παράσχημον exponit, hoc est tale qvid, qvod apponi solet ori. Ubi tamen malè fecerit, qvisqvis acceperit pro fiscella. Nam distinxit Hesychius in superioribus à κημῷ, qvi est εἶδος χαλινοῦ, qvod Stephanus non observavit. Camum sic exposuit Isidorus: *Camus genus asperi fræni est, quo caballi superbi coërceri solent, dictus à curvitate. Χαμὸν enim Græci curvum dicunt.* Facit camum curvum, & asperum. Unde conjicias, qvoniam & ori naribusq; solebat imponi, non fuisse alium, qvam qvem hodie Germani Maas-Band/ id est, vinculum narium, vel *kappezaum* appellant. Qvale qvid proinde fuerit & κύρκωμον, sive *curcumum*, non lupatum cum nodis ferreis, olivarum instar, qvod Salmasius putabat. Neq; aliter intelligenda verba sunt Achmetis cap. 261. qvæ sunt talia: Εἰ δὲ ἄνευ δεσμῶν σιδηρῶν, ἔτοι κυρκύμον οἱ εἰρημένοι μέγιστοι ὑπολαγέντες ἐλεύσονται ἐν ἀυτῷ. Comparat δεσμοῖς σιδηροῖς, qvia erant velut vinculum narium, sicut supra & Germanos dixi appellare. Nam Vegetius Artis Veterinariæ lib. II. cap. 33. aliud qvid ea voce videtur innuere, qvando ait: *Curcumam constrictam oportet imponi, ne depravet dentes & labia.* Præterlupos habuerunt etiam τροχὺς in oreis seu στομίοις, aut ὑποστομίοις. Hi non

fuerunt

fuerunt δακτύλιοι seu annuli catenati, qvod colligitur ex Polluce, qvi ab eis distingvit lib. I. cap. 11. De ipsis verò ita ait: καὶ τῶν ὑποστομίων τὰ περιφερῆ καὶ πριονώδη, τροχοί. *Hypostomiorum illa rotunda & serrata, rotæ.* Fuerunt ergo instar rotarum orbiculata & volubilia, exterius serræ instar aspera. Qvibus eqvi ludebant, dum freqventer vertunt lingva. Habebantq; fræna ferè omnia, non tamen eodem modo, qvædam majora, alia minora, unde & eorum differentia. Nam χαλινὸς λειὸς, *frænum leve* habebat τροχοὺς εὐμεγέθεις. At verò χαλινὸς τραχὺς *frænum durum* τρόχους καὶ βάρεις καὶ ταπεινούς, sicut constat manifestè ex verbis Xenophontis, qvæ jam superius attulimus. Pollux de eadem re, secutus Xenophontem lib. I. cap. 11. Εἰσὶ δὲ σκληροὶ χαλινοὶ, οἱ ἔχοντες τροχοὺς τραχεῖς καὶ ἐκεῖνος ὀξεῖς· ὑγροὶ δὲ οἱ εὐρείας καὶ λείας ἔχοντες τὰς συμβολὰς, ὡς ῥᾳδίως κάμπτεσθαι, καὶ πάντα, ὅσα περιτίθεται τῷ τὸ στόμα, εὐρύστομα καὶ εὐσύμπυκνα. *Sunt autem dura fræna, quæ habent rotas asperas, & echinos acutos. Mollia verò, quæ amplas & leves commissuras, ut facilè possint flecti, eaque omnia, quæ circum os ponuntur, patula, nec compacta.* Sic expono ista, interpreti parum intellecta: Et observo, primum χαλινοὺς σκληροὺς Polluci esse, qvi Xenophonti τραχεῖς, item τροχοὺς τραχεῖς, qvi eidem βάρεις καὶ ταπεινοί. Contra χαλινοὺς ὑγροὺς, qvi Xenophonti λειοί; qvi sic dicti, qvod haberent συμβολὰς λείας. Ubi συμβολὰς existimo vocari, qvæ alio loco Polluci sunt ἄνια, id est, juncturas illas orearum, vel per ansas, vel per circulos integros, aut dimidios. Sed qvæ illa πάντα περὶ τὸ στόμα? & qvi fit, qvod hic nihil de τροχοῖς, qvæ differentiam frænorum maximè faciebant, sicuti ex Xenophonte constat? Puto esse vitium in scriptura, & pro περὶ τὸ στόμα, περὶ τὰ στόμια oportere legi. Στόμια, ut dixi supra, ferramenta illa duo sunt, qvæ inseruntur ori eqvorum, in capitibus per ansas circulosve juncta. In his τροχοὶ, ut verè dicantur περιτίθεσθαι. Neq; alia sunt εὐρύστομα καὶ εὐσύμπυκνα, qvam τροχοὶ εὐμεγέθεις, sicut Xenophon locutus fuit. Pro χαλινοῖς σκληροῖς Aristophanem opinor usurpasse στόμια πριονώδη. Sic enim accipio, qvæ habet Pollux lib. X. cap. 13. Στόμια δὲ πριονώδη, ἔφη ἐν Ἀναγύρῳ Ἀριστοφάνης. Nam docuerat in præcedentibus, πριονώδη τῶν ὑποστομίων esse τροχούς, ut sint πριονώδη, istiusmodi rotulis serratis armata, & sic dura fræna. Observo & obelos in frænis, Græcè ὀβελούς. Est de his insignis

Arriani locus in Indicis: Περὶ ἄκρῳ τῷ στόματι τῷ ἵππου ἐν κύκλῳ ἔχουσι δέρμα ὠμοβόϊνον, ῥαπτὸν, περιπεπλεγμένον, καὶ ἐν τούτῳ χάλκεα κέντρα ἢ σιδήρεα, καὶ κάρφα ὀξέα, ἔσω ἐστραμμένα. Ἐν δὲ τῷ στόματι σίδηρον αὐλοῦσιν οἱ ἵπποι ἔχουσιν, οἷόν περ ὀβελὸν, ἔνθεν ἐξηρτημένον εἰσὶν αὐλοῖσιν οἱ ῥυτῆρες. Ἐπὰν οὖν ἕπεσθαι ἀγωσι τὸν ῥυτῆρα, ὅ, τε ὀβελὸς κρατέει τὸν ἵππον, καὶ τὰ κέντρα, οἷα δὴ ἐξ αὐτοῦ ἠρτημένα κεντέοντα καὶ ἐς ἄλλοτε ἢ πείθεσθαι τῷ ῥυτῆρι. *Circa oris extremum equi in ambitum habent ex corio bubulo pellem, consutam, & circumcirca alligatam, & in ea cuspides æreos aut ferreos, non admodum acutos. In ore verò ipso equi habent ferrum, instar obeli, in quo obfirmatæ procedunt habenæ. Quando igitur habenas adducunt, obelus imperat equo, & cuspides ex eodem procedentes pungunt, nec permittunt eum nisi obtemperare frænis.* In his frænis ὀβελοὺς seu *obelos* puto esse veruculos, seu ferramenta paulò longiora, cuspide armata, qvæ immissa oris, stimulabant ipsa. Est enim obelus ima sui parte latior, paulatimqve desinit in acumen forma sive specie pyramidali. Atq; talis ille in Indorum frænis. Qvanqvam non in ipsis solis fuisse videatur, sed & aliis. Neqve enim alius est ὀβελίσκος apud Xenophontem in libro de Re Eqvestri, mea qvidem opinione. Verba ipsius: Τὸν μὲν σκληρὸν ὅπῃ ἂν ὁ ἵππος λάβῃ, ὅλον ἔχει πρὸς τοὺς γνάθους, ὥσπερ καὶ ὀβελίσκον ὁπόθεν ἄν τις λάβῃ ὅλον αἴρει. Camerarius sic reddidit: *Nam rigidum qvavis parte præhensum retinet equus totum inter maxillas, perinde ut veru ubilibet præhendas, totum sustuleris.* Non videtur Camerarius intellexisse mentem Xenophontis. Ecqvid enim est, *veru ubilibet præhendas, totum sustuleris?* Mihi non est dubium, qvin loqvatur de ejusmodi obelo, qvem immissum ori eqvus tenet dentibus, & sic vim ipsius eludit. Ut sic reddi debeant postrema: *Perinde ut obeliscum si præhendat, totum tenet.* Pollux lib. I. cap. 11. Τοῖς θυμοειδέσιν οὐκ ἐμβλητέον σκληροὺς χαλινούς. Ἀναλαμβάνουσι γὰρ αὐτοὺς εἰς τὸ στόμα, ὥσπερ ὀβελίσκους, ἀλλὰ ὑγροὺς. Vertit Gvaltherus: *Quapropter ferocioribus aspera fræna injicienda non sunt, hæc enim veluti obeliscos arripiunt robustos quidem & firmos.* Non sunt alii hi ὀβελίσκοι, qvam illi Xenophontis, cum ex eo locus totus sit desumptus. At hic eos eqvi dentibus arripiunt tenentqve, unde liqvet, ibi qvoq; sic accipiendos esse. Sed qvid illud, *robustos quidem & firmos*, apud Gvaltherum? De obelis sermonem esse liqvet: At qvo pacto,

pacto ibi ἐυπαγῆς? Credo, qvia erant solidi, ex unico solidoq; ferro, nullis articulis flexibili. Plane sicut erant & duriora fræna, qvæ his facit similia. Ἦν δ' χαλεπῶς ἕκαστα τῶ χαλινῶ διαῤῥέχῃ καὶ συνθῇ, τοῦτ' ἔστι σκληρὸν εἶναι. Vertit Camerarius: *In quo verò omnes particulæ fræni graviter discurrunt atque colliduntur, illud frænum rigidum erit.* Non est assecutus Xenophontis mentem. Χαλεπῶς διαῤῥέχει dicuntur, cum frænum est immobile, ac inflexibile, cum in eo annuli, dactyli, & id genus non laxi, sed adstricti. Huic generi oppositum est alterum, de qvo idem: Ὁ δὲ ἕτερος ὥσπερ ἡ ἄλυσις ποιεῖ. Ὃ ἂν ἔχῃ τὶς αὐτοῦ, τοῦτο μόνον ἀκαμπὲς μένει, τὸ δὲ ἄλλο ἀπήρτηται. Dicit, illud genus esse instar catenæ, in qva si prænensa fuerit pars aliqva, illa sola fit immobilis, cæteræ verò omnes possunt moveri. Ubi ergo catenæ instar mobile est frænum, molle erit, hoc est ὑγρὸν, ut vocat Xenophon, aut μαλακὸν, ut est apud Pollucem lib. X. cap. 13. Ubi verò penitus immobile, σκληρὸν. Qvalis cum sit obeliscus, qvoniam ἐυπαγὴς, id est, ex uno ferro absq; articulis fabrefactus, liqvet, cur eum ad genus durioris fræni retulerit. Præter oreas in fræno, qvas & ἄξονας appellat Xenophon, qvando ait, οἱ κῶλ μέσον ἐκ τῶν ἀξόνων διακύλιοι περιμάννυνται, sunt & ψέλλια. Sic autem appellasse catenas sub mento eqvi tensas putant. Pollux lib. I. Τὸ δὲ ὑπὸ τὸ γένειον διειρόμενον, ψέλλιον. *Quod verò menti subtenditur, psellium.* Ita qvidem Gvaltherus. Verum διειρόμενον est id, qvod *insertum*, non qvod *subtensum* est. Sic διειρόμενον περὶ τὸ γένειον, id erit, qvod juxta mentum solet inseri. Hoc verò non catena sub mento tensa, verum annulus à latere oreæ insertus, à qvo habena procedere consvevit. Docet apertè Xenophon, qvando ita scribit de eo, qvi conscendere parat eqvum: τὸν ῥυλαγωγέα χρὴ ἐκ τῆς ὑποχαλινιδίας, ἢ ἐκ τοῦ ψαλίου ἠρτημένον εὐθὺς λαβεῖν χεῖρα λαβεῖν. Non est aliud hoc loco ψάλιον, qvam qvod Polluci ψέλλιον. At in hoc habena. Nam sic reddidit Camerarius: *De fræni parte inferiore seu etiam de annulo bullave hujus religatum lorum ductorium aptè sinistra manu prehendet.* Vides ut lorum ductorium, id est, habena, religatum sit ἐκ τοῦ ψαλίου, qvod Camerario est *de annulo bullave.* Credo, qvod illi annuli vulgo bullis auratis ornantur. Revera tamen ψάλιον seu ψέλλιον solus ille annulus, ab utraq; oris parte fræno insertus, ad qvem religantur habenæ.

Nisi qvod interdum huic addantur alii, ut fiat instar alicujus minutæ catenæ. Atq; inde Hesychius: Ψάλια, κρίκοι, δακτύλιοι. Neq; aliter intelligenda verba Jobi cap. 40. Δήσεις κρίκον ἐν τῷ μυκτῆρι αὐτοῦ. Ψελίῳ δὲ τρυπήσεις τὸ χεῖλος αὐτοῦ. Vertit vulgatus: *Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus.* Sed ψέλιον, qvod Polluci ψέλλιον, Hesychio ψάλιον, nil aliud hoc loco, qvam circulus sive annulus. Solebant enim ferarum malis perforatis inserere annulos ferreos, ut per immissos in illos annulos funes ducerent, & huc illucq; flecterent, sibiq; obseqventiores facerent. Qvod nos ipsos in ursis aliqvoties vidisse meminimus. Atq; hinc est illud τρυπήσεις ψελίῳ qvod non rectè Castilionius videtur accepisse, qvando reddidit: *Et buccam cuspide perforabis.* Ψέλιον enim non est *cuspis*. Suidas περιοχὴν exposuit adducto hoc ipso Jobi loco, qvod significat aliqvid, qvod rem aliam tenet clausam. Sed Castilionius respexit magis ad Hebræum textum, in qvo acutum qvid significatur. Nam & Tremellius ita: *Aut spina perforabis maxillam ejus.* Omnino ψέλιον apud Jobum uncus circularis est, in qvo per maxillas transmisso captos suspendere solent pisces. Ut sensus sit, non poteris Leviathan, maximum ex cetorum genere, sic uncato circulo tenere clausum captumqve, sicut soles pisces minutos in circulo tali suspendere. Atqve qvia ψάλιον est circulus, qvo moventur fræna, qvando adducuntur habenæ, propterea sic dictus est. Est enim ψάλλειν sæpe κινεῖν, Hesychio teste, id est, *movere*. Qvin imò ex causa hac qvandoqve frænum totum denotat, qvomodo & alias pars aliqva eximia pro toto solet usurpari. Hesychius: Ψαλίοις ἵππων, χαλινοῖς ἵππων. Κωλυτηρίοις. Ψαλίον, κωλυτήριον, χαλινός. Et paulò post: Ψαλὸν, εἶδος χαλινοῦ. Et hæc qvidem ψέλλια Pollucis. At qvid est, qvod præmittit Xenophon, velut huic non multum dissimile, qvando ait: Ἐκ τῆς ὑποχαλινιδίας, ἢ ὀκ τοῦ ψαλίου? An ὑποχαλινιδία qvoq; ψάλιον seu annulus hujusmodi? Camerarius *fræni partem inferiorem* reddidit, qvod vix intelligitur. Pollux memoravit inter ἱππικὰ ὄργανα, id est, instrumenta eqvestria, lib. I. cap. 12. ubi tali ordine recensentur: Χειραγωγεύς, ῥυλαγωγεύς, κέντρον, μύωψ, ὑποχαλινίδια, ἡνία. Gvaltherus prorsus imperitè vertit *ocreas*. Verba ejus: *Eqvestria instrumenta sunt, catena, habena & lorum*

*eqvi,*

*equi, stimulus, calcar, ocreæ, habenæ.* Non video, qva ratione ὑποχαλινίδια verti possint *ocreæ.* Nam ὑποχαλινίδια est singularis numeri, sicut manifestè docet Xenophontis locus, qvod non observasse Gvaltherus videtur. Unde qvoq; rectius apud Pollucem ὑποχαλινίδια scribi existimo. Sanè ὑποχαλινίδια est à χαλινὸς, id est, frænum. At qvid hoc ad ocreas? Potius existimem ὑποχαλινίδιον esse ferramentum longius ab orea dependens, cui habena alligatur. Scilicet duplicia habebant fræna, qvædam cum simplicibus annulis in oreis, alia cum ferramentis longioribus, qvæ qvia propendebant ab oreis, seu axe, aut χαλινῷ, id est, illo, qvod inserebatur ori, inde dicta ὑποχαλινίδια. Nam χαλινὸς propriè id ferrum, qvod insertum ori mandunt eqvi, hinc ὑποχαλινίδια, qvasi qvod sub illo ferro, qvia inde propendet. Ecce tibi fræni utriusq; effigiem ex columna Trajani.



Sunt hæ imagines desumptæ ex Lafrerii operibus, qvi omnium optimè ac diligentissimè singula delineavit, ut vix possit ambigi. Videturq; insuper & series vocabulorum apud Pollucem docere. Seqvitur enim mox ἡνία, id est, lorum seu habena, qvæ ad ferrum istud solet religari. Et hæc qvidem ferramenta fræni, qvæ ut ad os caputq; firmarentur, opus erat loris. Eorum unum Græci appellabant κορυφαίαν, eratqve illud, qvod ab eqvi vertice præter aures ten-

debat ad os. Pollux: ὁ ὑπὸ κορυφῆς τοῦ ἵππου ἐκλελαμένος καὶ ἱμὰς ἐπὶ τὸν χαλινὸν κορυφαία. *Lorum ab equi vertice tendens ad frænum, capitale.* Ita vertit Gvaltherus. Dixi præter aures. Docet Xenophon in de Re Eqvestri, unde nostrum desumsisse arbitror: πῶς δέχεσθαι τὸν χαλινὸν, πῶς ὑπὲρ τὰ ὦτα τῷ κορυφαίαν. Vertit Camerarius: Videbimus, *& lupos, quo pacto ore, & verticale lorum, quo pacto ad aures admittat.* Verum χαλινὸς non sunt lupi, sicut liqvet ex superioribus: Nec περὶ τὰ ὦτα, *ad aures.* Mallem sic exponere: *Videbimus, quo modo & admittat frænum ore, & lorum circa aures.* Liqvet autem plane, κορυφαίαν pertinuisse ad aures, ut existimem non esse aliam, qvam qvæ *aurea* est Festo, & ab *orea* distingvitur. *Aureas dicebant frænum, quod ad aures equorum religabatur.* Meminit ejusdem Xenophon & in sequentibus, ubi docet, qvomodo imponi frænum debeat: τὰς μὲν ἡνίας περιβαλὼν περὶ τῷ κεφαλὴν καθαθέτω ἐπὶ τῇ ἀκρωμίᾳ, τῷ ὑπὲρ κορυφαίαν τῇ δεξιᾷ αἰρέτω, τὸ δὲ στόμιον τῇ ἀριστερᾷ προσφερέτω. Exponit Camerarius: *Habenas ob caput in summis armis ponat, verticale autem attollens in dextra teneat, ac lupos sinistra admoveat.* Ubi *verticale* reddit, qvod supra *verticale lorum,* Gvaltherus *capitale* dixit. Liqvet autem totum id intelligi in qvo frænum, non unum modo lorum, qvoniam opponitur στομίῳ, & præter illud στόμιον ac κορυφαίαν nihil memoratur ad frænandum eqvum. Est tamen seorsum & γενειαστὴρ inter fræni lora. Pollux sic de eo: ὁ δὲ περὶ τὰς γένυς, γενειαστὴρ, γενείας. Vertit Gvaltherus: *Quod circa maxillas, maxillare.* At γένειον, mentum. Philoxenus: *Mentum,* γένειον. Sic erit lorum non circa maxillas, sed mentum. At verò lorum illud, qvo auriga frænum moderatur, Græcis est ἡνία. Hesychius: Ἡνίαι, λῶρα χαλινῶν. Ἡνίαις, χώροις, τόποις, ἢ λώροις τῶν χαλινῶν. Dicit, lora frænorum ita nominari. Vocantur & ῥυῆρες. Pollux: Αἱ δὲ ἡνίαι καὶ ῥυῆρες. Suidas: Ῥυῆρες, χαλινοὶ ἱμάντες, ἡνίαι. Dicit expresse, hoc vocabulo significari ea lora, qvæ ad frenos spectant. Qvod notandum, ne hic cogitemus helcia, de qvibus alio loco dixi. Latinis sunt *habenæ.* Philoxenus: *Habenæ,* ἡνίαι. Lexicon Argentoratense: *Habena,* ἡνία, ἀγωγεύς. Observa, etiam ἀγωγέας appellasse. Suidas: Ἀγωγεῖ, ἱμάντι ᾧ ἄγεται ὁ ἵππος. Atq; ita usurpavit Xenophon, Polybius, & alii. Idem voluit Hesychius, qvando scripsit:

Ἀγωγεὺς

ἀγωγεὺς ὁ ἱμάς. Nam ἱμὰς est *lorum*. Ita autem etiam Latini habenas appellarunt, maximè Poëtæ. Virgilius lib. I. Æn.

*Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.*

Phædrus noster lib. III. cap. 7.

*Et lora frænis continet spumantibus.*

Ovidius lib. II. cap. 1. in verbis Solis ad Phaëtontem:

*Corripe lora manu.* — — —

Cæterum, hæc lora à frænis per dorsa jugalium decurrebant ad aurigam, unde καταντωτιαῖα, id est, *per tergum decurrentia*, appellabantur. Pollux: Τῶν ἡνιῶν αἱ μὲν καταντωτιαῖοι καλοῦνται. *Ex loris aliqui nominantur catanotiæi*, hoc est, decurrentes per tergum. Nisi qvis existimet, signari per ἡνίας hoc loco non tam fræna, qvam lora alia à jugo per tergum ad caudam decurrentia, qvod videtur esse verius. Interim sic protenta fuisse certum est, ac ne turbarentur facilè, aut deciderent, transmissa per annulos qvosdam. Pollux: Οἱ σιδηροῖ κύκλοι, δι' ὧν διήρηνται αἱ ἡνίαι, δακτύλιοι. *Ferrei circuli, per quos trahuntur habenæ, dicti dactyli*. Docet, dactylos vocasse. Nuncupabant qvoq; θαιροδύτας. Hesychius: Θαιροδύται οἱ ἐν τῷ ζυγῷ δακτύλιοι, δι' ὧν οἱ ῥυῆτες. *Thærodytæ annuli in jugo, per quos transmittuntur habenæ*. Qvibus verbis simul discimus, ubi annuli illi fuerint, videlicet in jugo. Apparet tamen ex Onuphrii picturis, saltem in Circensibus vehiculis habuisse etiam in summo maschalisteris, si modò rectè sese habent. Usus erat omnium, ut haberent in obseqvio jugales, qvod Horatio est *temperare ora frænis*. Pertinebat huc, ut pro ratione negotii lora cum frænis vel attraherent, vel remitterent, & vel in hanc vel in illam partem flecterent. Primum dicebant *frænos inhibere*. Livius I. cap. 48. *Inhibuit frænos is, qui jumenta agebat*. Valerius eandem rem proponens lib. IX. cap. 11. sic ait: *Is, qui jumenta agebat, succussis frænis constitit*. Unde colligas esse idem & *succutere frænos*. Ovidio hoc est *ducere*, lib. XV. Met. f. 1.

— — — — — *Ego ducere vana*
*Frena manu, spumis albentibus oblita, luctor,*
*Et retro lentas tendo resupinus habenas.*

Hic *retro tendere habenas*, & *ducere fræna* idem est. Nempe *ducere* simplex,,

ſimplex, pro *adducere* ponitur: Eſt enim *adducere*, attrahere. Cicero in Lælio: *Commodiſſimum eſt quam laxiſſimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis, vel remittas.* Græcis hoc eſt ἀνακρούειν ἐ ὑπὸ χαλινῶ καλαβιάζειν τὸν ἵππον, ut ex Luciano diſcimus. Secundum dicebant *fræna dare.* Livius lib. XXXIV. cap. 2. *Date frænos impotenti naturæ & indomito animali.* Virgilius lib. I. Æn.

-- -- *Et laxas ſciret dare juſſus habenas.*

Idem eſt *immittere fræna ſeu habenas.* Virgilius iterum lib. IX. Æn.

-- -- *Immiſſis pars cæca & concita frænis.*

Ubi tamen plus eſt *immittere*, qvam *dare*, qvoniam, qvi dat, non tenet ea adſtricta, nec tamen libera plane patitur eſſe fræna, qvi verò immittit, ſinit qvoq; eſſe libera. Alibi pro *immittere*, Poëta idem dixit *effundere.* Ut lib. V. Æn.

-- -- *Manibusque omnes effundit habenas.*

At pro *dare*, uſurpant & *laxare fræna.* Qvomodo Lucanus lib. VII. *Frænosque furentibus ira laxat.* Cicero in verbis antea citatis ita uſurpavit *remittere.* Græcis hoc eſt ἐνδιδόναι τὸν χαλινὸν, item ἐξορμᾶν ἡνίαν, uti Pollux docet lib. I. Homero ferè τανύειν ἱμᾶσιν. Ut Il. ϒ.

Ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν.

Ubi Neſtor vetat filio, loris extenſionem facere ab initio, & ſic ad curſum nimis concitare ſuos eqvos. Alterum verò πάντα χαλινὸν ἀνεῖναι, ut de voluptate Baſilius locutus eſt. Medium ex his eſt *frænа tenere.* Reſpexit auctor Dialogi de Cauſis corr. eloq. cap. 31. *Orator tenebit habenas animorum, &, prout cujusque natura poſtulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem.* Horatius pro eo dixit *temperare.* Solebant autem eqvorum excitandorum gratia percutere ipſorum colla habenis, qvod ex Xenophonte diſcimus. Pollux imitatus ipſum hoc appellat ἀνακλᾶσαι τὸν αὐχένα ἐν τῷ χαλινῷ. Item ἀνακρούειν τῷ χαλινῷ. Virgilio hoc eſt *concutere fræna* lib. VI. Æn.

-- -- -- -- -- *Ea fræna furenti*
*Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.*

Silius dixit *quatere* lib. XVI.

-- -- -- -- *Quatit æquore aperto*
*Lora ſuis victor.* -- -- --

Qvod

Qvod si tardiores sunt, habenis eos verberant, præsertim in defectu flagellorum. Silius lib. XVI.

*Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora.*

Simili ratione habes apud Statium lib. VI. Theb.

*Verberibusque jubas, & terga lacessit habenis.*

Curtius lib. IV. cap. 15. *Exaudiebantur tantum strepitus habenarum, quibus equi, currum trahentes, identidem verberabantur.*

Tertium dicebant *flectere*. Ovidius lib. II. Met. de Phaëtonte:

*Ipse pavet, nec, qua commissas flectat habenas,*
*Nec scit, qua sit iter.* -- -- --

Pro *flectere habenas* idem alibi usurpavit *flectere ora equorum* aut *equos* ipsos *habenis*. Ut in Ep. ad Pisonem:

*Sic auriga solet ferventia Thessalus ora*
*Mobilibus frænis in aperto flectere campo.*

Virgilius sic dixit *contorquere ora* lib. XII. Æn.

*Ora citatorum dextra contorsit equorum.*

Solebat autem hoc fieri frænis in alterutrum latus conjectis, qvod Pollux τὸν χαλινὸν μεταβάλλειν ἐφ' ἑκατέραν τὴν γνάθον appellat. Malè Gvaltherus vertit: *Frænum in utramque trajicere maxillam.* Nam ἐφ' ἑκατέραν non est *in utramque*, sed *ad alterutram*. Vult, oportere frænum conjici vel ad dextram maxillam aut genam, vel ad siniſtram, si flectendus eqvus, de qvo ibi sermo. Atq; hic frænorum usus. Seqvitur nunc *capistrum*. Id ita *à capite jumentorum dictum* ait Isidorus. Nempe, sicut oreæ ab ore, ita capistra à capite, qvia illæ inserebantur ori, hæc circumdabantur capiti. Erant enim capistra, qvibus eqvi jumentave, sublatis frænis, tenebantur, unde qvoq; sunt, qvi capistra dicta putant. Qva de re videri Vossius potest. Varro lib. II. de R. R. cap. 6. ubi agit de pullo asinino, & qva ratione primo secundoqve post partum anno debeat haberi. *Proximo anno patiuntur esse cum his, & leniter capistris aliave qua re habent vinctos.* Vides, capistris vinciri teneriqve, verum leniter. Inde *mollia capistra* apud Virgilium lib. III. Georg.

-- -- *Inque vicem det mollibus ora capistris.*

Ubi Servius: *In vicem. Frænorum scilicet, ne adhuc tenera ora lædantur.*

*tur.* Qvibus verbis constat, alia esse fræna, alia capistra: Illa lædere ora, hæc non lædere. Nempe fræna pertinebant ad ora, inserebantur ori: Contra capistra pertinebant tantum ad capita, neq; ori indebantur. Itaq; nec ora lædebant. Græcis vulgo est φορβιά. Philoxenus: *Capistrum,* φορβιά. Sed in Glossis est φορβαία. Ita namq; habent: *Capistrum,* φορβαία. Glossæ Græcæ habent φορβεάν. Atqve ita etiam apud alios reperitur, nisi qvod accentum referant ad syllabam priorem. Hesychius: Φορβέα, ἕλκυστρον, περισόμιον, καπίστριον. Vides, per καπίστριον exponi, qvod est Latinorum *capistrum.* Moschopulus: Ἀπὸ τῆς φορβῆς, ἤγουν τὰ κοινῶς καπιστρία. Suidas: Φορβιὰν, περισόμιον, καπίστριον. Qvando Suidas & Hesychius per περισόμιον exponunt, ostendunt manifestè, non inseri ori, sed alias circumponi ei consveisse, hoc enim propriè est περισόμιον. Et in eo differebat à frænis. Idem liqvet ex instrumento tibicinum φορβειὰ vocato, qvod utiqve non inserebatur ori, sed tenebat illud justo modo. Itaq; Scholiastes vetus Aristophanis in Vespis explicat τὸ περικείμενον τῷ στόματι τῶν αὐλητῶν δέρμα, ἵνα μὴ σχισθῇ τὸ χεῖλος αὐτῶν. *Id, quod ori tibicinis circumpositum est, loramentum, ne labra ejus findantur.* Vide Salmasium Exercit. Plin. pag. 833. ibiq; pertinentem huc picturam. Et qvia parum discrepat hæc φορβειὰ, iccirco στόμιδα capistrum qvoq; dictum Salmasius putavit. Στομὶς, ait eo loco, *idem, quod capistrum.* Nempe ita habet etiam Hesychius: Φορβειὰ, ἡ αὐλητικὴ στομὶς. Sed mihi hic Hesychius non voce propria & æqvivalente per omnia, sed qvalicunqve usus esse videtur, ut ostenderet, qvid φορβειὰ significaret. Nam alias στομὶς immittebatur ori, sicut liqvet ex superioribus, φορβειὰ neqvaqvam. Præterea nemo reperitur, qvi φορβειὰν atq; στομίδα diceret esse idem. Nam Lucilii qvidem versus, qvem adducit, penitus huc facit nihil. Verba ejus:

*Trulleũ postomis huic ingens de naribus pendet.*

Hic Salmasius existimat legendum: *Trulleus pro stomide,* ut faciat Latinum *stomidem,* pro eo, qvod in Græcis esset στομὶς, id est, φορβειὰ, seu capistrum. At hic sermo esse de capistro neqvit. Nam expressè Lucilius id, qvicqvid est, pendere ait de naribus, qvod profectò nihil convenit in capistrum. Capistrum est περισόμιον, ambit os, at postomis

ſtomis pendet de naribus, qvæ inter ſeſe differunt plurimum. Deinde Nonius expreſsè ferrum ait fuiſſe. Verba ejus: *Poſtomis dicitur ferrum, quod ad cohibendum equorum tenaciam naribus vel morſui imponitur, Græcè* ἀπὸ τῶν στομάτων. Si ferrum fuit, utiq; capiſtrum explicari neqvit; Nam capiſtrum fuit lorum. Inde ἱμάντες pro capiſtris apud Homerum locis pluribus. Ut Il. Θ. ubi eqvi ſoluti à jugo ligantur capiſtris iſtiusmodi. Neq; alia eſt cauſſa, cur Virgilius capiſtra dixit *mollia*. Nam qvod legimus alio loco apud Virgilium *capiſtra ferrata*, nihil obſtat. Sunt illa peculiaria, hædis ablactandis facta. Docent ipſa verba ejus:

*Multi jam excretos prohibent à matribus hædos,*
*Primaque ferratis præfigunt ora capiſtris.*

Servius hoc loco: *Ferratis capiſtris, id eſt, duris.* Parum ex ſententia Virgilii, qvi intelligit verè ferrata, id eſt, ferro confixa. Solebant enim capiſtris illis addere aculeos ferreos, extantes circa nares hædorum, ut, ſi ad capras veniant, oraq; uberibus admoveant, metu iſtorum ſtimulorum ferreorum repellantur, ſicut hodieq; paſſim eſt in uſu. At hæc capiſtra nil ad noſtra, qvæ omnino fuere coriacea, vel ex loris plexa. Subdit Nonius, id ferrum pertinuiſſe ad cohibendam eqvorum tenaciam. Tenacia eqvorum eſt, cum frænis nolunt parere. Hinc apud Livium, lib. XXXIX. cap. *Equum tenacem, non parentem frænis aſperioribus, caſtigandum eſſe.* At qvi hoc poſſit capiſtrum, qvod non poteſt frænum? Capiſtri ſanè uſus fuit mollior, ut qvi neq; os coërceret. Itaq; non poteſt de capiſtro Lucilius egiſſe. Neq; placet τὸ *proſtomide*, qvod Salmaſius reſtituit. Nullus ſtomidis hic eſt locus. Στομὶς ad fræna pertinet, φορβειὰ non pertinet ad fræna, ſed eſt ſui generis. Pollux: Τῆς ἐπιφαλινδίας φορβειᾶς μὴ ποιεῖτω ἄμμα, ἔνθα ἡ κορυφαία περιλίθεται, ἵως μὴ ἑλκόμενον τοῦτον καὶ περὶ τὸ χαλινοῦσθαι δυσκολαίνειν. Facit diverſa Pollux, uſum φορβειᾶς, & χαλινοῦς, qvorum poſterius, cum fiat per στομίδα, non poteſt φορβειὰ & στομὶς idem eſſe. Adde, qvod obſervet Douſa, verſum illum reperiri ſcriptum aliter in lexico qvodam veteri, & ad hunc modum:

*Poſtomides huic de naribus ingentes pendent.*

Si poſtomides plures pendent de unius naribus, qvi ſignificare

possint capistra? Nemo enim plura ea uni eqvo imponit. Neq; tamen in eorum sum sententia, qvi exponunt circulum ferreum, dentatum naribus eqvorum ferocientium imponi solitum, qvem in præcedentibus ostendimus vocari camum. Circulum enim illum sive camum nemo unqvam fecit pendentem de naribus, sicut manifestè hic de postomide Lucilius testatur. Magis eo adducor, ut existimem significare instrumentum, qvo utuntur mulomedici fabriq; nostri, qvando urunt secantve eqvos. Ferrum duplex est ac longiusculum, ab uno capite ansatum, ut aperiri claudiqve possit, crebris dentibus intus asperum, qvod in superiori labro eqvi fixum verissimè dependet. Germani eine Preus appellare consveverunt. Juvat plane, qvod ajebat supra Nonius, non solum naribus, sed etiam *morsui* imponi. Hoc enim in nullum instrumentum aliud magis convenit. Non profectò in camum, ac ne in capistrum qvidem, minimè verò stomidem, cum nunqvam stomis imponatur. Non igitur postomis stomis est, nec apud Lucilium in stomis immutari potest. Qvod & ex eo liqvet, qvod Nonius ait postomidem dictum ἀπὸ τῦ στόμα, hoc enim sic intelligo, qvod ab his vocabulis ἀπὸ στόμα formatum sit *postomis*, qvasi qvod ἀπὸ τῦ στόμα, hoc est, ab ore, dependeat. Neq; obstat lectio vulgata Nonii, imò ex hac interpretatione accipit lumen, cum intelligitur, eum, qvisqvis tandem hic exagitatur, habuisse ita trulleum & vas vinarium ingens ori affixum, ut eo liberare se non magis potuerit, qvam eqvus postomide. Postomis itaq; non est στομὶς vel stomis, sed nec capistrum significat, qvippe qvod nec ferrum erat, nec à naribus pendebat, verum lorum aut funis, qvo præligabant capita jugalium. Auctor Etymologi ex Herodiano Grammatico, voce ἄρειν: Φορβεία σημαίνει τὸ σχοινίον τῦ ἀλόγυ τὸ περισόμιον, τὸ καπίστριον. *Phorbeia est funis circa os jugalis, capistrium.* His capistris alligabant jugales in stabulis, nec officiebant ea, qvo minus sumere possent pabulum, unde constat, qvod & ante dixi, non habuisse illa inserta ori. Hippiatrica seu de Re Eqvestri: Τὰς δὲ φάτνας ὑψηλοτέρας εἶναι δεῖ, ὡς ἀνυβρίστως ἀπ' αὐλῶν τὰς φορβέας, καὶ ἀνανεύσας λαμβάνειν τὴν τροφήν. *Præsepia verò oportet esse altiora, ut in eis suspendi possint capistra, & nihilominus animalia sublatis*

tis

*tis capitibus sumere pabulum queant.* Sicut autem φορβειὰ propriè apud Græcos est capistrum, sic interdum video pro eo positum κημὸν. Ita sanè habes in Lexico Argentoratensi: *Capistrum,* κημὸς. Etiam φιμὸς hoc sensu aliqvando usurpatus videri potest. Nam qvod extat in Lege Mosaica Deut. 25. Οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, & vulgatus reddidit, *non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas,* id Grotius in notis ad hæc verba explicat, *non capistrabis,* & addit, *ita enim Plinius loquuntur & Columella.* Verum inspicienti utrumq; auctorem aliud videbitur. Plinius sic ait lib. XVIII. cap. 19. *Si inter arbores vitesque aretur, fiscellis capistrari oportet, ne germinum tenera præcerpant.* Hic usurpat non *capistrare* simpliciter & per se, verum *capistrare fiscellis,* qvæ duo inter se differunt plurimum. Nam qvi simpliciter capistrantur, illi illigantur capistris, & qvi capistrantur fiscellis, eis adduntur fiscellæ, qvorum hoc prohibet ipsos capere cibum, illud non prohibet. Unde liqvet in Lege Mosaica non prohiberi, ut capistrentur, sed ut capistrentur fiscellis. Et hoc propriè φιμᾶν. Φιμοὶ enim os claudebant, erantq; craticulatim ex funiculis viminibusq; plexi sacculi corbesve, qvos vocabant fiscellas Latini, Græci alias κημούς, qvemadmodum superius ostendi. Scholiastes Aristophanis in Eqvitibus: Ὁ τοῖς ἵπποις περιτιθέμενος ἔτως ἐκαλεῖτο κημὸς, ὁ καλούμενος φιμὸς. *Fiscella, quæ circa os equorum ligari solet, & alias vocatur phimos, ita dicitur.* Et qvoniam φιμοὶ claudebant os, inde habemus in Glossis: Φιμᾶμαι, *obmuteo, commuteo, commutesco, compescor.* Φιμῶ, *compesco.* Nempe, qvia non bobus solummodò vel eqvis, sed & hominibus fiscella obligari os solebat, ne id possent aperire. Servi freqventissimè sic coërciti, præsertim in pistrinis, ne possent edere, farinamq; subducere. Sed & silentium hoc modo ipsis impositum videtur. Unde Seneca de veterum humanitate adversus servos, & servorum apud illos libertate, ep. 47. *At illi, quorum os non consuebatur.* Ubi *consui* plane Græcum φιμᾶσθαι, peræ scilicet ac sacculi instar ambitu collecto, & funiculo constricto. Neq; aliud existimo voluisse Ammianum, qvando scribit de Persis lib. XXIII. *Nec ministrandi apud eos famulo mensæque adstanti hiscere vel loqui licet, vel spuere, ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur.* Alludit

sine dubio ad τὸ φιμεῦσαι, solitum hoc fine usurpari. Cumprimis verò in damnatis hoc receptum fuit, ne liberam emittere possent vocem. Et hinc φιμωθέντες Zenobii, quos memorat & Heinsius Exerc. Sacr. pag. 69. Putant viri summi, pertinere huc & locum Aristophanis in Nubibus:

Φιμώσητε τούτῳ τῷ ξύλῳ τὸν ἀυχένα.

Sed nos sumus alia in sententia. Nempe sermo ibi est de Cleone furti & ambitus damnato, quem sic puniri volunt. Non est autem pœna sufficiens tantorum delictorum, si eam modo illo tantum accipiamus, quo prædictum est. Adde, quod hic non simpliciter sit positum φιμώσητε, sed additum τὸν ἀυχένα. Vulgo φιμὸς pertinebat non ad ἀυχένα sive collum, sed ad στόμα sive os. Quando ergo dicitur φιμώσητε τὸν ἀυχένα, nulla intelligitur conclusio oris, verum colli, sive gutturis & faucium. Qualem fieri nonnunquam consueviſse φιμῷ, sicut nunc nervo arcui dempto, vel hinc intelligitur. Neq; aliam opinor fuisse causam, quare Hesychius sic scripserit: Φιμοῖ, δεσμεύει, ἐμπράττει, ἄγχει. Est enim ἄγχειν strangulare, fauces constringere. At τὸ φιμεῖν vulgo sumptum significat tantum os concludere loro, qui φιμὸς est Græcis. Chrysostomus pro eo dixit σπαρτίον. Verba ejus Orat. 5. in Esaiam: Καὶ ἐξῆς λοιπὸν, καθάπερ οἱ τὸν ὅτι θάνατον ἀπαγόμενοι, σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος ἔχοντες. Hic plane σπαρτίον est φιμὸς, id est, lorum, seu potius funis sparteus, quo claudebatur os damnati, cum supplicium de eo esset sumendum. Idem Or. 9. de incomprehensibili DEI natura: Σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος λαβὼν ἐξήγετο τὸν ἐπὶ θάνατον ὁδόν. Vertunt: *Fræno in os injecto ad supplicium ducebatur.* Perperam. Non enim in os injectum fuit, verum circa os ligatum, ita, ut maxillis per lorum illud ad superiora constrictis aperiendi ejus nulla facultas esset. Id quod abunde Græca indicant, quando habent ἐπὶ τοῦ στόματος, non ἐν τῷ στόματι. Hoc ergo lorum σπαρτίον, credo, quod non esset semper ex corio, sed sæpius ex sparto, non quod ex illo φιμῷ *habena seu funis* esset *aptata, quo carnifex damnatos ad supplicium trahebat*, sicut volunt viri longè doctissimi. Dicit enim expressè Chrysostomus de illo σπαρτίῳ, quod damnatus id habuerit circa os. Occurruntq; similia apud ipsum verba Homil. 4. in Es.

Ἐξά-

Ἐξάγουσιν αὐτὰς τὸ σπαρτίον ἐπὶ τῷ στόματι ἔχοντας. Item Hom. 1. ad Macab. Τὸ σπαρτίον ἐπὶ τῷ στόματι ἔχοντα. Σπαρτίον istiusmodi, seu φιμὸν, Pacatus noster Latinè appellavit *frænum*. Verba ejus cap. 29. *Cum lictorum arma, cum damnatorum fræna tractassent*. Non sunt alia hic *damnatorum fræna*, qvam φιμοὶ seu σπαρτία, sicut dixi jam in Notis ad eum locum in Editione secunda. Et hoc qvidem est φιμῶν, qvod Plinius vocavit *capistrare fiscellis*. Columellæ locus, qvem & ipsum laudat Grotius, huc prorsus nihil facit. Loqvitur enim ibi Columella non de bobus, aut conclusione oris, verum simplici religatione. Ita namq; habent lib. VI. cap. 19. *Primis duobus statuminibus imponitur firmum jugum, ad quod jumenta capistrantur, vel boum cornua religantur*. Capistrari dicuntur jumenta hoc loco, qvando simpliciter alligantur, sicut alligari solent in stabulis ad præsepia. Nempe sunt capistra sæpe qvaliacunq; vincula, etiam ex viminibus facta. Idem Columella lib. IV. cap. 20. *Cum ad summum palum recta vitis extenta est, capistro constringitur, ne fœtu gravata subsidet curvaturque*. Capistrum hoc loco dicitur vinculum ex vimine, qvo summus vitis ramus in capite devinctus religatur ad jugum solenni hodieq; ratione. Qvod an locum habeat etiam in φιμὸς & φιμῶν Græcorum, necdum habeo compertum. Illud singulare est, qvod reperiantur & φιμοὶ αὐλωτοί. Sic enim habet Pollux: Ἐκαλοῦντο δέ τινες αὐλωτοὶ φιμοὶ διὰ τὸ κώδωνας ἔχειν ἐπηρτημένους, οἷς ἐγχρεμετίζοντες οἱ ἵπποι ἦχον ἐποίουν προσόμοιον αὐλῷ. Vertit Gvaltherus: *Sunt & fræni quidam fistulati eo, quod tintinnabula habeant appensa, quibus equi inhinnientes sonum reddunt fistulæ persimilem*. In hac versione multa sunt, qvæ probari non possunt. Primum φιμὸν reddit *frænum*. At pro fræno illam vocem usurpari nusqvam observavimus. Nam Pacati locus agit non de instrumento eqvestri, verum ad supplicia & pœnas pertinente. Deinde nec αὐλὸς est *fistula*, sed *tibia*, qvæ differt plurimum. Præterea nec illud qvadrat, qvod fræna illa dicat habuisse tintinnabula, & tamen dicta esse fistulata. Nam à tintinnabulis qvi dici qveat fistulatum? Sed & illud parum liqvet, qvomodo illa tintinnabula sonora facere potuerint hinnitu potius, qvam motu corporis, & agitatione alia. Eqvidem κώδωνας esse vulgo tintinnabula discimus ex Glossis, qvæ

fic

sic habent: Κώδων, *tintinnabulum.* In Glossis aliis *tintinnaculum* scribitur. *Tintinnaculum,* κώδων. In aliis *tinnibulum.* Sic enim habent: *Tinnibulum,* κώδων. Qvicqvid autem sit de varia formatione vocis, ea instrumenta vulgo denotari per κώδωνας, qvæ agitatione pulsuq; sonum edunt, certum est. Præterea videmus in antiqvis monumentis dependentia ex eqvis tintinnabula. Nam in nummo æreo Imperatoris Heraclii, cujus effigiem exhibet Lipsius in de Cruce, habes Imperatorem in vehiculo sedentem, qvod à tribus trahitur eqvis, è qvibus tertius, qvi antecedit cæteros, habet tintinnabulum inter primos duos pedes ante pectus pendens. Sed & phaleras, & fræna culta olim apud veteres Romanos sic fuisse observat Phavorinus. Κώδωνας, ait, ἐν ταῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων οἱ στρατηγοὶ καὶ τοῖς παλαιοῖς εἶχον, ὥσπερ καὶ νῦν. Κωδωνοφαλαροπώλης λέγει Ἀριστοφάνης τὸν χρωμένης κώδωσι. Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁμοίως, ὅπερ ἐγὼ Βαρὶν & πολλάκις ἑώρακα. *Tintinnabula in phaleris & frænis equorum milites apud veteres habuere, sicut nunc quoque. Equos cum phaleris tintinnabula habentibus memorat Aristophanes de iis, qui usurpant. Simile quid & Romanis usitatum, sicut ego Varinus sæpissimè conspexi.* Locus Aristophanis, qvem respexit, extat in ipsius Ranis, istis verbis:

Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους.

Hoc sic reddiderunt Latinè: *Effingens Memnonas, cygnosque nolipharepolas.* Sed non exprimunt sententiam vocis Græcæ, ea namq; illud notat, qvod est dictum in superioribus, cujus respectu poterant dixisse *nolaphalaropullos.* Nam & Scholiastes ibi apertè: Κωδωνοφαλαροπώλης Ἀπολλώνιός φησιν, ὅτι παρήνεγκε χρωμένους κώδωσί τινας, κώδωνας ἐν τοῖς φαλάροις καὶ χαλινοῖς τῶν ἵππων ἔχοντας. *Codonophalaropolus, id est, nolaphalaropullos, Apollonius ait vocare, quod proponat quosdam nolis seu tintinnabulis utentes, qui tintinnabula in phaleris & frænis habent equorum.* Dicit apertè, in phaleris & frænis eqvorum habuisse ista tintinnabula. Ut sic πῶλοι denotent non *polas,* ut verterunt, verum eqvos. Et de talibus accipiendum est, qvod habet Diodorus lib. XVIII. agens de mulis in curru Alexandri, καὶ παρ' ἑκατέραν τῶν σιαγόνων εἶχεν ἐξηρτημένον κώδωνα χρυσοῦν, *& ad utramque maxillam habebant extans tintinnabulum ex auro.* Sicut autem hæc de tintinnabulis in

frænis

frænis certa sunt, sic incertum, an qvid faciant ad Pollucem, nam ipse loqvitur non de phaleris, nec frænis, sed φιμοῖς. Deinde φιμὰς appellat non κωδωνοφόρους, sed αὐλωδοὺς. Maximum verò, qvod hic obstat, illud est, qvod κώδωνες hic sonum edant non agitatione, sed hinnitu eqvi, eoq; fine appendantur. De κώδωσι vulgaribus sic ait Suidas: Κώδων, ἀπὸ τὸ ἐν τῷ κινεῖν ἄδειν. *Codon seu tintinnabulum est dictum, quod tinnitum sonumve edat, quando movetur.* At κώδωνες apud Pollucem edunt sonum tum demum, cum in eos hinnit eqvus. Qvare potius adducor, ut existimem has κώδωνας fuisse instar cymbalorum æreas patellas, intus cavas, sensimqve dilatato ambitu patentes, in qvas dilapsus eqvi hinnientis sonus, majori voce relabebatur. Hesychius: Κώδων, σάλπιγξ, ἦχεῖον, κύμβαλον, μύκων, κάλυξ. Ita hæc sunt distingvenda. Dicit κώδωνα, qvem alias nolam seu tintinnabulum exponunt, significare qvoq; tubam, vasculum æneum, voce repercussa sonum edens, cymbalum, mycona, & calycem. Qvibus verbis & per ea adductis rebus liqvet abunde, κώδωνα significare cavum aliqvod ex ære, qvod acceptum majore claritate reddebat sonum. Convenit Scholiastes Sophoclis in Ajace, qvando ait: Κώδων, τὸ τῆς σάλπιγγος πλατύ. *Codon est illud in extremitate tubæ patulum latumque.* Nam & hoc ejusdem plane specie est cum cæteris. Hujusmodo κώδωνας igitur seu patellas cymbalorum specie habebant aliqvando in φημοῖς, qvæ, qvia sonum reddebant repercussum eqvi voce, ideò rectissimè αὐλωδοὶ vocati sunt. Hesychius: Αὐλωδοὶ, φιμοὶ οἱ κημοὶ διὰ τὸ τοῖς κημοῖς κώδωνας προσῆφθαι, εἰς οὓς ἐμφυσῶντες οἱ ἵπποι φωνὴν σάλπιγγος προΐεντο. Sic editum est in vulgatis, sine sensu. Legendum absq; dubio ac distingvendum: Αὐλωδοὶ φιμοὶ ἢ κημοὶ, διὰ τὸ, &c. Sententia est: *Phimi aut cami tibiali, quia camis codones addebant, in quas inflantes equi vocem tubæ edebant.* Ostendit, sonum illum fuisse gravem tubæ instar, unde manifestum est, huc nihil pertinere tintinnabula, de qvibus ante dictum fuit. Maximè, cum & ipse asserat, non aliter edidisse sonum, qvam inflati ab eqvis, qvod qvo pacto factum sit, ostendit Pollux, qvando pro Hesychii ἐμφυσῶντες ἐγχρεμετίζοντες usurpavit. Cum Hesychio convenit & Eustathius, cujus verba de hac re leguntur in Il. Σ. Αἰσχύλος καὶ φιμὰς (malè in Basileensi Editione, qva utor, legitur

δημὺς) λέγ{ αὐλωδὺς, διὰ τὸ κώδωνας φησὶ προσῆθαι αὐλοῖς, οἱ ἐμφυσῶντες οἱ ἵπποι, ὡς φωνὴν σάλπιγγος προϊέντο. Γράφ{ δ' ἕτως: Ὃς εἶχε πόλυς τέτταρας ζυγηφόρυς, φιμοῖσιν αὐλωδοῖσιν ἐςομωμένας. Memorabile in his verbis Æschyli est testimonium. Nam ostendit, genus hoc φιμῶν pertinuisse ad eqvos, qvos & ipse πώλυς vocat, sicut supra Aristophanes, qvi hinc lucem accipit, nec ad eqvos singulares ita, ut ad eos, qvos adjungere ad vehicula solebant. Ob hanc causam enim πώλυς ζυγηφόρυς vocat, qvasi tu *jugales* aut *jugarias equas* diceres. Sed & illud ἐςομωμένας φιμοῖσιν declarare videtur, qvasi κώδωνας illos seu patellas habuerint religatas ad ora, fiscellarum instar. Qvæ fortassis causa est verissima, cur φιμοὶ αὐλωδοὶ sunt dicti. Non qvod φιμοὶ hic essent fræni, sicut hactenus intellexerunt apud Pollucem & alibi viri docti, verum qvod fiscellæ ad hunc modum formatæ, ut haberent instar patellæ cymbalive, aut tubæ. Qvam verissimam sententiam existimo, & propterea Pollucis locum integrè sic expono: *Appellantur verò & fiscellæ quædam tibiatæ, quia habent appensas codonas, id est, patellas, instar cymbalorum aut orificiorum patentium in tubis, quas cum equi hinnientes inflant, edunt sonum veluti tubarum.*

## Cap. XIV.

## De flagellis stimulisqve.

*Virga.* Ῥάβδος. Κέντρον. *Stimulus. Stimulum.* Βάκτρον. Βακτροβήρια. Μάστιγες. *Flagella. Duplex horum genus.* Καλάυροψ. *Grotius rejectus. Scholiastes Aroti correctus.* Ἰμάθλη. Φραγέλλιον. *Flagra, flagella, flagelli, scuticæ, flagræ. Hesychius correctus. Anguillæ. Monumenta bubula.* Βόπληγες. Ἄκονα. Ὕσπληξ. Ὑσρίχις. Ὑσρίξ. *Flagrum catenatum ossibus. Interpres Luciani notatus.* Ἀσραγαλωτὴ μάστιξ. *Plutarchi versio notata, & Athenæi, qui exponitur.* Μύωπος. *Pollux explicatur.* Ἐγκεντρίδες. *Scorpiones.* Βόνευρα. *Hesychius emendatur.* Κιστηρὶς. *Alia.*

DIximus de armis, qvibus continentur regunturq; eqvi, ea igitur nunc videamus, qvibus pelluntur & concitantur ad cursum. Horum primum simpliciſſimumq; *virga* est. Meminit Curtius lib. VII. cap. 4. in eqvis: *Nobilis equus umbra quoque virgæ regitur.* Earundem usus fuit etiam in jumentis cæteris, ut mulabus, de qvibus Juvenalis Sat. III.

*Sed*

*Sed jumenta vocant, & Sol inclinat, eundum est.*
*Nam mihi commota jam dudum mulio virga*
*Adnuit.* -- -- -- --

Sic habes in Notitia Imperii depictum mulionem cum virga juxta mulas in carpento Præfecti Prætorio, & Præfecti Urbis Romæ. Sed & ob hanc causſam facta constitutio Constantini l. 2. Cod. Theod. de Cursu publico: *Placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certè flagro.* Et fuit olim virgarum usus tam receptus, ut nonnulli populi his solis rexerint animalia qvoqve sua, non solum concitarint, atq; ita virgas habuerint loco frænorum. Lucanus lib. IV. de Massylis:

*Et gens quæ nudo residens Massylia dorso*
*Ora levi flectit frænorum nescia virga.*

Idem observatur de Mauris & Mazacibus. Nemesianus Cyneg.

*-- Quodque infrenes, quod liber uterque,*
*Nam flecti facilis, lasciva que colla secutus*
*Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ:*
*Verba sunt præcepta fugæ, sunt verba fræni.*

Meminit & Strabo lib. XVII. in Masæsylis: Μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥς δηλοῦσι ῥάβδοις οἰακίζεσθαι. *Parvis equis usi, celeribus tamen, adeòque facilè parentibus, ut virga regantur.* Ex hoc loco discimus, virgas istas appellasse ῥάβδους. Glossæ veteres: Ῥάβδος, *virga, vimen.* Sic Herodianus lib. VII. Καὶ ἵπποις ἄρισται, ὡς καὶ χαλινῶν ἄνευ, ῥάβδῳ μόνῃ τὸν δρόμον τῶν ἵππων κυβερνᾶν. De Numidis loqvitur. Verba sic exponit politissimus Politianus: *Equitandi peritissimi, sic, ut equos etiam infrenos virga tantum currentes moderentur.* Post virgas usurparunt κέντρα. Pollux lib. X. cap. 12. Τοῖς ἡνιόχοις κέντρων δεῖ. Vertunt: *Aurigis conveniunt stimuli.* Atq; sic habemus in Glossis, nisi qvod in neutro genere vocabulo utantur. Ita enim scribunt: Κέντρον, *stimulum.* Vulgata ratione legas in lexico Argentoratensi: *Stimulus,* κέντρον. Sed & altera apud Plautum in Menæchmis V. scen. 2.

*Iam adstiti in currum, jam lora teneo, jam stimulum in manu est,*
*Agite equi, facite tonitus ungularum, appareant.*

Qvibus verbis simul discimus, stimulis & eqvos consveviſſe conci-

tare. Neq; aliud de Græcorum κέντροις produnt. Suidas: Κέντρα, τὰ τῶν ἵππων πλήκτρα. Item paulò ante: τὰς ἡνιόχους κεντροδύτους καλοῦμεν, τὰς τοῖς κέντροις τὰς ἵππους πλήττουσας. Utroq; loco κέντρα dici ait, qvibus eqvi ſtimulantur. Eadem de cauſſa apud Homerum ſunt κεντρηνεκέες ἵπποι Il. E. & aliis locis. Heſychius exponit τοῖς κέντροις εἰκούσας καὶ πειθομένους, id eſt, *qui ſtimulis cedunt parentque*. In bubus hoc ſolenne fuit. Unde Græcis βύκεντρον, & βυκεντροέργια. Sic enim vocabant recentiores, non βυκεντροβέργιον, ut Meurſius putabat, à non βεργίον, ſed βεργία, pro βέργα, id eſt, virga, qvia fuit virga acuta. Tibullus:

*Et ſtimulo tardos increpuiſſe boves.*

Item Manilius:

-- *Stimulo junctis inſtat de more juvencis.*

Et Perottus: *Stimulus propriè inſtrumentum eſt, quo punguntur boves.* Fuit autem inſtrumentum hoc nil aliud, qvam pertica cum cuſpide acuta. De pertica manifeſtè docet Plautus in Aſinariæ Act. II. ſcen. 4. qvando Leonida ſervum verberaturus ait:

*Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit!* --

Et aliqvanto poſt ſubjungit:

*Tanquam, ſi claudus ſim, cum fuſti eſt ambulandum.*

Hic enim, qvod vocavit ante *ſtimulum*, *fuſtem* deinde exponit. De cuſpide in ea liqvet ipſo ex vocabulo, cum ſit à κίζω, id eſt, *pungo*, qvod ſine cuſpide non poteſt fieri. Videtur autem cuſpis illa fuiſſe vel ſimplex ipſius perticæ, vel ex ferro acuto, perticæ immiſſo. Hinc Victor Uticenſis lib. I. *ſtimulos ferreos* nominatim memorat, qvod non erat facturus, ſi ſic omnes fuiſſent armati. Verba ejus: *Quantis ſacerdotibus quantisque illuſtribus onera ingentia ut camelis vel aliis generibus jumentorum impoſuerint, neque enarrare, quos ſtimulis ferreis ad ambulandum urgebant.* Neq; alia de cauſſa Philoxenus: *Stimulum*, κέντρον σιδηροῦν. Et hujusmodi fuere ſtimuli, qvorum meminit Statius lib. VI. in certamine curuli:

*Nec jam ſufficiunt ſtimuli, non verbera.* --

Item Silius lib. XVI. in ſimili certamine:

*Pro ſtimulis dorſo quatiuntur inania lora.*

Expreſſit eos optimè Rubenus ex lapide antiqvo ad portam Nomenta-

mentanam lib. I. Elect. cap. 30. ubi effigies alicujus decurrentis in Circo cum qvadrigis. At Græcorum κέντρα paulò aliter exponunt, nempe μάστιγας, qvæ sunt *flagella*, ut mox dicam. Scholiastes vetus ad Homeri Il. E. Κενθρηνειάας, τὰς τοῖς κέντροις, ὅ ἐστι μάστιξι κεντρουμένους. Atq; ad hunc modum etiam Hesychius: Κέντρον, δόρυ, μάστιξ. Item Eustathius ad Il. Ψ. Κέντρον ὃ ᾧ σπέρχονται ἵπποι, καὶ ταῦτα ἡ μάστιξ, ἀφ' ᾧ τὸ κεντεῖν. *Centron verò, quo urgentur equi, idem atque mastix, sic à pungendo dictum.* Habent pro eodem μάστιγα & κέντρον. An, qvod μάστιξ interdum ipsis nudum significaret *flagrum*, id est, baculum, sive fustem? Certè, qvod apud Eutropium in Tarqvinio Superbo legitur, *fustes* excogitasse, id Suidas in voce Σύπερδα effert μάστιγας ξυλίνας. Qvasi duplex genus fuerit μαστιγῶν, unum ἱμάντινον, de qvo postea, & alterum ξύλινον, hocq; simplices denotarit fustes. Videturq; idem velle etiam Eustathius, cum ait in superiori loco: Ἰστέον ὃ καὶ ὅτι κυρίως κέντρον, τὸ σῖζον ἐστί, διὸ καὶ ταὐτὸν παρ' Ὁμήρῳ κέντρον καὶ μάστιξ. Ἐκ τοῦ σῖζειν γάρ φασι κεντεῖν ἡ μάστιξ. *Sciendum verò, quod propriè centron sit id, quod pungat, unde secundum Homerum centron & mastix idem est; Nam à stingvendo seu pungendo dicta mastix.* Μάστιξ sanè, sicut vulgo sumitur, non pungit, verum verberat. Suidas: Μάστιξ, δι' ἧς τὸν ἵππον πλήττομεν. *Mastix, qua equum verberamus.* Dicit, πλήττομεν, non κεντοῦμεν, aut σῖζομεν. Itaq; alia est μάστιξ Homeri, alia vulgaris. Illa κέντρον, id est, stimulus, seu baculus acuminatus, aut cuspide ferrea instructus: hæc cum loris. Pro stimulo Græcos etiam καλάυροπα usurpasse Grotius existimat in Arateis p. 4. Nempe tribuunt Booti. Scholia Arati, qvorum Auctor Theon Alexandrinus: Βοώτας, καλάβροπα φέρων, ὅ ἐστι ῥόπαλον. Ita editur, cum legendum sit καλάυροπα, ut rectè Grotius notavit. Jam verò Manilius de eodem loqvens, Aratumq; exponens:

*Quod stimulo junctis instat de more juvencis.*

Sed est usus libertate sua Manilius. Aliud enim stimulus, aliud καλάυροψ. Qvod vel unus docuerit Hesychius, qvando exponit ξύλον ᾧ τοὺς βόας βάλλουσι, hoc est, *lignum, quo boves verberant.* Verberari eo boves ait, non pungi, sicut fieri stimulis consvevit. Sed & reliqva figura ejus docet. Eustathius de ea ita habet Iliad. Ψ. Καλάυροψ ἡ βουκολικὴ ῥάβδος. Ἔστι δὲ ξύλον κυρτὸν τὸ ἕτερον μέρος ῥοπὴν ἔχον, ὅ ἐστι καμπὴν.

*Calaurops est bubulcorum baculus, est autem fustis ab alterutra parte habens rhopen, id est, curvitatem.* Ostendit, fuisse incurvum. Neq; aliter exhibetur in Arati imaginibus antiqvis à Grotio publicatis, cum in Arctophylacis imagine, p. 13. tum in Engonasin, p. 5. At stimuli fuerunt recti, sicut ex qvadrigis Rubenianis intelligitur. Sed de bubulcorum baculo dicemus pluribus, & ex professo in nostro *de Opilione* Commentario. De stimulis hoc annotamus, qvod interdum cuspides habuisse videantur satis firmas, sic, ut servire hastæ loco possent. Ita enim legimus de Sagmare filio Anath, Judicum III. *Ipse Israëlitas defendit, cæsis baculo, quo boves stimulantur, sexcentis Palæstinis.* Ita habet Castalio. Sed & Junius Tremellius-qve: *Percussit Peleschthæos sexcentos viros stimulo bovis.* Lutherus qvoqve: **Mit einem Ochsenstecken**/ id est, *baculo boum*, qvo haud dubie stimulum intellexit. Græci habent: Ἐν τῷ ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. Qvod servavit vulgatus, reddiditqve: *Percussit de Philistiim sexcentos viros vomere.* Sed alterum convenientius videtur. Sicut autem μάστιγες habuere, qvæ fuerunt stimuli, sic qvoqve, qvæ fuere flagra seu flagella, non ex baculo nudo, sed alligato illi loro. Dōcet Eustathius, qvando ait ad Il. Ψ. Ἱμάσθλην, ἤγουν μάστιγα, ὅπερ ἐκ μέρους τὸ πᾶν δηλοῖ; Ἤτοι ἐκ μόνου τοῦ ἱμάντος καὶ τοῦ ξύλου συγκειμένην μάστιγα. *Himasthlen, aut mastiga, ex parte totum indicans, vel ex loro solo compositam ex ipso simul atque baculo mastiga.* Habes manifestè μάστιγα ex baculo & adjuncto illi loro. Et qvoniam ex loro, inde qvoqve ἱμάσθλη dicta est. Hesychius: Ἱμάσθλη, μάστιξ, ἀπὸ τοῦ ἱμάσσειν ὅ ἐστι τύπτειν τῷ ἱμάντι. *Himasthle, mastix, ab himassein, quod est verberare loro.* Fiebat tamen etiam è lino aut junco, plexo more funis. Etymologicum: Φραγγελῶ, ἐκ τοῦ φραγγέλειον, ὃ σημαίνει σειρὰν ἐκ σχοίνου πεπλεγμένην, ἣ κέκληται μάστιξ. *Phrangelo, ex phrangeleio, quod significat funiculum ex junco plexum, qui vocatur mastix.* Observa, qvod ejusmodi mastiga vocaverint φραγγέλειον. Johannis II. de CHRISTO Salvatore: Καὶ ποιήσας φραγγέλλειον ἐκ σχοινίων. Qvod vulgatus reddit: *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis.* Qvanqvam cum hic nominatim addat ἐκ σχοινίων, *de funiculis*, videantur habuisse etiam de non funiculis, id est, ut ego explico, de loris. Scholiastes Aristophanis in Acharm. pag. 406.

Ἱμάντας

Ἱμάντας ἢ, λώρους, φραγγέλια. Τὸ γὰρ παλαιὸν φραγγέλαις ἔτυπτον οἱ λογισταὶ τὰς τῆς ἀγορᾶς. *Coria, lora, phrangelia. Apud veteres enim phrangeliis cædebant Præfecti eos, qui in foro.* Locus observatione dignus, qvi ostendit, fecisse CHRISTUM ex more ἀγορανόμων sive λογιστῶν, qvod adhibuerit φραγγέλλιον, seu, ut Scholiastes scribit, φραγγέλιον, in reformando foro rerum venalium. Latinis instrumenta hæc sunt *flagra*, seu *flagella*. Glossæ: Μάστιξ, *flagellum*. Glossæ aliæ: *Flagellum*, μάστιξ. Atq; ita vulgo. At apud Philoxenum sunt *flagelli*, non *flagella*. Verba ejus: *Flagelli*, μάστιγες. Porro, qvoniam ex loris erant coriaceis, hinc in iisdem Glossis antiqvis titulo περὶ δερμάτων, id est, *de pellibus*, memorantur. Sed & *scuticarum* inde habebant vocabulum, si vulgo credimus. Scuticam enim exponunt flagellum ex pelle, sive loris. Martialis profectò lib. X.

*Scuticaque loris horridis Scythæ pellis.*

Et est scutica à Græco σκυτάλη, qvæ Suidæ βακτηρία ἀκροπαγὴς ἢ φραγγέλιον, id est, illud ipsum, qvod supra μάστιγα nominabamus, seu flagellum. Distingvit tamen Horatius scuticam flagellumqve, illamq; facit minus gravem aut molestam, qvando ait Sat. I. scen. 3.

-- -- -- -- *Assit*
*Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:*
*Ne scutica dignum, horribili sectare flagello.*

Qvæ sit utriusq; differentia, haud liqvet. Puto tamen hic intelligi flagellum non simplex, sed plane *horribile*, id est, non ex loris tantum, sed & rebus aliis compositum, de qvibus postea dicemus. Vulgo enim eadem fuisse flagella scuticasq; censeo. Flagella sanè per diminutionem sunt à flagris. At flagra scuticæq; velut res eædem leguntur in Glossis: *Flagra, scutica*, σκύτη, σκύτος. Ubi nota, *flagram* fœminino genere usurpari. Deinde habemus expressè σκυτάλας ab Hesychio φλαγέλλια expositas, qvæ non dubitare possumus, qvin sint *flagella*, Græcis recentioribus, qvippe qvi eadem ratione φλαγελλᾶν usurparunt pro Latino *flagellare*. Itaq; flagella sunt, qvæ alias & scuticæ. Verba Hesychii sunt illa: Σκυτάλαι· βακτηρίαι οἱ αἱ ἱππικαὶ ἱλαι καὶ ὄφεων εἶδοι φλαγέλλια. Ita habet meus Hagenoæ editus. Sed scribendum βακτηρίαι ἢ αἱ, vel, ut habet Phavorinus, sine dubio ex Hesychio,

βακτηρίαι

βακτηρίας καὶ αὖ. *Scytalæ, fuſtes, vel turmæ equeſtres, vel flagella ex ſerpentibus.* Per ἴλας ἱππικὰς, ſeu turmas equeſtres, intelligit certum ſchema earum, forma ſcutulæ. Scutula idem eſt ac rhombus. Fragmentum incerti auctoris Cenſorino ſolitum adjungi cap. 7. *Scutula, id eſt, rhombos, quod latera paria habeat, nec angulos rectos.* Hinc ergo σκυτάλας illæ acies equeſtres, qvæ aliis ῥομβοειδεῖς. At φλαγέλλια ὄφεων exiſtimo hic eſſe, qvalia Furiis tribuuntur. Pacatus noſter cap. 42. *Minax umbra ob os ejus oculosque fumantes infernis ignibus tædas, & crepitantia torto angve flagra quatiebas.* Ficta verò hæc ex angvibus videntur, cum propter cauſſas alias, tum qvia uſitatum qvondam fuit ſcuticas ejusmodi ſeu flagella facere ex coriis angvillarum, in qvarum locum non ineptè Furiæ ſerpentes adhibebant. Gloſſæ Iſidori: *Angvilla eſt, qua coërcentur in ſcholis pueri, quæ vulgo ſcutica.* Nota, ſcuticas hujusmodi *angvillas* appellatas, ſine dubio, qvod ex pelle angvillarum fierent. Vulgares erant ex corio bubulo. Hinc Plautus in Moſtell. Act. IV. ſcen. 1.

*Caſtigabit eos bubulis exuviis.*

In Sticho Act. I. ſcen. 1. nominavit *monumenta bubula*, qvoniam commonefaciunt ignavos aut delinqventes. Græci hac de cauſſa βυπλήγας vocarunt. Phavorinus: Βυπλῆξ, βάκτρον, ἢ μάστιξ, γινομένη ἀπὸ τμήματος βύρσης. *Buplex, ſtimulus, aut flagellum factum ex corii ſegmine.* Loqvitur de corio bubulo in lora ſecto, indeqve factum flagellum oſtendit, qvod eſt μάστιξ alias, ut ſuperius oſtendi. Heſychius: Βυπλῆξ, μάστιξ. Vulgo βυπλῆξ, βάκτρον, id eſt, ſtimulus, qvo urgentur boves. Gloſſæ veteres: Βάκτρον, *ſtimulus.* Etymologici auctor: Ἄκαινα ἔστι ῥάβδος, τὸ καλούμενον βάκτρον. Oſtendit, baculum fuiſſe ita nominatum, ſicut ſupra docebamus, eumqve alias & ἄκαιναν vocari ſolitum. De qvo & Heſychius: Ἄκενα μέτρον τι, ἢ κέντρον ἐν ᾧ ἀροτριῶντες κεντοῦσι. *Acena, menſura, vel ſtimulus, quo arantes pungunt.* Sed præter baculum ejusmodi, ſtimulandis bubus factum, βυπλῆξ ſignificat & flagellum, ex corio bovino in lora ſecto, qvo verberabant. Aliqvando hæc flagella etiam ex pilis leguntur habuiſſe, præſertim ſuum vel porcorum, unde qvoq; ὑσπλήγας vocabant. Auctor Etymologici Magni: Ὑσπλῆξ, φραγέλιον, ἀφελπρία. βάκτρον. Λέγεται παρὰ τὸ ἀπὸ τῶν τριχῶν τῶν

τῶν ὑῶν, τυλέσι τῶν χοίρων γινεῶς πλὴ μάστιγα. *Hyssplex, flagellum, carceres, lorum, ita dicitur, quod sit flagellum ex crinibus suum, seu porcorum.* Hesychio est ὑστριχὶς. Verba ejus ista sunt: Ὑστριχὶς, μάστιξ πεπλεγμένη ἐξ ὑείων τριχῶν. *Hystrichis, flagellum, plexum ex crinibus suum.* Et sic Scholiastes vetus Aristophanis in Pace: Ὑστριχὶς, ἡ ἐξ ὑείων τριχῶν μάστιξ. *Hystrichis flagellum ex crinibus suillis.* Observa, qvod Hesychius exponat πεπλεγμένην, hoc est, *plexam* ex ejusmodi crinibus. Nam habebant alias ex corio, cui crines adhuc adhærebant. Qvod genus Aristophani est ὕστριξ, si est fides Suidæ. Ita enim ipse ait: Ὕστριξ, ὁκ δέρμα ἐφ' ᾧ μετ' αὐτῶν τῶν τριχῶν μάστιξ. *Hystrix est flagellum ex corio cum ipsis adhuc pilis.* Dubitant viri eruditi, qvale corium oporteat intelligi, suisne, an hystricis, qvod est Lybiæ animal. Mihi de hystrice nil credibile videtur, cum qvia fera est, & peregrina, & captu minimè facilis, tum qvia non tam τριχὰς habet sive crines, qvam κέντρα, id est, aculeos. Unde forsitan & auctor Etymologici: Ὕστριξ, ὕστριχος, ἡ ἐκ τῶν τριχῶν τῶν ὑῶν μάστιξ. *Hystrix, flagellum ex pilis suum.* Facit clarè non ex hystricis aculeis, sed pilis suum histricem, qvos fuisse in ipso corio relictos ex Suida intelligimus. Putamus autem factum hoc partim eo, qvo sic essent durabiliora flagella, partim eo, qvod acrius urerent, & stimularent. Habent enim pili tales setæq; aculeorum instar. Qvo fine aliqvando flagellis addere consveverant & ossa. Apulejus lib. VIII. Asin. *Arrepto deinde flagro, quod semiviris illis gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixè fimbriatum, & multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multimodis commulcant ictibus.* Et paulò post: *Cunctis stramentis me renudatum ac de quadam quercu destinatum flagro illo pecuinis ossibus catenato verberant.* Ubi *catenatum ossibus* appellat, qvia habebat talos illos longa serie catenæ instar innexos loris, vice freqventium nodorum. Lucianus, unde ista sumsit Apulejus, ita habet: Καὶ τὰς ῥώμαλά με πάντα περισπάσαντες, γυμνὸν ἤδη προσδέουσί με δένδρῳ μεγάλῳ, εἶτα ἐκείνῃ τῇ ἐκ τῶν ἀγραγάλων μάστιγι παίουσι. Qvod interpres non intelligens ita reddidit: *Fuste ex nervis facto me ad necem verberant.* Qvasi ἐκ τῶν ἀγραγάλων μάστιξ, fustis esset ex nervis. Μάστιξ non est fustis, sed flagellum, ἀγράγαλα verò non nervi, verum tali. Crates apud Pollucem istiusmodi

flagellum appellavit μάστιγα ἀστραγαλωτὴν. Verba Pollucis lib. X. cap. 12. Παρὰ δὲ Κρατίνῳ ἐν ταῖς Ἑορταῖς καὶ ἀστραγαλωτή τις μάστιξ ὀνόμασται. Etiam in his Gvaltherus lapsus est: Vertit enim: *Apud Cratetem verò in Festis Flagellum nodosum nominatur*: Cum debuisset, *flagellum talis catenatum* sive *tessellatum*, Apuleji exemplo. Meminit & Eustathius ἀστραγαλωτῶν μαστίγων ad Iliad. Ψ. item Plutarchus adversus Colotem circa finem, ubi ait: Οὐδὲ μάστιγι δεδόμεν ἐλευθέρας δεόμενον, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ἣ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς Μητρῴοις κολάζουσι. Qvæ verba sic interpres reddidit: *Et ne liberali quidem dignus flagello, sed nodoso illo, quo Gallos in Magnæ Matris sacris delinquentes puniunt*: Cum rectius vocasset *flagellum talis armatum*, vel, ut Apulejus dixit, *catenatum*, cujus locum eleganter hic illustrat, ostenditqve hoc solenne Gallorum, sive Sacerdotum Cybeles, Matrisve Deorum, fuisse supplicium per hujus generis flagella. Unde Apulejus qvoq; *flagrum, quod semiviris illis gestamen est*, appellavit. Usurparunt & Parthi, de qvorum Rege Posidonius lib. XXIII. tradit, qvod amicos, ad cœnam ad se vocatos, eo consveverit castigare. Verba extant apud Athenæum lib. IV. cap. 13. Ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλώτοις μαστιγοῦται. Qvod interpres ita vertit: *Virgis lorisque nodosis, quia innexi tali sint, verberatur*. Mallem ego: *Virgis, in quibus lora cum implexis talis*. Nam ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσι posuit, non res diversas, verum unam intelligens, flagellum scilicet, ex virga sive baculo & loris istiusmodi concinnato, pro ῥάβδοις ἱμαντίναις. Non autem ossibus solummodò, sed & brevibus aculeis ista flagellorum lora veteres armabant. Meminit Constantinus Imperator l. 2. Cod. Theod. de Cursu Publ. *Quoniam plerique*, inqvit, *nodosis & validissimis fustibus inter ipsa currendi primordia animalia publica cogunt, quicquid virium habent, absumere, placet, ut omnino nullus in agitando fuste utatur, sed aut virga, aut certe flagro, cujus in capite infixus brevis aculeus pigrescentes artus innocuo titillo poterit admonere*. Non existimo sermonem esse hic de stimulo, sed vero flagro, id est, baculo cum loris, qvalis alias flagellum. Hinc enim Philoxenus: *Flagrum*, σκύτος. Sed nec hodie cessavit penitus istiusmodi flagrorum sive flagellorum usus. In extremo lori capite addunt ferrum stimulis minutis

asperatum

aſperatum inſtar ferri in calcaribus. Suſpicorq; plane ex hac cauſſa μύωπας retuliſſe inter inſtrumenta aurigarum Pollucem lib. X. c. 12. Τοῖς ἡνιόχοις, ait, κέντρον, μάστιγων, μυώπων, ἐγκεντρίδων. Nam μύωπες ſeu calcaria alia, qvalia calcibus pedum alligari ſolent, qvo pacto ſpectare ad aurigas potuerint, non diſpicio, qvippe qvi non eqvis, ſed vehiculis inſidere ſolerent. Nec fortaſſis aliorſum ſpectant ἐγκεντρίδες. Item enim alias eſt ἐγκεντρὶς & μύωψ. Certè velut ſingulare ac diverſum notat in eqveſtribus inſtrumentis ἐγκεντρίδας τοῖς ποσὶ καὶ τὰς πτέρνας οἱ ἱππεύοντες περιεδοῦντο, id eſt, calcaria, qvæ calcaneis pedum eqvitantes alligant, qvod neceſſe fuiſſe non videtur, ſi id ipſum inſtrumentum uſu ſimili paucis verſibus ante prodidiſſet. Sed nec κέντρον ſimplex innuere videtur, cui alias ſine dubio ſubjeciſſet ſtatim, nec inſeruiſſet μάστιγας. Poſtremo etiam Grotius ſic exponit *ſcorpiones*, qvi leguntur III. Reg. cap. 12. ubi vetus Interpres: *Ego cædam vos ſcorpionibus. Scorpionibus*, inqvit, *id eſt, flagellis aculeatis ad modum ſcorpionum.* Solebant autem flagella modò unam teniam, funiculum, vel lorum, modò duo plurave habere. De uno res vulgata eſt. Et agnoſcit ſupra Euſtathius μάστιγα ἐκ ἱμάντων καὶ ξύλου, qvod niſi de uno loro accipi non poteſt. Sed & in antiqvis monumentis ita cernas atq; nummis. De pluribus colligimus ex monumentis aliis. Neq; aliam ob cauſſam Johannes de flagello CHRISTI Salvatoris, loco ſuperius nominato: Φραγγέλλιον ἐκ σχοινίων, hoc eſt, flagellum non ex uno, verum pluribus funiculis. Non eſt, ut hic funes cogitemus plexos; ſinguli pro ſe alligabantur. Unde Martialis etiam de ſcutica, lib. X. ep. 61. *Scuticæque loris horridis ſcytæ pellis.*

Vocat *lora horrida* unius ſcuticæ in plurali, & qvidem *horrida* opinor, qvod eſſent pilis adhuc obſita & aſpera, ſicut ſupra demonſtravimus fuiſſe uſitatum. Qvomodo & Apulejus *flagrum contortis tæniis LANOSAE velleris fimbriatum* dixit, & tænias plures de flagro uno uſurpavit. Sed en tibi flagella ex marmoribus veteribus ludorum Circenſium expreſſa.



Primum flagellum est ex sepulchro marmoreo, in ædibus Columnensibus ab Onuphrio in figura L propositum. Secundum extat apud eundem in figura G. Tertium est ex tabula Fulginiensi, ibidem p.11.publicata. Equibus discas porro, non eodem modo istas tænias coriaceas seu lora consveviſse ad bacillos firmare; Alii namqve ea circumligabant capiti, ut ex imagine secunda cernitur, alii inserebant veluti in summo. Et hæc qvidem sunt flagella veterum. Ad qvæ ignoro, an referre debeam & βύνευρα. Meursius qvidem ita habet in Glossario: Βύνευρον, *flagellum è nervis bubulis*. Sed revera fuit non è nervis bubulis, verum ipse nervus bubulus, sicut vox ostendit. Nervus autem bubulus, bovis genitale, qvomodo & alias hoc sensu nervus invenitur. Latini *taurcam* appellarunt. Qvomodo Juvenalis Sat. VI.

-- -- -- *Taurea punit*
*Continuo flexi crimen, facinusque capilli.*

*Taurea* hic nervus bubulus, Græcis recentioribus βύνευρον. Atq; ideò in Onomastico veteri Petri Danielis apud Turnebum habes: *Taureæ, plagæ, nervi.* Adde, qvæ notavimus ad Mauritium nostrum pag.524. Qvanqvam aliqvando taureæ non tam ex pene bubulo qvam corio fuisse videantur, & sic rectè referri posse inter flagella. Qvomodo ex hac caussa legimus in Lexico Argentoratensi: *Taurea*, ῥινὸς. Et apud Hesychium est, μάραινα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρία, cum scribendum sit, qvod pridem viri docti monuerunt, μάραγνα, item ταυρεία. Seqviturq; mox, μάραγνα, γῆ ταυρεία. Ubi illud γῆ ineptum delendum est, locusq; sic scribendus: Μαράγνα, τῇ ταυρείᾳ. Verba sunt desumpta

desumpta ex veteri Magistro, qvi hanc expositionem annotaverat ad locum alicujus Poëtæ, apud qvem hoc casu ea vox occurrebat. Cæterum, uterqve locus Hesychii ταυρείαν exponit μάραγναν, μάραγνα verò μάστιξ. Pollux lib. X. cap. 13. Ὁ μέν τοι Πλάτων ὁ κωμικὸς ἐν Κλεοφῶντι, μάραγναν τὴν μάστιγα ὠνόμασεν. *Plato comicus in Cleophonte flagellum maragnan appellavit.* Sic igitur & ταυρεία sive taurea flagellum erit. Verum *taurea* nonnunqvam qvoq; *nervus*, qvod est plane βόνευρον. Hesychio est κιστηρὶς. Sic enim habet: Κιστηρὶς, βόνευρον. Qvod vocabulum videtur ei inditum ab κιστῶ, cujus meminit Etymologici auctor, deducitq; à κίειν, velut ea pars, in qva sedes desideriorum atqve voluptatis. Sed ad alia procedendum.

## Cap. XV.

## De axungia & similibus.

*Axungia. Vnguen.* Λίπος. Στέαρ. *Lexicon Argentoratense corrigitur.* Ὀξύγιον. *Arbina. Hesychii lectio defensa contra Salmasium & Meursium, & explicata.* Ἀξόγιον. Ἀξόγκιον. *Moschopulus emendatur. Amurca. Sufflamen. A Salmasio dissentitur.* Ἀγκύριον τροχῶν. Ἐπιχλεῦς, τροχοπέδη. *Succula. Comenius rejicitur.*

ARma memoravimus, qvæ ad eqvos spectant; restant illa, qvæ ad vehicula. Nam cum etiam in illis culpa qvædam possit residere, qvo minus commodè facileve duci qveant, ei occurrendum erit. Culpa ejus maximum in rotis est axeqve: Nisi enim volubilitas earum ratione aliqva juvatur, ægrè solent circumagi, præcipuè, si vehiculum onere aliqvo sit grave. Hac de causa pridem cœptum, ut ungantur axes pingvi medicamine, qvod *axungiam* Latini nominarunt. Rectè namq; Vossius in Etymol. *Axungia ita dicta, quod ea curruum axes ungantur, ut facilius circa eas volvantur rotæ, brevique tempore majus conficiant spacium.* Et confirmat Plinius lib. XXVIII. cap. 9. *Axungia antiqui maximè axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur, unde nomen.* Palladius simpliciter appellat *ungven*, lib. I. t. 17. *Tantundem sumes ungvinis, quod vocamus axungiam.* Græcis λίπος est. Tzetzes ad Hesiodum: πλῆναι εἰσὶ τὰ ξύλα, τὰ πρὸς ἄξονι ἀντερείδοντα, εἰς ἃ πολλάκις καὶ λίπος ἐμβάλλουσιν οἱ γεωργοὶ, ὅπως τὰ ταχέως διατρέχειν τὴν ἅπασαν ἅμαξαν.

ἅμαξαν. *Modioli sunt ligna, axi respondentia, in quæ sæpius axungiam immittunt agricolæ, ut celerius currere vehiculum totum queat.* Ita Philoxenus: *Axungia*, λίπος ἐν ᾧ τοὺς ἄξονας χρίουσιν. In antiqvo Lexico Argentoratensi στέαρ redditur. Verba ejus hæc sunt: *Axungia*, στέαρ, ὔον. Nempe στέαρ & λίπος idem. Hesychius: Στέαρ, λίπος, ζύμη. Sed qvid illud ὔον? Mihi non est dubium, qvin distinctione sublata legendum sit στέαρ ὔειον. Vult nimirum axungiam fuisse ex adipe suillo, qvod στέαρ ὔειον significat. At Plinius axungiam & Græcos ait nominasse. Ita namq; habet loco supra indicato: *Axungiam etiam Græci appellare eum in voluminibus suis.* Verum hoc de Græcis ejus ævi est intelligendum, cum axungia sit vox Latina, sicut ipse fatetur. Sanè ὀξύγιον occurrit apud Dioscoridem lib. III. cap. 104. qvi aut ejus tempore, aut paulò ante vixit. Sed & alii deinde ita usurparunt. Inde habes in Glossario veteri: Ὀξύγιον, *arbina, ungven, ungvina.* Ubi *ungven* usurpatum vides eo modo, sicut apud Palladium. *Arbina* est *arvina*. Lexicon Argentoratense: *Arvina*, λίπος. Glossæ aliæ: *Arvina*, λίπος ἄνευ σαρκὸς. Meminit & Hesychius: Ἀρβίννη, κρέας σεκελοὶ. Mutant hoc in loco Scaliger & Meursius vocem κρέας in στέας, citra caussam, ut opinor. Scilicet ἀρβίννη vel ἀρβίνη Græcum & Latinum *arvina* est ab Æolico ἄρϝιξ, pro qvo Latini fecere *arvix*, & postea *arvinus*. Est autem *arvix* idem, & qvod alias vocatur *aries*, sicut pluribus ostendit Vossius in Etymologico. Ergo *arvinus, a, um*, significabit id, qvod est ex ariete. Hoc autem non ad adipem ipsius pertinebit magis, qvam ad carnem. Ut mihi dubium non sit, Hesychium per ἀρβίννην docere voluisse, Siculos intellexisse κρέας, id est, *carnem*, eamq; arietinam. Qvanqvam alias significarit qvoq; ejus adipem, ut ex superioribus cognovimus. Qvo etiam videtur respexisse Hesychius, &, cum alias ἀρβίνη esset λίπος ἄνευ σαρκὸς, ut supra indicabant Glossæ Philoxeni, docere voluisse Siculis significare qvoq; κρέας. Id qvod eo mihi probabilius apparet, qvia στέαρ nimis longè abit à κρέας, cujus tamen sensus non est alienus ab hoc loco. Pro ὀξύγιον dixerunt etiam ἀξόγιον propiore sono. Ita enim reperitur apud Phæmonem, & Alexium Comnenum, sicut Meursius notavit. Sed & est ἀξόγκιον apud Moschopulum, cujus

hæc

hæc sint verba: λίπος τὸ ἐν σαρκὶ, ἀξύγιον. Ita habent editi. Sed distinctio delenda est, cum ἀξύγιον ad præcedens τὸ referatur. Hoc vult, λίπος significare adipem carni junctam. Ut sit qvædam differentia inter ipsum & ἀξύγιον. Hoc significare λίπος ἄνευ σαρκὸς, ut Philoxenus dicebat supra, id est, adipem absqve carne, separatam scilicet: Illud verò ἀξύγιον ἐν σαρκὶ, id est, adipem cum carne. Cæterum, cum axungia Græcis λῖπος sit, ut Tzetzes docet, illud verò adipem significet qvemcunqve, inde colligas, hunc adhiberi solitum in istos usus. Maximè verò laudabatur suillus. Plinius profectò lib. XXVIII. cap. 10. verba superius adducta de axungia retulit ad adipem suillum. Antecedit enim ante omnia: *Proximum in communibus adipis laus est, sed maximè suilli.* Seqvuntur postea varii ejus usus. Postremo additur: *Antiqui maximè axibus vehiculorum perungendis utebantur.* Unde illud manifestè discimus. Neq; alia est caussa, cur in Lexico veteri axungia exponatur σέαρ ὕειον, ut superius ostendi. Respexisse qvoqve Martialis huc videtur, qvando ait lib. II. ep. 78.

*Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra*
*Vtilis ungendis axibus esse potes.*

Scilicet adipe unguntur axes, qvi est pingvis. Pingve porro, qvicqvid sordidum, crassum, stupidum. Nonius: *Pingve positum pro impedito & inepto.* Subdit testimonium Ciceronis ex lib. IV. Academ. ubi ait: *Quod ipsi Antiocho pingve videtur & sibi ipsi contrarium.* Et sic Flaccus I. Sat. 3.

*Tardo cognomen pingvis damus.* -- --

Accedit, qvod ad axes usurpetur adeps suillus, suem autem indicare hominem impurum atq; lutulentum vulgo constat. Apud Romanos loco adipis adhibebant aliqvando amurcam. Cato de R. R. cap. 97. *Amurca decocta axem ungito, & lora, & calciamenta, & coria, omnia meliora facies.* Plinius lib. XV. cap. 8. tradit eadem, ex eopse Catone. Idem, qvomodo decocta fiat, ostendit lib. XXIII. cap. 3. *Multo,* inqvit, *omnis amurca decocta efficacior. Coquitur in cupreo vase ad crassitudinem mellis.* Est autem amurca sordidum illud, qvod emergit in oleo. Servius ad Virgilii Georg. I. verbis, *nigra perfundere*

*fundere amurca: Olei*, inqvit, *sordibus, sed his, quæ præcedunt. Nam sordes, quæ sequuntur oleum, fæces vocantur.* His ergo sordibus decoctis svadet Cato axes ungendos. Qvanqvam vix existimem, fuisse hoc vulgare. Varro enim lib. I. cap. 49. de amurca: *Ex olea fructus duplex, oleum, quod omnibus notum, & amurca, cujus utilitatem quod ignorant plerique, licet videre è torculis olearijs fluere in agros, ac non solum denigrare terram, sed multitudine facere sterilem.* Si utilitatem amurcæ pleriq; ignorarunt, & ut rem rejiculam passi sunt defluere, vix ad axes adhibuerunt. Deinde nec hoc scio satis, an axungiæ loco commendarit Cato. Potius putavit roborari, sicut reliqvam supellectilem ligneam, si bibissent altius oleosam hanc amurcam. Videturq; hoc ostendere, qvod habet in superioribus, *omnia meliora facies.* Coria profectò, lora, calciamenta meliora, durabiliora & validiora ibi intelliguntur. Qvod proinde pertinuerit & ad axes. Manet ergo axungia veterum ex adipe suillo. Sed an solo, num aucto rebus aliis? Hodie certè picem nauticam alibi, alibi resinam cum cæra una decoqvere cum eo consveverunt. Sed hoc veteribus qvoq; fuisse receptum, vix opinor. Plinius profectò lib. XXVIII. c. 9. cum axungiæ, qvam memorat ex adipe suillo, medicinas memorat, nil in ea notabile refert præter ramenta ferri ex axe. *Sic quoque*, ait, *utili medicina, cum illa ferrugine rotarum.* Præter ferruginem rotarum, id est, ramenta ex attritu ferramentorum in modiolo & axe, indeqve nigras sordes, nil in axungia vulgari memorabile recenset. Atq; istoc qvidem est, qvo vehiculorum cursum adjuvabant. Qvoniam verò aliqvando sisti debuit, eo qvoq; fine habebant instrumentum. Id vocare *sufflamen* Latini solebant. Juvenal. Sat. VIII.

*Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul.*

Et qvi ejusmodi impedimentum rotæ injiciebat, *sufflaminare illam* dicebatur. Seneca in extremo Apocolocynt. *Aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.* Docet uterq; *sufflamen* & *sufflaminare* spectasse ad rotas, easqve adstringendas, & impediendas à circumactione. Ut mirari satis neqveam Salmasium, qvi in epist. de Cruce p. 414. accepit de furca temonis potius, cum hæc tamen nihil pertinuerit

timuerit ad rotas. Cæterum, sufflaminare rotas solebant plerumqve, cum ex editiore loco descendendum esset ad depressiorem. Tum enim metus erat, ne rota nimio cursu circumacta vel in jumenta faceret impetum, vel vehiculum ipsum subverteret. Hinc jocus Augusti in Haterium, cujus meminit Seneca Proœm. IV. Contr. *Tanta erat Haterio velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque divus Augustus optimè dixit: Haterius noster sufflaminandus est, adeò non currere, sed decurrere videbatur.* Bene *non currere*, qvia fit in plano, & cum justo temperamento, *sed decurrere*, qvia fit ex superiori loco ad inferiora, & propterea cum immodica præcipitatione, ob qvam sufflamen adhibendum. Meminit ejusdem dicti D. Hieronymus Epistola ad Pammachium: *Q. Haterius ingenium in numerato habebat, ut sine monitore tacere non posset, de quo egregiè Cæsar Augustus: Quintus, inquit, noster sufflaminandus est.* Rotæ scilicet instar, qvæ decurrens sine sufflamine stare non potest. Græcis est ἀγκύριον ἁμάξης vel τροχῶν. Philoxenus: *Subflamen*, τροχῶν ἀγκύριον, βοήθεια, κώφισμα ἁμάξης. Solebat autem fieri ex ferro. Sic nos docet Scholiastes vetus ad prædictum Juvenalis locum. *Sufflamen*, ait, *vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, & animalia vexent.* Lubinus ad eundem locum catenam putavit fuisse. Ita namq; ait: *Rotam sufflamine stringere, est catenam rotæ injicere, ne currus è declivi monte descendens in præceps feratur.* Et huc facere videtur, qvod appellat *vinculum* Scholiastes. Qvanqvam mea sententia fuerit non catena simplex, sed uncata, sive talis, qvæ in capite haberet uncum ferreum, qvi injectus radio rotam non sinebat circuire. Id qvod colligo ex Philoxeni interpretatione, cum ἀγκύριον significet qvid curvum & uncatum. Contra Vossius existimat fuisse lignum. Sic enim habet in Etymol. *Dicitur sufflamen de ligno, quo currus in declivibus locis nimio impetu ruentes cohibentur.* Nempe aliqvando lignum qvoqve sive fustem inter radios rotarum immittebant, ut earum sisterent circumactionem. Ita discimus ex Eustathio Odyss. Ψ. ubi ait: Φασὶ δὲ ἐποχλέα τὸ διαβαλλόμενον ξύλον διὰ τῶν τροχῶν, ὅτε καλάνδεις τόπους ἔρχοιτο, ἢ κωλίων αὐλὸς ἐπέρχειν καὶ πρανεῖς, ὅπῃ βλάβῃ τὰ ζύγια. *Vocant autem epo-*

*chlea lignum, quod per rotas trajicitur, cum ad decliva loca ventum est, vetans eas decurrere per præcipitia cum detrimento jugalium.* Observandum est à Græcis lignum illud dictum ἐποχλέα. Athenæus lib. III. cap. 21. Οἶδα ὃ καὶ Ἡρώδην τὸν Ἀττικὸν ῥήτορα ὀνομάζοντα τροχοπέδην τὸ διαβαλλόμενον ξύλον διὰ τῶν τροχῶν, ὅτε καλαύλειες τόπους ὀχούμενος ἐπορεύετο, καὶ τοι Σιμαριστὲ ἐν τοῖς συνωνύμοις ἐποχλέα τὸ ξύλον τοῦτο ἐπονομάσαντα. *Herodem Atticum Rhetorem ego quidem scio trochopeden appellasse lignum, quod per rotas trajicitur, cum per loca declivia curru vectus iter facit, quamvis Simaristus in Synonymis lignum hoc epochlea nominarit.* Vides plane lignum fuisse instrumentum hoc, dictumq; Græcis ἐποχλέα. Fuisse verò singulare, qvod Herodes Atticus id nominarit τροχοπέδην, qvasi qvod rotas impediat. Neq; enim ante ipsum qvisqvam ita nuncupavit. Qvod autem apud Philoxenum sufflamen, explicatur etiam βοήθεια, item κύφισμα ἀμάξις, id fit sine ratione. Κύφισμα enim est, qvod levat. Glossæ: Κύφισμα, *levamen.* At sufflamen non levabat, potius impediebat. Et qvid? si dicamus aliud qvid habuisse Philoxenum in animo, cum ista scriberet. Nempe id, qvod à vehiculi extremo collocatur, ne, cum enitendum est ad altiora, ipsa volubilitate rotarum relabatur. Lignum est & ipsum, teres, à capite armatum ferro bifurcato, qvod pone tractum seqvitur, cum vehiculum procedit, at cum recedit, furca terræ immissa, cursum omnem impedit, nec permittit illud relabi. Nisi potius ad machinulam referri debet, qva vehicula sublevabant, cum vel fractus esset axis, vel eximenda rota, vel ipsum è fossa erigendum. *Suculam* Latinè reddidit Comœnius. Verum longè aliud qvid succula fuit, nempe machina generis tractorii, constans tereti ligno, duobus pluribusve vectibus trajecto, utrinqve æqva extantibus longitudine. sicuti Budæus tradidit. Effigies illius cernitur in Notis ad Vitruvium pag. 209. Editionis Elzevirianæ. At machina, de qva ego loqvor, non est generis tractorii, sed elevatorii, qvod in altum erigit. Ferrum est denticulatum, longum, à summo furcatum, ab imo leviter inflexum. Id intra stipitem ligneum oblongum arctè concluſum erigitur beneficio rotularum, per dentes ferri decurrentium, qvas homo validus ansa ferrea in gyrum versa pro arbitrio circumagit. Germani mei vocant

cant eine Winde/ à vertendo, qvia conversione crebra ferrum longum procedit receditve, prout ratio negotii videtur postulare. Qvanqvam, qvæ de verbis Philoxeni adferimus, nobis ipsis sint incerta dubiaqve. Cum has machinas veteribus fuisse notas ambigamus: Certè veterum sciamus neminem, qvi earum aliqvam fecerit mentionem.

## Cap. XVI.

## De vehiculorum ornamentis.

Ἄρμαλα ποικίλα. *Ornamenta vehiculorum ex ære, plumbo albo, stanno, argento, auro. Aurea vehicula nulla. Ex argento cælata. Cælare, in argento cælare, quid. Vehicula auro distincta. Staticulum, quid. Sigillum. Eborata vehicula, gemmata. Politiani versio notata. Isidorus emendatus. Instrata vehicula. Sternere arceram. Rotæ æneæ auro cultæ. Axis ferreus. Temo argenteus. Iugum aureum. Incoquere argentum. Habenæ aureæ. Bracteæ in habenis. Fræna aurea.* Ἅρμα χρυσοχάλινον. *Interpres vetus Esræ notatur. Strata equorum aurea & purpurea. Phaleræ. Monilia gemmata. Pectoralia aurata. Iunctura argenteæ. Meursii lapsus. Sublimia ornamenta. Crines equorum inter aures collecti in nodum.* Χρυσάμπυκες. *Soleæ argenteæ, aureæ. Mulæ unius coloris. Coloris candidi. Lucianus explicatur contra Erasmum. Mulæ unius magnitudinis. Iulius Africanus exponitur. Mulæ bene saginatæ. Muliones cum vestitu albo, coccineo, &c.*

VEnio ad vehiculorum ornamenta: Nam & ipsa exornabant variè temporibus antiqvis. Inde legas apud vetustissimum Homerum ἄρμαλα ποικίλα non uno loco, qvæ intelligi vix possunt, nisi diversimodè exculta atq; exornata. Hesychius: Ποικίλα, πεποικιλμένα, κεκαλλωπισμένα. *Pœcila, variegata, exornata.* Fuerunt verò illa ornamenta olim ferè ærea. Hinc enim apud dictum Poëtam Il. Δ. ἄρμαλα ποικίλα χαλκῷ, *currus ære ornati.* Similiter habemus locis aliis. Ut Il. K. petit Dolon ab Hectore præmii loco sibi dari Pelidis

-- τὼ ἵππω τε καὶ ἅρμαλα ποικίλα χαλκῷ.

Inveniuntur tamen & ex plumbo albo apud ipsum. Ut Il. Ψ.

Ἅρμαλα δ' χρυσῷ πεπυκασμένα καστιτέρῳ τε.

Vertunt: *Currus autem auro ornati stannoque.* Sed καστιτέρου est

plumbum album. Plinius lib. XXXIV. cap. 16. *Pretiosissimum plumbum candidum à Græcis appellatum cassiteron.* Et mox: *Plumbum album habuit auctoritatem & Iliacis temporibus teste Homero cassiteron ab illo dictum.* Qvibus verbis respexisse ad hunc locum videtur. Qvanqvam & stannum veteres adhibuerint, sed postea, & invento Galliarum, fuitqve stannum illud incoctum æreis operibus in vehiculis, ut liqvet ex ejusdem Plinii dicti libri cap. 17. Homerus in superioribus addebat etiam χρυσῷ, unde constat ista ornamenta aliqvando qvoq; aurea fuisse. Atq; ita videas apud eundem Il. K. in vehiculo Rhesi Thracum Regis:

Ἅρμα δέ οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἔσκεπται.

*Currus autem ei auro & argento scitè fabrefactus est.* Nota, & argentum adhiberi solitum hoc fine. A Latinis, nisi fallor, hæc vehicula *ærata, argentata* vel *aurata* dicta. Lampridius in Heliogab. *Habuit vehicula & aurata, contemptis argentatis & æratis.* Vopiscus in Aureliano: *Dedit potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, cum antea ærata vehicula fuissent.* Erant autem ornamenta hæc vel sparsim hic & illic affixa vehiculo, vel eidem undiqvaqve inducta. De posteriori genere accipio παγχρύσεις δίφρους Myrtili apud Sophoclem in Electra:

Μυρτίλῳ ἐκοιμάθη
Παγχρύσων δίφρων.

Ratallerus ita vertit:

*Præceps datus ex aureis*
*Provolutus est quadrigis.*

Sed vehicula tota qvidem aurea non existimo habuisse: inducta solum ornamentis aureis fuere. Ideò παγχρύσεις appellavit, qvasi essent, qvæ haberent aurum non per omnia, sed in certis tantum partibus. Ita sanè πάγχρυσον οἶκον Dianæ Ephesiæ appellat Aristophanes in Nubibus Act. I. scen. 6. qvæ tamen tota aurea non fuit. Scholiastes optimè illo loco: Πάγχρυσον οἶκον λέγει τὸν πολυτελέστατον ναόν. *Auream per omnia ædem vocat templum exquisitissimè cultum & ornatum.* Ita ergo & δίφρῳ πάγχρυσῳ, exqvisitissimè ornatus currus: Qvomodo & ὁλόχαλκον ῥεδίον alibi ostendimus accipiendum non de prorsus ænea rheda, verum ære undiqvaq; inducta ornataqve. Qvæ verò qvaliaq;

qvaliaq; fuerint ex auro, metallisq; cæteris, illa ornamenta, non est promptum satis dicere. Apud Plinium qvidem ita legitur lib. XXXIII. cap. 3. de Romanis: *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Curtius qvoq; de vehiculis Darii lib. III. cap. 3. *Haud procul erant vehicula decem, multo auro argentoque cælata:* Verum, qvalis ea fuerit cælatura, non commemoratur. Puta tamen *argento*, vel *ex argento cælare*, nil significare aliud, qvam effigies argenteas eminentes extantesq; facere in vehiculis. Hoc enim & alias Latinis est *cælare.* Sic *cælata pocula* intelliguntur. Et apud Livium lib. IX. *scuta* habes *auro cælata*, qvæ sunt culta imaginibus variis ex auro eminentibus & protuberantibus. Ita ergo & vehicula habebant culta ornataqve. Ipsa erant per se ex ligno, more solito. Huic deinde ligno cælatæ imagines variarum rerum, florum, animalium, hominum, Deorum, ex ære, argento, auro, addebantur. Atq; hoc, opinor, est, qvod volebat Plinius, qvando dixit, cælata *ex argento.* Non erant vehicula ipsa argentea, & imagines dein expressæ cæto, hoc enim cælare *in argento.* Qvomodo Virgilius Æn. I.

*Cælataque in auro fortia facta patrum.*

Sed imagines solæ cæto erant formatæ ex auro argentove, ac impositæ vehiculis. Hinc apud eundem Curtium de vehiculo Darii legimus, *utrumque currus latus Deorum simulachra ex auro argentoque expressa decorabant.* Sola illa simulacra erant aurea & argentea, non currus ipse totus. Nam *expressa* hoc in loco qvidem non sunt alia, qvam *cælata.* Vopiscus iccirco vehicula istiusmodi vocavit auro argentoq; *distincta*, in Aureliano: *Currus regii tres fuerunt. In his unus Odenati argento & auro operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Habes & hic currum Persicum, à Persarum Rege dono datum, ac propterea haud dubie formatum ea specie, qva solebant apud Persas. At fuit non argenteus vel aureus, verum auro argentoq; distinctus. Qvi autem est *distinctus*, nisi hic illicqve variis imaginibus ex auro argentoq; cælatus? Adornatum auro argentoq; nominavit Curtius lib. X. cap. 1. ubi de opibus Persagadæ, qvi & ipse Persicæ fuit originis: *Equorum domiti greges sequebantur, currusque argento*

*& auro adornati.* Neq; aliter intelligenda verba Plinii ſuperius laudata, ubi de vehiculorum ornamentis loqvebamur ſtanneis. *Cœpere,* inqvit, *& eſſeda, & vehicula, & petorrita exornare, ſimilique modo ad aurea quoque, non modò argentea ſtaticula inanis luxuria pervenit, quæque in ſcyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Ridiculè hoc loco viri docti *ſtaticulum* exponunt *currus genus.* Qvæſo enim, qvomodo, ſi genus fuit currus, potuiſſet atteri in vehiculis, qvod Plinius teſtatur. Currus certè non eſt *in* vehiculo, ſed ipſe ſibi eſt vehiculum, nec in vehiculo atteritur, ſed atteritur, ſi atteritur, per ſe ipſe. Sed nec, ſi genus fuit currus, cerni potuit in ſcyphis. Nec enim ulla genera vehiculorum, qvæ imponi ſcyphis poculisve conſveverunt. Ac ne illos qvidem rectè puto facere, qvi *ſtaticulum* ſignare volunt *eſſedi anteriorem partem, in qua firmus & ſtatus manet, qui habenas equis regit.* Non enim magis pars hæc, qvam vehiculum integrum, cerni terive in ſcyphis ſolebat, qvod tamen de ſtaticulis confirmat Plinius. Contra ſtaticula Plinio imagines & emblemata, qvalibus ornari atq; incruſtari multis ſcyphis apud veteres ſolebant, atq; unde maximã accipiebant admirationem æſtimationemqve. Ciceroni ſunt *ſigilla,* & ſcyphi eis ornati *ſcyphi ſigillati.* Verba ejus in Orat. VI. Ver. *Quum ſederem domi triſtis, accurrit Venerius, jubet me ſcyphos ſigillatos ad Prætorem ſtatim afferre.* Hic profectò ſcyphi ſigillati, in qvibus cernebantur ſtaticula, ſicut Plinius loqvitur. Nempe ſtaticula ſunt à ſtatuis, pro qvibus iccirco uſurpavit Hieronymus: *Vxor Loth ſit ſtaticula ſalis.* Pari ſenſu legas apud Tertullianum adverſus Gnoſt. cap. 2. aliisqve locis. Et qvia ſtatuis parvis, ſigillis, imaginibus, ſive ex toto, ſive ex dimidio ſpeciem ſuam exhibentibus, adornabant ſcyphos, ſicut effigies ipſorum Bayfio in libello de Vaſculis exhibitæ teſtantur, iccirco Plinius ſtaticula cerni memoravit in ſcyphis. Qvalia deinde ſtaticula transferebantur etiam ad eſſeda, & petorrita, & id genus alia vehicula, artificioſiſſimè cælata, & cruſtarum inſtar hic illic impoſita, unde poſtea vehicula ipſa cælata dicebantur. Solebant autem hæc ſtaticula vel ſigilla fieri non ex metallis ſolum, ſed

& rebus aliis, ut ebore. Hinc *eborata vehicula* Plauto qvoq; memorata in Aulularia Act. II. scen. 1.

*Clamores, imperia, eborata vehicula, pallas, purpuram.*

Lampridius in Heliogab. *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis & eboratis.* Memorat hoc loco Lampridius etiam gemmata, id est, gemmis pretiosisq; lapidibus distincta. Id enim propriè *gemmatum* Latinis. Philoxenus: *Gemmatum*, ψηφωτὸν, διάλιθον. Herodianus nominat διὰλίθων πεποικιλμένον lib. V. ubi de hujusmodi Heliogabali vehiculo: Συγκαθεσθεὶς ἀπ' ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ διὰ χρυσοῦ πολλοῦ καὶ λίθων τιμίων πεποίκιλτο. Vertit Politianus: *In vehiculo imperatorio considente, quod erat auro multo gemmisque exornatum.* Qvanqvam, cum φορεῖον alias lectica qvoq; sit, dubitari hoc de loco posset, nisi de vehiculis Heliogabali gemmatis etiam Lampridius testaretur. Habebant ergo & gemmata vehicula Romæ, saltem Heliogabali temporibus; Aliis enim temerè non legas. Nam Aureliani peregrina fuere, Odenati scilicet, & à Persarum Rege missa dono. Vopiscus sic de ipsis, triumphum Aureliani describens, cap. 33. *Currus regii tres fuere. In his unus Odenati, argento, auro & gemmis operosus atque distinctus: Alter, quem Rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus.* Tamen & de curru Constantii, qvo intravit urbem, Ammianus lib. XVI. *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum, quo micante lux quædam misceri videbatur alterna.* Tribuit alias & Uraniæ Deæ Politianus in versione sua. *Ipsum porro Dei simulacrum impositum vehiculo, quod esset auro pretiosis que lapidibus exornatum, deducebat ex urbe in suburbanum*, ait. At Herodianus aliter: Τὸν δὲ Θεὸν, inqvit, ἀὐλὸν ἐπίσῃσας ἅρμαλι χρυσῷ τε καὶ λίθοις τιμιωτάτοις πεποικιλμένον καλῇ ἐν δρόμῳ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ παράσειον. Qvæ verba docent, non currum, sed simulachrum Dei auro gemmisqve fuisse cultum: Cum πεποικιλμένον non ad ἅρμαλι, qvo cum casu minimè convenit, sed Θεὸν sit referendum. Imitatione tamen istiusmodi vehiculorum postea Prudentius in Psychomachia tribuit Luxuriæ

-- -- *Currum varia gemmarum luce micantem.*

Et hi qvidem sunt ornatus, qvibus culta Regum, Principum, aliorumve

rumve virorum magnorum, vehicula videntur. Reliqvorum communiter fuere picta. Primis qvidem temporibus veneto, post russato colore. Ita sanè de pilentis Servius ad Virgil. VIII. Æn. v. 666. *Erant autem tunc veneti coloris, non, ut nunc sunt, russati.* Repetit hæc eadem Isidorus lib. XX. cap. 12. nisi qvod pro *nunc* malè hodie legatur *tunc* in vulgatis libris. Color venetus est pallidè virens, ac qvasi vitreus, similis marinis fluctibus, propterea κυάνε@ à Græcis appellatur. Nominarunt & cæruleum. Isidorus lib. XVIII. cap. 41. *Iunxerunt equos venetos aquis vel aëri, quia cæruleo sunt colore.* Eqvi veneti cærulei dicuntur esse coloris. Itaq; venetus color cæruleus est, talemq; veteres in vehiculis habuere. Videtur allusisse Virgilius, qvando de vehiculo Neptuni lib. V.

*Cæruleo per summa levis volat æquora curru.*

At russus color, qvi successit veneto, est πυῤῥὸς, qvi Latinis alias & luteus, qvi hodieq; in vehiculis ad usum revocari cœpit. Ante magis freqvens fuit ruber, qvi veteribus est μιλλίτης sive miniacius. Qvanqvam & priscis temporibus apud Romanos *in Capitolio Iupiter in quadriga miniacea* legatur, uti docet Servius ad Virgilii Ecl. VI. Possis credere instrata qvoq; vehicula tapetis aut linteis apud veteres. Hinc enim fortasse Paulus l. 5. §. 1. ff. de supell. Leg. *De tapetis autem vel linteis, quibus insternuntur vehicula, dubitari potest, an sint in supellectile.* Neq; alio respexisse putes Sextum Cæcilium apud Gellium lib. XX. cap. 1. ubi de arcera: *Arcera vocabatur plostrum tectum undique & munitum, quasi arca quædam magna vestimentis instrata.* Et in lege veteri apud eundem ex tabulis duodecim proposita *sternere arceram* est vehiculum vestimentis ita adornare. Qvanqvam de tapetis, vestimentis, linteis hujusmodi non sciam satis, an ad decus pertinuerint. Videntur sanè magis supernè imposita pluviæ arcendæ causa, sicut hodieqve tegi alicubi non corio solum, sed & panno viliore consveverunt. Certè tectum undiq; vehiculum Cæcilius hic memorat, & tectum vestimentis. Neq; alia est caussa dubitationis in proposita Pauli lege. Nempe, qvoniam tapetes tegumenta illa fuerant, poterant videri sicuti toralia in supellectile connumeranda. Qvia tamen operiebant atq; involvebant vehicu-

hicula, ideò dicuntur se habere potius sicut pelles, qvibus involvuntur vestimenta. Nec enim est ratio alia, cur pellibus ejusmodi à Paulo comparentur. Sed de istiusmodi vehiculorum tectis loco alio. Interea vix dubito, qvin & ipsis in vehiculis qvandoq; ornatus splendorisq; caussa habuerint tapetes aliaqve id genus vestimenta pretiosa. Video nimirum talia circumdata vehiculo Imperatorio Heraclii, qvod in nummo veteri exhibetur apud Lipsium de Cruce. Suntq; ibi non picta solum, sed & gemmis margaritisq; culta. Nam Homerus velle aliud videtur, qvando de vehiculis Lycaonis Il. E. *Currus*

Καλοὶ, πρωτοπαγεῖς, νεοτευχέες, ἀμφὶ δὲ πέπλοι
Πέπταναι. -- -- -- --

*Pulchri, recens compacti, nuper facti, circum verò stragula expansa sunt.* Scholiastes qvidem vetus sic ad locum hunc: Περὶ αὐτὰς πέπλοι. Πέπλοι δὲ λεπτὰ ὑφάσματα. *Circum eos pepli, sunt verò pepli vestes tenues*, qvasi tenuibus & subtilibus his vestibus fuerint ornati. At Eustathius: Πέπλῳ δὲ τὸ ἱμάτιον οὐδὲ ἐνταῦθα, ἀλλὰ ὑφασμάτιον δυνάμενον καλύπτειν τῶν διφρων εἰς ἀπόβασιν καινὴν καὶ κόνεως, καὶ τῶν τοιούτων. Vult, nisi fallor, tantum storeas fuisse, qvas vehiculis domi repositis circumdabant, ne inqvinarentur à fumo pulvereqve. *Peplus*, ait, *non est vestis hic, sed textum secundum aliquos ex arundinibus, curribus circumdatum, ut arceat fumum, & pulverem, & id genus alia.* Neq; alia interpretatio convenire cæteris hujus loci melius videtur. Certè ornata fuisse vestimentis etiam, cum starent domi, vero non est consentaneum. At tegi contra qvaslibet injurias istiusmodi storeis ne qvidem hodie ignotum est. Præter hæc habebant aliqvando alia qvoq; ornamenta. Ipsa namq; vehicula per se lignis eminentioribus, velut regulis, cymatiis, toris, coronis, & ejusmodi, decorabantur circa oras. Ita habes cultas bigas qvadrigasq; partim apud Philippum Rubenum lib. I. Elect. cap. 30. partim apud Onuphrium Panvinium in imaginibus variarum tabularum, unde istas qvoq; huc transtulimus.



Simili ratione in Notitia Imperii carruca Præfecti urbis variis ornata cernitur, sive globis, sive orbibus, habetqve sculpta velut delphinorum capita, in longas squamas desinentia ex utroq; latere. Ac hæc qvidem ornamenta ipsorummet sunt vehiculorum. Seorsum verò legas rotas æneas, cum circulis aureis & canthis æreis in curru Minervæ apud Homerum Il. E. Apud Ovidium lib. II. Met. in vehiculo Solis est:

— — — *Aurea summæ*
*Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.*

Prudentius in Psychomachia facit currum Luxuriæ habentem

— — — — — *Radiorum*
*Argento albentem seriem, quam summa rotarum*
*Flexura electri pallentis continet orbe.*

Eodem in curru memorat

*Et solido ex auro pretiosi ponderis axem.*

Imitatione qvadam currus Solaris apud Ovidium, ut puto, cui & ipsi *Aureus axis erat.* — — —

Apud Homerum axis potius est ferreus in vehiculo Minervæ, ut firmior, oneriq; ferendo convenientior, maximè, cum ad prælium accommodandus currus esset. Idem Homerus in vehiculo eodem

dem temonem facit argenteum, qvi apud Ovidium est aureus. Facit & jugum aureum, qvod apud Ovidium est ornatum gemmis.

*Per juga chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ*
*Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.*

Et revera tale fuit in vehiculo Darii, de qvo Curtius lib. III. cap. 3. *Distinguebant internitentes gemmæ jugum, ex quo eminebant duo aurea simulachra cubitalia.* Loco auri gemmarumq; adhibebant alii plumbum album, solebatqve illud incoqvi æneis præsertim jugis. Plinius lib. XXXIV. cap. 17. *Plumbum album incoquitur æreis operibus, Galliarum invento, ita, ut vix discerni queat ab argento, eaque incoctilia vocant. Deinde argentum incoquere simili modo cœpere, equorum maximè ornamentis jumentorumque jugis Alexia oppido: Reliqua gloria Biturigum fuit.* Hic incoqvere argentum vel plumbum album jugis æneis nil aliud, qvam, cum fundi debent, cocto æri & liqvefacto plumbum tale vel argentum addere, ut plus splendeat, penitusq; accipiat argenti colorem. Præter vehicula, illorumq; partes, etiam adjuncta ipsis animalia exornabantur. Habenas profectò leginus in ipsis aliqvando aureas, unde currus ipsi Græcis χρυσήνιοι. Hesychius: Χρυσήνιος, χρυσᾶς ἡνίας ἔχων, οἱ δὲ καλὰς. Aliqvando bracteas solummodo addebant aureas argenteasve. Unde Prudentius in Luxuriæ curru commemorat

-- -- *Bracteolis crepitantia lora.*

Fuerunt hæ bracteolæ clypeolorum instar aut claviculorum, sicut suspicamur ex Notitia Imperii, in qva occurrunt hac effigie in eqvis carruchæ superius memoratæ. Habenis addebantur fræna aurea. Meminit Cassianus de Reg. Cœnob. Æg. in vehiculo duorum tribunorum: Τριβούνοι τινες δύο μετὰ πολλῆς κόμπης εἰσελήλυθεισαν, ῥεδίον, ἔχοντες ὁλόχαλκον, καὶ χρυσοχαλίνους ἵππους. *Tribuni quidam duo vehebantur multa cum pompa, rhedam habentes totam æratam, & equos cum frænis aureis.* Apud Esram lib. III. cap. 3. eqvi sic ornati appellantur ἅρμα χρυσοχάλινον, qvod Interpres vetus malè vertit *currum aureo fræno.* Meminit & Virgilius in eqvis Æneæ missis dono ad vehiculum seu currum. Sic enim de ipsis:

*Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

Dicit autem amplius Virgilius, tectos qvoq; auro eqvos illos fuisse, hoc est, habuisse vestes ex auro, qvibus erant operti. Qvare antecedit qvoqve :

-- -- -- *Iubet ordine duci*
*Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.*

Idem Seneca accommodat ad vehicula suorum temporum ep. 87. *Quid*, ait, *ista vehicula cælata, instrati ostro alipedes? &c.* Ornabantur & phaleris, ut ex eqvis Solis liqvet apud Prudentium, cujus verba mox adducam. Fuerunt autem phaleræ clypeoli rotundi, qvos in fronte habebant. Etymologus: Φάλαρα τὰς προμετωπιδίους, ἀσπιδίσκους τῷ κόσμῳ, τῷ καὶ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων. *Phaleræ, frontalia, clypeolos, ornamenta in fronte equorum.* Item monilibus circa collum. Diodorus lib. XVIII. de mulis in curru, qvo cadaver Alexandri Regis deferebatur in Ægyptum: Περὶ ὧν τὰς τραχήλους χλιδῶνας λιθοκολλήτους. *Habebant circa collum monilia gemmis distincta.* Atq; ista sunt, qvæ instar fasciorum circa colla eqvorum cernuntur in antiqvis monumentis, & superius ex columna Trajani à nobis cap. 13. sunt expressa. Tum accedebant lora in pectore, auro multo culta. Hinc Prudentius in vehiculo Solis, qvod describit lib. I. contra Symmachum: *Et frænos phaleras que, & equorum pectora anhela*
*AEris inaurati, vel marmoris, aut orichalci*
*Iusserunt nitido fulgere polita metallo.*

Atq; ita videas plane in dictis aliqvotiens Notitiæ Imperii qvadrigis. Neq; alia horum omnium est species in eqvis vehiculo Imperatoris Heraclii junctis. Nisi bis decurrentem per lora omnia orbicularum seriem margaritas accipere malimus. Illud singulare, qvod hæc ornamenta Prudentius faciat non ex ære solum orichalcove inaurato, verum etiam ex marmore. Nec enim intelligo satis, qvomodo ex eo fieri potuerint. Leguntur etiam juncturæ, qvibus ad vehiculum destinantur, ex argento. Inde sunt *junctur æ argenteæ* apud Ulpianum, de qvibus egi satis in superioribus. Capitolinus in Vero, cap. 5. *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum junctur is argenteis.* Cum junctur is *aureis* citavit Meursius in de Luxuria Romana cap. 11. memoriæ vitio, ut opinor. Qvanqvam fortè

non

non defuerint, qvi haberent etiam ex auro. Apud Gaudentium profectò tr. 13. leguntur ornamenta aurea eqvorum mulorumqve, qvæ intelligi aliter, qvam ut simul & junctura innuant, vix possunt. *Brutis quoque*, inqvit, *animalibus, equis & mulis, ex argento & auro sublimia ornamenta componunt.* Sunt hic *sublimia* ornamenta, nisi fallor, pretiosa & eximia, propter auri argentiq; copiam, qvam habebant adjunctam. Ad hæc omnia crines qvoq; animalium collectos in unum colligatosq; ac erectos aureis funiculis in fronte habebant, eratqve vetustissimum hoc ornamentum, Iliacis etiam cognitum usurpatumq; temporibus, unde χρυσάμπυκας eqvos sic ornatos Homerus appellavit, Il. E. Scholiastes vetus eo loco: Χρυσάμπυκας. χρυσοχαλίνους, ἀπὸ μέρους, ἢ χρυσοκόμους. Κυρίως γὰρ ἄμπυξ καλεῖται σειρὰ καλάχρυσος, ἡ ἀπὸ μετώπου τεινομένη, ἢ συνδεῖν αἱ τρίχες. *Chrysampycas, aureos habentes frænos, à parte, vel comas aureas. Propriè namque ampyx appellatur funiculus auratus, à fronte extentus, quo colligantur crines.* Eustathius: Ἄμπυξ ἐκαλεῖτο σειρὰ καλάχρυσος τὰς περὶ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων τρίχας συνδέουσα. *Ampyx dictus est funiculus auratus, quo crines in fronte equorum colligantur.* Crines hi funiculis istis erant subrecti in altum, ut inter aures surgerent instar pennarum. Hesychius: Χρυσάμπυκος, χρυσοῦς δεσμοὺς ἔχοντος περὶ τὰ ἄμπυκα, ὅ ἐστιν ἡ τῶν τριχῶν εἰς τὸ ἄνω ἀνάληψις. *Chrysampycos, aureos funiculos habentis, ex ampyca, quod est crinium quædam in altum collectio.* Pedibus mularum suffigebant aliqvando soleas argenteas. Ita sanè de Nerone Svetonius cap. 30. *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis.* Conjux verò ejusdem fecit etiam ex auro. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Noſtra ætate Poppea, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis ſuis ſoleas ex auro quoque induere ſolebat.* Eqvi mulæq; unius omnes plerumq; fuerunt coloris, nam & hoc inter decora vehiculorum atq; ornamenta pridem cœpit numerari. Hoc respectu Seneca ep. 87. *Quid ad rem pertinent mulæ ſaginatæ, unius omnes coloris?* Sicut nempe vulgo consveverant habere. Curtius de vehiculo Jovis apud Persas lib. III. cap. 3. *Currum deinde Iovi ſacratum albentes vehebant equi.* Virgilius de Turni curru & adjunctis illi eqvis lib. XII.

*Qui candore nives anteirent, cursibus auras.*

De triumphantibus apud Romanos Servius ad lib. IV. Æn. *Qui triumphat, albis equis utitur quatuor.* Etiam privatorum ista fuit cura. Hinc Abdias lib. III. *Nicolaus, quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quatuor mulis candidis.* Observa simul ex his locis, inter cæteros colores antelatum esse candidum. Itaq; & Lucianus optimates Romanorum describens in de Mercede Cond. Ἀποδημεῖν ὅτι λευκῶν ζεύγεσιν ἐξωπιάζοντας. Ubi perperam Erasmus reddidit *rhedam albam: Peregrinari alba in rheda resupinatos.* Cum debuisset vertere: *Sublatos in vehiculum ab albis tractum equis.* Ζεῦγος enim non est *rheda*, verum par jugalium, qvod alibi ostendi. Fuitq; hæc de eo sententia non recens, verum vetustissima, ipsiqve cognita Homero, qvi propterea de Rhesi Thracum Regis vehiculo eqvisq; Il. K.

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

*Candidiores nive, ad currendum autem ventis similes.* Magnitudo qvoq; spectata videtur, & ut essent omnes eqvi mulive pares. Hinc enim Julius Africanus l. 34. ff. de Ædil. Edicto *quadrigas & mulas PARES* memorat, qvæ simul vendantur & redhibeantur omnes. Scilicet, si ex his perit una, cæteræ etiam fiunt inutiles, qvia pari magnitudine substituere aliam non perinde promptum. Verba Africani: *Interdum etsi in singula capita pretium constitutum sit, tamen una emptio est, ut propter unius vitium omnes redhiberi possint vel debeant, scilicet, cum manifestum erit, non nisi omnes quem empturum vel venditurum fuisse, ut plerumque circa comœdos, vel quadrigas, vel mulas pares accidere solet.* Seneca in verbis præcedentibus ostendit, habuisse qvoq; bene saginatas. *Quid*, ait, *ad rem pertinent mulæ saginatæ?* Nempe, qvæ sunt saginatæ, illæ nitent, nitor autem decens est in jumentis. Non autem animalia solum, sed &, qvi agebant ea, ornare consveverunt. Ita, qvi Darii currus regebant, vestes habebant albas, virgas aureas. Curtius lib. III. cap. 3. *Aureæ virgæ & albæ vestes regentes equos adornabant.* Pro vestimentis albis canusinati fuere muliones Neronis. Svetonius: *Fecisse iter traditur soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Canusinati sunt vestiti la-

na

na Canusina, qvæ fuit rutila, & alioqvin erithra appellata, ut ex Plinio cognoscimus. Memorat vestitos cocco Martialis lib. X. epigr. de Mevio:

*Pullo Mevius alget in cucullo,*
*Cocco mulis fulget Incitatus.*

Bene *fulget*, qvia cocci color fuit splendidissimus. Ad eundem ferè modum exhibetur in Notitia Imperii membranacea coloribusq; picta. Habet enim sive pallium, sive largius vestimentum aliud coccineum supra prassinum sagulum in sinistrum humerum rejectum, cum ocreis rubentibus. Et hæc qvidem ornamenta.

## Cap. XVII.

## De iis, qvi qvacunqve ratione spectant ad vehicula.

*Auriga.* Ἡνίοχος. *Agitator. Philoxenus emendatur, & Lucilius. Aureax. Locus Festi expenditur. Vossii sententia improbatur, & Scaligeri. Festus corrigitur. Aureax solitarius. Aurigarius. Magister.* Ἡνιοστρόφος. Ἁρμαμιλλάτης. Ζευγηλάτης. *Mulio. Codex Theodosianus emendatur. Plaustrarius. Rhedarius. Cisiarius.* Ἁμαξάριος. *Vlpianus corrigitur. Carrucharius. Glossæ veteres emendantur. Quadrigarius. Trigarius. Plinius explicatur. Torrentius refutatur.* Διφρεύτης. Διφρηλάτης. *Aurigæ fœminæ. Vallæ versio Herodoti rejicitur. Currus agere, ducere,* ἁμαξεύειν. *Trahere currum.* Ἅμαξαν ἕλκειν. Ἁμπρεύειν. *Curru vehere quem.* Ἡνιοχεῖν. Ἐγκραλεῖν τῶν ἡνιῶν. *Habenas tenebant sinistra, flagellum dextra. Flagellum repositum in jugo, vel theca. Sustinere currum.* Ἐπέχειν. *Strigare. Impellere currum, retorquere, agitare.* Ὀρθὴν ἐλαύνειν. *Flectere.* Παραλρέπειν. *Versare.* Στρέφειν. Περιελαύνειν. *Vox & clamor aurigæ, strepitusque. Sedet in sella prima seu temone primo. Ambulat interdum prope jugales. Versio Dionysii rejecta.* Ὀρεωκόμος. *Seneca expositus. Mulio excalceatus. Aurigæ servi, aliquando & liberi. Quartarii. Perpetuarii. Ars aurigandi.* Δρόμος. Ἁρμαλόιροχία. *Orbitæ. Vestigia rotæ.* Τροχαὶ. Ἁρμαλήλασία. Διφρευτικὴ ἐπιστήμη. *A quo inventa. Valuerunt ea Barcæi quondam & Libyci & Cyrenenses. Aurigationes variæ. Donaria aurigarum.* Παράβαλαι. Παροχήμενοι. Ὀχήμενοι. *Sedentes rheda. Conscendere, adscendere, insc endere vehiculum.* Ἐπιβαίνειν. Ἀναβαίνειν.

Tolli

*Tolli in currum.* Ἀναβιβάζεσθαι. Ἀνάγειν εἰς ἅρμα. *Currum occupare. Vehiculo sedere.* Καθῆσθαι ἐπὶ τοῦ ἅρματος. *Ingredi vehiculo, volare, rapi, vehi, portari, excuti, versari. Contra hoc postremum vota aurigarum. Ad conscensum saltus, scala. Tempus conscendendi virgæ nutu significatum. Ad descensum saltus. Carpentarii.* Ἁρμαλοπηγοὶ. Ἁμαξεργοὶ. Ἀγροπηγοὶ. *Trigarii. Cisiarii. Iunctores. Iugarii. Veterinarii. Veterina.* Ἱππιάτροι. *Mulomedici.*

SUpereſt, ut agam de hominibus ad vehicula ſpectantibus. Horum primus eſt *auriga*, qvi currum eqvosq; dirigit. Servius ad XI. Æn. v. 85. *Aurigæ ſunt propriè currus regentes.* Dictum verò aurigam ſic ab aureis, qvas & oreas appellavere, Voſſio libenter credo, qvia ſit, qvi regat aureas, id eſt, fræna. Græcis namq; ad eundem modum eſt ἡνίοχος, qvo ſignificatur is, qvi tenet lora. Gloſſæ veteres: *Auriga,* ἡνίοχος. Philoxenus: *Auriga, agitur,* ἡνίοχος, ἐλάτης. Sed qvid hic eſt *agitur?* Ita namq; habet Stephani editio. Scribe *agitator.* Gloſſæ Græcæ: Ἡνίοχος, *auriga, agitator.* Nempe ſunt agitatores ferè titulo ſolenni aurigæ bigarum qvadrigarumq; Circenſium. Svet. Ner. cap. 22. *Tractum Praſinum agitatorem inter condiſcipulos quærens.* Et in Cajo, cap. 55. *Agitatori Cythico commeſſatione quadam in apophoretis vicies H. S. contulit.* Hinc inſcriptiones veteres: M. AURELIO, AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ. Item: C. APULEJUS DIOCLES, AGITATOR FACTIONIS RUSSATÆ. Item: CL. AURELIO POLYPHEMO, DOMINO ET AGITATORI FACTIONIS RUSSATÆ. Qvanqvam etiam ſic appellentur aurigæ alii & vulgares. Lucilius apud Ciceronem lib. XIII. ep. Att. 21. cujus verſus ita debet legi: *Suſtineat currum ut bonus ſæpe agitator equosque.*
Cicero ipſe adhuc clarius lib. IV. Qv. Acad. *Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos ſuſtinebo, eoque magis, ſi locus is, quo ferentur equi, præceps erit.* Loqvitur de loco præcipiti, qvalis cum in Circo non ſit, liqvet de auriga vulgari eſſe ſermonem. Similiter Virgilius lib. III. Æn.

*Vna ingens Periphas, & equorum agitator Achilles.*

Pro auriga poſuerunt aliqvando *aureacem.* Feſtus certè ita habet:

*Aureax,*

*Aureax, auriga.* Verum contra Vossius in Etymol. *De aureax, quod Festus dicit, probatur etiam cum veteri Glossario, tum Glossis Isidori, in quibus exponitur ἱππαρχὴς & eques solitarius, ut omnino aureax ex horum mente sit, quem Græci κέλητα vocant.* Habet hæc, ut multa alia, Vossius à Scaligero, qvi plane tradit eadem in Festi Notis. At si κέλης sive eqves solitarius significatur voce aureacis, aureax auriga esse neqvit, sicut Festus voluit. Nam auriga regit currum, sicut supra testabatur Servius, κέλης verò currum habet nullum. Verum non id dicunt Glossæ, qvod volebant Scaliger & Vossius. Scaliger sic habet: *Aureax: Glossarium: Aura, ex solitarius, ἱππαρχὴς. Lege aureax, solitarius.* Ita Scaliger. Sed in Glossis Stephani nulla est distinctio, continua serie sic habent in editione prima: *Aura ex solitarius, ἱππαρχὴς.* Qvare scribo, commate sublato: *Aureax solitarius*, & interpretor de aureace non communiter accepto, qvi auriga fuit, verum sic peculiariter & cum epitheto ad differentiam alterius vocato, id est, eqvite. Neq; obstant Glossæ Isidori, qvæ sic habent: *Aureax, eques solitarius.* Sunt enim desumptæ ex peculiari qvodam loco, in qvo fuit sermo de hujusmodi aureace, sicut multæ aliæ libelli ejus. Adde, qvod sint distinctissima *solitarius* & *eques solitarius.* Hic enim oppositus est desultori, qvi duobus simul pluribusve uti eqvis consvevit. At solitarius simpliciter sic positus pro eqvite non reperitur. Contra fuit in aureace. Dicebatur aureax, & auriga, & eqves, verum hic ad differentiam alterius non aureax simpliciter, sed aureax solitarius. Atq; hoc est, qvod volebat Festus. Sunt, qvi aurigas etiam *aurigarios* existimant vocatos apud Svetonium in Nerone cap. 5. ubi ait: *In prætura mercede palmarum aurigarios fraudavit.* Sed si aurigarii hoc loco sunt aurigæ, non aurigas qvoslibet, sed bigarum trigarumve in ludis Circensibus denotabunt. Nam ad hos palmæ pertinent. Potius *magistri* dicebantur voce generali. Claudianus epigr. I. loqvens de Mulabus Gallicis:

*Absentis longinqua valent præcepta magistri.*

Sic Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus movebantur jumenta.* Græcis non ἡνίοχος solummodo aurigam denotat, sed &

ἡνιοτρόφος. Ita enim nominatur à Philippo lib. IV. epigr. Etiam ἁρμαλλατης dicitur. Hesychius: Ἁρμαλλατης, ἡνίοχος. In Glossis est ἐλάτης, uti supra vidimus. Sed aliis vocatur ἐλαλὴρ. Hesychius iterum: Ἐλαλὴρ, ἡνίοχος. Item ζευγηλάτης. Hesychius iterum: Ζευγηλάτης, μελαβάτης, ἡνίοχος. Possis hinc colligere, qvod & μελαβάτης dictus sit. Sed hoc nomen propriè ad eos pertinet, qvi currus regunt militares, sicut alibi jam dixi. Sicut autem hæc communia eorum sunt vocabula, qvi currus regunt, ita habuerunt qvoq; propria. Capta erant ea vel ex animalibus diversis, qvæ trahebant currus, vel ex ipsis curribus vehiculisq; aliis & aliis. Animalium respectu speciatim dicebantur *muliones*. Licet enim muliones aliqvando qvoq; sint, qvi agunt mulas clitellarias, freqventissimè tamen eos denotant, qvi regebant carrucharias. Senec. ep. 87. *Vehiculum, in quod impositus sum, rusticum est. Mulæ vivere se ambulando testantur; Mulio excalceatus non propter æstatem.* Mulio hic non est alius, qvam qvi regebat mulas in vehiculo. Similiter Sveton. cap. 30. Neron. *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus.* Pertinet huc qvoq; *mulio, qui per imperitiam impetum mularum retinere, vel propter infirmitatem sustinere non potuit*; De cujus pœna, si hominem obtriverit, qværit Gajus l. 8. ff. ad L. Aqviliam. Itemq; ille, de qvo Martialis lib. IX. epig. in Edilium:

*Nihil est tritius Edili lacernis, &c.*
*Nec pigri rota quassa mulionis.*

Qvanqvam videantur dicti aliqvando notione generaliori, qvi qvæcunq; deniq; agebant animalia currulia. Sic profectò capio, qvæ leguntur passim in Cod. Theodos. t. de cursu publico, de mulionibus. Ut, l. 31. *Nec mulionibus, nec carpentariis, nec mulomedicis cursui publico deputatis mercedem à quoquam sinceritas tua siverit ministrari.* Sic opinor ibi legendum, non *fuerit*, qvod est in vulgatis, ac ne *faciat* qvidem, qvod nonnulli viri docti censuerunt. Atq; ita censuisse video nunc demum etiam Jacobum Gothofredum, atq; lætor. Esse verò muliones hoc in loco aurigas qvalescunq; liqvet, qvia cursus publicus non per mulas solum, sed & eqvos, aliaqve animalia, perfici solebat. Respectu vehiculorum qvidam sunt *plaustrarii*,

rii, qvi plaustra regunt. Ita sanè nominantur Ulpiano l. 27. ff. ad L. Aqvil. §. 33. Verba ejus: *Si ex plaustro lapis ceciderit, & quid ruperit vel fregerit, Aquiliæ actione teneri plaustrarium placet, si malè composuit lapides, & ideò lapsi sunt.* Alii *rhedarii*, qvi rhedas. Cicer. in Mil. *Adversi rhedarium occidunt.* Usurparunt hoc vocabulum & Græci ultimis temporibus. Aretas ad Apocalyps. cap. 18. Ῥαίδη, ἀφ' ἧς καὶ τὸ ῥαιδάριον τέτριπλαι. Alii *cisiarii*, qvi cisia. Ulpianus antea laudatus in l. 13. ff. Locati: *Si cisiarius, dum cæteros transire contendit, cisium everterit.* In Basilicis vocatur ἁμαξάριος. Verba: Εἰ ἁμαξάριος φιλονεικῶν προλαβεῖν, τρέψῃ τὴν ἅμαξαν. Leunclavius hæc ita reddidit: *Si carucharius, dum cæteros ante vertere contendit, carucham everterit.* An, qvod in dicta lege hodie sic scriptum est, *si cisiarius, id est, carrucharius, &c.* Sed haud dubie hæc glossa est, eaq; haud satis apta, cum à cisio diversa sit carrucha. Legas tamen qvoq; *carrucharios*, qvi carruchas ducunt. Glossæ veteres: Καρυχάριος, *mulocisiarius, carucharius.* Observa hic, sic appellatum Græcis etiam recentioribus. Deinde unico scriptum esse *r*, cum id alias geminetur. Sed qvid est, qvod exponant qvoq; *mulocisiarium?* Qvomodo cum cisiario hic muli conjunguntur? Meo animo scribendum *mulio cisiarius* distinctis vocibus videtur. Nempe mulio generale nomen est, ut superius monstravi. At verò *mulio cisiarius*, qvi regit mulas in cisio. Est & *quadrigarius*, qvi qvadrigas ducit in Circo. Asconius: *Quadrigarius, qui in Circensibus quadrigas agitabat.* Usurpavit ita Varro lib. II. R. R. cap. 3. *Peritus belli alios eligit atque alit ac docet, aliter quadrigarius & desultor.* Non est alius hoc loco qvadrigarius, qvam qvi qvadrigarum agitandarum caussa eligit instituitqve eqvos. Philoxenus: *Quadrigarius*, ἁρμελάτης, ἱππηλάτης, ἡνίοχος. Glossæ aliæ: Ἁρμαλλάτης, *quadrigarius.* Habes & *trigarium* apud Plinium lib. XXVIII. cap. 17. *Feruntque & Neronem Principem hac potione recreari solitum, cum sic quoque se trigario approbare vellet.* Tamen hic Torrentius trigarium interpretari mavult eum, qvi ornandi instruendiqve agitatores gerit curam, sicut discas ex ipsius Notis ad Svetonii Neronis cap. 5. Nempe illud *approbare se trigario* putabat dictum, sicut *approbare se magistro.* Qvomodo & Svetonius

nius ipse, *Cajo talem & se & exercitum approbavit*, vita Galbæ cap. 6. At *trigarius, a, um*, est adjectivum, nec necesse, ut ad virum tantum referatur. Et qvid, si intelligamus cursum? Qvid, si certamen trigarum? Verum apud Plinium in libris optimis non legitur *trigario*, sed, una littera adposita, *strigario*, unde optimè Salmasius ad Solinum: *Cum sic quoque strigario approbari vellet.* Est videlicet strigarium, ut ipse docet, locus, ubi exercentur eqvi ad certamen curule, ita dictum, pro *spacio strigario*, ut sit approbari strigario idem atq; adprobari per strigarium, hoc est, spacium illud, atq; simul exercitium, qvod in eo institui solebat. Apud Philoxenum omissa prima littera *trigarium* est, exponiturq; τόπος ὅπου ἵπποι γυμνάζονται, id est, *locus, ubi equi exercentur.* Atq; ita scribitur & Aurelio in Regionibus Urbis Romæ, ipsiq; Plinio lib. XXXVII. cap. 3. Ut proinde frustra in superius adductis verbis aurigam trigarum reqviramus. Græcis genus hoc vocari διφρευτὴς consvevit, à δίφρῳ, qvi fuit propriè in hujusmodi ac militaribus vehiculis. Ita sanè appellavit Sophocles. Apud Lucianum διφρηλάτης est, in dial. Jovis & Solis, ubi Jupiter ad Solem de Phaëtonte loqvens: Τοιοῦτον ἡμῖν τὸν καλὸν ἡνίοχον καὶ διφρηλάτην ἐκπέμψας. *Talem nobis pulchrum aurigam atque rectorem currus emisisti.* Et hi qvidem varii sunt aurigæ. Qvos notandum amplius non fuisse viros semper, sed qvandoq; etiam mulieres. Docet vel Homerus, apud qvem Juno pro auriga est in curru Minervæ, & Minerva in curru Diomedis. De priori verba sunt Poëtæ in Iliad. E.

Ἥρη δ' μάστιγι θοῶς ἐπεμαίνετ' ἄρ' ἵππους.

*Juno autem scutica velociter urgebat equos.* De posteri legitur in eodem libro prolixè, ubi inter cætera hoc qvoqve:

Λάζετο δ' μάστιγα καὶ ἡνία Παλλὰς Ἀθήνη.

*Corripuit autem flagellum & habenas Pallas Minerva.* Annotandum, qvod hic agat de vehiculis bellicis ac militaribus, adeò non potest mirum esse, si nonnunqvam hoc acciderit in cæteris. Qvomodo apud eundem Odyss. Z. vicem aurigæ præstat Nausicaa, aliæ apud alios. Nam & apud Herodotum legimus Zavecibus solenne fuisse, ut in bellis aurigas haberent fœminas. Verba sunt in Melpomene: Μαχύων δ' Λιβύων Ζαύηκες ἔχονται; τοῖσι αἱ γυναῖκες ἡνιοχεῦσι τὰ ἅρματα εἰς τὸν πόλε-

πόλεμον. *Maxium autem Libyum confines sunt Zaveces, ubi fœminæ aurigantur currus in bellum.* Ita vertit Valla, sed intelligendum est, ut dixi, non qvod ipsæ curribus certaverint, sed qvod certantium virorum fuerint aurigæ. Cæterum, officium eorum communissimum, qvod Latini vocant *currus agere* vel *ducere*, hoc est, jumentis animalibusqve ad currendum ambulandumve compulsis vehiculum idoneo itinere promovere. Ovid. II. Metam. fab. 1. de Jove:

-- -- — *Non aget hos currus.*

Et fab. 5.

*Quilibet alter agat portantes lumina currus.*

Justin. lib. XLI. cap. 6. *Per sanguinem ejus currum egit.* Val. Maxim. lib. IX. cap. 11. *Supra corpus duci vehiculum jussit.* Græcis istoc una voce, ἁμαξεύειν. Unde Plutarchus in Eumene: Ἁμαξεύων διὰ πενίαν, vel ἐλαύνειν. Unde Lucianus ante dicto loco: Εἶπον καὶ ἥλιε & ὁ κίνδυνος & εἰ μὴ ὀρθὴν ἐλαύνοι. Animalia dicebantur *trahere*. Sveton. Augusto, cap. 94. *Videre visus est filium super currum laureatum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Simili ratione loqvebantur Græci. Dio lib. LIX. Τὸ ἅρμα τὸ πομπικὸν ἐφ' ᾧ ἤχθη, ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν. Qvod si verò vehiculum esset onerarium, non tam ἕλκειν, qvam ἁμαρεύειν, hoc reddebant, si est vera Suidæ observatio, voce ἀμπρεύοντες. Unde inter alia: Ἀμπρεύειν κυρίως τὸ μὴ ἁμάξης πορεύεσθαι. Propriam ait vocis hujus esse hanc significationem. Qvod si præter aurigas alii qvoq; vehiculo insiderent, eos dicebantur *vehere*. Sic enim Latini qvoq; reddere hoc negotium solebant. Ovid. ep. 21.

*Hunc Venus in cœlum curru vexisset eburno.*

Fiebat porro hoc per habenas, qvas tenebant. Qvod ἡνιοχεῖν à Græcis propriè vocatur. Qvemadmodum qvi per eas verè poterat jumenta regere, ac prout usus postulat, vel concitare, vel sistere, ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν. Lucianus in Dial. Jovis & Solis: Καὶ ὡς ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν, καὶ μὴ ἐφιέναι τῷ θυμῷ τῶν ἵππων. *Vti habenas regere, neque impetum permittere equis deberet.* Habenas tenebant una manu, altera flagellum. Apollonius III. Argon. de Medea:

Καὶ ῥ' ἑτέρῃ μὲν χειρὶ λάβ' ἡνία, τῇ δ' ἄρ' ἱμάσθλην.

*Altera manu capit habenas, altera flagellum.* Et flagellum qvidem

capiebant dextra, sicut idem docet, unde consequens, quod habenas tenuerint rexerintq; sinistra. Verba ejus aliquanto ante:

-- -- Καὶ εὐποίητον ἱμάσθλην
Δεξιτερῇ, ἕλαεν δ' διὰ ἄστυς. -- --

*Elaboratissimam scuticam cepit dextra, & per urbem fecit iter.* Et quoniam utrumque sic tenebant, flagellum inquam & habenas, inde Phædrus noster, de auriga loquens, lib. III. cap. 7. vocat eum, qui

*Iugum flagello temperat lento,* --
*Et lora frænis continet spumantibus.*

Flagellum, si non amplius illius esset usus, jugo equorum applicuisse videntur. Facit sanè Tydides apud Homerum Il. Υ.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε παμφανόωνΓ
Κλῖνε δ' ἄρα μάστιγα πολὶ ζυγὸν.

*Ipse autem è curru humi desiliit nitido, acclinavit igitur flagellum jugo.* At verò Pollux ad hoc memorat, nescio quas, thecas: Προσθετέον ὅ, ὅτι οὐκ ἐν τοῖς ἅρμασιν ἀπετίθεντο τὰς μάστιγας, ἀλλὰ οἱονεὶ θήκην ἐκαλεῖτο. Vertit Gualtherus: *Notandum quoque, quod non in curribus flagella deposuerint, sed ferè theca quædam appellatur.* Postrema sensum habent nullum. Mallem vertere: *Sed eo, quod quasi theca vocatur.* Cæterum, qualis illa theca, quove in loco fuerit, non declarat, neque discere adhuc aliunde potuimus. Ac videtur, nescio quid, deesse istis verbis, de quo alias deliberabimus. Habenas verò aurigæ, si volebant currere jugalia, & vehiculum celerius incedere, remittebant; Sin ire tardius, vel subsistere, adducebant, sicut alias ostendi. Ac posterius quidem quando faciebant, dicebantur *currum equos ve sustinere.* Lucilius apud Ciceronem lib. XIII. ad Atticum, ep. 21. *Sustineat currum, ut bonus sæpe agitator.* Græcis est ἐπέχειν. Unde ἐποχὴ, quod Cicero *retentionem* vertit. Verba ejus dicto loco: *Carneades retentionem aurigæ similem facit* ἐποχῆ. At verò equi tum dicebantur *strigare.* Unde mula carrucharia Phædri nostri libro III. cap. 7.

*Namque, ubi strigandum est, & ubi currendum, scio.*

Quando autem faciebant prius, *currum* dicebantur *impellere.* Ita Silius lib. XVI. quanquam de multitudine loquens:

*Impellit currum clamor, vocesque faventum.*

Erat

Erat verò longè hoc freqventius altero, cum ferè curſu uterentur concitato cunctis in vehiculis, iis maximè, qvibus vehebantur publicis in viis. Inde velut ſingulare ac inuſitatum notat Seneca in ſuo vehiculo, epiſt. qvod in eo mulæ AMBULANDO tantum teſtarentur ſeſe vivere, neq; curſu properarent ſolito. Sed & muſca hoc intuitu ad mulam carruchariam apud Phædrum noſtrum:

*Quam tarda es, inquit, non vis citius progredi?*

Optimè, *non vis*, & cum increpatione qvadam, velut qvæ officium deſerat ſuum. Neq; opus, ut mutetur, qvando & alii hoc verbo ſic utuntur. Senec. ep. 47. *Vis tu cogitare iſtum, quem ſervum tuum vocas, ex iisdem ſeminibus ortum?* Plinius lib. IX. ep. 17. *Vis tu remittere aliquid ex rupis?* Fuit autem ea currendi conſvetudo vetus: Nam & de Medeæ curru mulisqve Apollonius lib. III. v. 884. ubi egredientem urbe deſcribit; Item mox, cum revertitur, v. 1154.

Θοῦνον ἐπειγόμενοι πολὶ δώμαλα. -- --

*Feſtini proruebant & ad ædes.* Ipſe Homerus ſuis temporibus mulas Nauſicaæ facit currentes Odyſſ. Z.

Αἱ δ' εὖ μὲν τρώχων, εὖ δ' ἁλίσατο πόδεσσιν.

*Illæ ſcitè currebant, & pulchrè penetrabant pedibus.* Erat porro iter vel antrorſum, vel retrorſum. Illud vel in rectum, vel in latera. Retrorſum fiebat ex metu ferè lapſus, aut alterius incommodi obſtaculive, atq; tum *retorquere currus* dicebantur. Virg. XII.

*Averſos toties currus Iuturna retorſit.*

Servius: *Averſos retorſit, pro retorſit & avertit.* Bene, anteceſſit enim retorſio, ſeqvebatur averſio. Qvod ſi averſi currus fuiſſent, non erat opus, ut retorqverentur. Statio diviſim eſt *retro torquere* lib. VI. Theb.

-- -- *Cum fræna ipſosque frementes*
*Oblitus palmæ retro Tyrinthius heros*
*Torſiſſet.* -- -- --

Antrorſum fiebat, cum iter eſſet commodum, nec qvid impediret. Ac primum qvidem in rectum, qvod ferè communiter eſt *currus agitare.* Qvomodo Virgilius lib. III. Georg. de certamine curruli, in qvo itinere recto decurrebant:

*Centum*

*Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

Luciano hoc ὀρθὴν ἐλαύνειν. Ita namq; habet in sæpius laudato Dialogo Jovis & Solis: Εἶπον ὃ καὶ ἡλίκῳ ὁ κίνδυνος, εἰ μὴ ὀρθὴν ἐλαύνοι. *Dixi etiam, quantum periculum foret, si non recta via currum ageret.* Deinde in latus dextrum vel siniſtrum, qvod Latinis *flectere vehiculum.* Livius lib. I. cap. 48. *Flectens carpentum dextra in Orbium clivum.* Sic legendum ibi docuit celeberrimus Gronovius. Et profectò Tullius qvoq; in Verrinis *flectere curru de foro in Capitolium* uſurpavit, qvod non multum discrepat. Homero παραλρέπειν esse videtur, illo versu Il. Ψ.

Ἀντίλοχος δὲ παραλρέψας ἔχε μώνυχας ἵππους
Ἐκτὸς ὁδοῦ. -- -- -- --

*Antilochus autem flectens impellebat ununguIos equos extra viam.* Qvod si cursus in incertum esset orbem, aurigæ currum dicebantur *versare.* Virgilius lib. XII. Æn.

-- -- *Tu currum deserto in gramine versas.*

Servius hoc loco: *Versas, huc atque illuc agis. Homerus* ἕστρεφον. Docet simul, Græcis, nominatimq; Homero, istoc esse στρέφειν. Si in certum, Græcis est περιελαύνειν. Qvod ex Æliano nostro discimus, qvi sic habet de Anniceri lib. II. V. Hist. cap. 27. Ζεύξας τὸ ἅρμα περιήλασεν ἐν Ἀκαδημίᾳ δρόμους παμπόλλους. Ut verò promptius hæc facerent aurigæ, vocem ferè addere solebant, eamqve modò hanc, modò illam, pro negotii diversitate. Docet Claudianus in toto epigrammate de mulabus Gallicis. Imprimis autem ista pulchra sunt & huc pertinentia:

*Læva jubet, lævo deducunt limite gressum,*
*Mutavit strepitum, dexteriora petunt.*

Rectè vocat *strepitum* vocem illam aurigarum, qvia fit peculiari murmure sonove, eoq; alio & alio. Si augendus erat cursus, tollebatur clamor. Unde Homerus Il. Ψ.

Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν, ὁμόκλησέν τ' ἐπέεσσιν.

*Percusseruntque flagellis, clamaruntque verbis.* Statius Theb. VI.

*Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera; Voce*
*Nominibusque cient Pholoen Admetus & Irin.*

Sulpi-

Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Iumenta cum omnia solo fixa ac si æneа signa riguissent, tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde insonantibus nihil penitus movebantur.* Solebant autem aurigæ vel sedere in vehiculis, vel juxta ea ambulare. Insedisse constat vel ex Svetonio, qvi sic habet in Flavio cap. 23. *Mulionem in itinere quodam suspicatus ad calceandas mulas desiliisse.* Non intelligitur desiliisse, nisi qvi sedit antea in vehiculo. Sic apud Homerum Mercurius vehiculum Priami ducturus conscendit. Verba Poëtæ sunt Il. Ω. Ἡι ῥα καὶ ἐπαΐξας ἐριδύπου ἅρμα καὶ ἵππους

Καρπαλίμως μάστιγα ἑλὼν ἡνία λάζετο χερσίν.

*Dixit, & exsiliens Mercurius in currum & equos statim flagella & habenas accepit manibus.* Atq; sic solebant plerisq; in vehiculis, illis maximè, qvibus utebantur in longinqvis itineribus. Sed & in bellicis hoc obtinuit, qvod liqvet exemplo Minervæ apud eundem, Stheneleũ submoventis à vehiculo Diomedis in prælio, ejusq; occupantis locum. Poëta sic exponit Iliad. E.

-- -- Ὁ δ' ἄρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσε

Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παρὰ Διομήδεα δῖον.

*Hic autem* (Stheneleus à curru amotus à Minerva) *confestim desiliit. Hæc verò* (Minerva) *in currum adscendit ad Diomedem nobilem.* Locus verò eorum erat sella prima. Phædrus noster lib. III. cap. 7.

*Sed istum timeo, sella qui prima sedens*
*Iugum flagello temperat lento meum.*

Agere de aurigâ, manifestum est. Ergo sedere illum sella prima facilè colligitur. Dicta porro sella prima numeri respectu credi potest, cum vehiculum haberet plures, sicut ferè habuerunt, qvibus facere itinera consveverant. Atq; hujus explicationis qvidem argumentum certum habemus in imagine, qvam monumentum vetus exhibet, apud Onuphrium propositum in Antiqvitatibus Veronensibus hoc modo:




Qvod si qvis existimet intelligendum esse militare, in qvo tamen mulas junctas alibi non lego, posset prima sella significare primam ejus partem, spectantem ad mulas. Pro sella prima Statius temonem dixit in ejusdem rei memoratione lib. I. Sylv. in Epithalamio, ubi loqvitur de curru Veneris:

*Iungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem*
*Gemmato temone sedet.* -- -- --

Qvomodo & Virgilius ob hanc causam Metiscum, Turni aurigam, facit prolabi à temone lib. XII. Æn.

*Aurigam Turni media inter lora Metiscum*
*Excutit, & longè lapsum temone relinquit.*

Nempe sella prima proxima est temoni, sic, ut ipsi immineat, vel incumbat, qvod ex imagine præcedenti videmus. Ideò & Propertius istum locum *temonem primum* appellavit lib. IV. el. 8.

-- *Ipsa sedens primo temone pependit*
*Ausa per impuros frena movere locos.*

Primus temo non est propriè intelligendus, sicut censent viri summi, ac ob id auriga constituendus in temone; Verum primam ejus signat partem, ubi *pependisse* dicitur, hoc est, leviter innixus fuisse, *sedens* non in temone ipso, verum sella, qvæ vicina primo temoni, hoc est, parti temonis illi, qvæ prima est à vehiculo. Nam *primus temo*

*mo* ita dictus, sicut *prima labra* apud Ciceronem, & sicut apud Valerium Maximum *prima palus*, sive *primus lacus*, lib. I. cap. 4. ubi perperam *proximum lacum* emendarunt, qvod in Notis ad eum ostendetur. Certè etiam in militaribus vehiculis sedisse aurigam, & sedisse prima sella, ante militem seu pugnatorem, docet Curtius lib. IV. cap. 15. qvando ait: *Auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat, hasta transfixus est.* At verò cæteris in vehiculis, præcipuè urbanis, mulierum usibus servientibus, atq; ad splendorem factis, non sedebant, verum ambulabant juxta jugales. Sic enim accipio verba Dionysii Halicarnassei, qvæ habet lib. IV. in historia Tulliæ, Tarqvinii uxoris: Αἱ ἡμίονοι τὸ πλῶμα ἰδοῦσαι διεταράχθησαν, καὶ ὁ ἡνίοχος ἐμὲν & αὐτῶν ὀρεωκόμος & παθών τι ὅπη τὸ τῆς ὄψεως ἐλεεινὸν ἐπέστη. Vertit Gelenius: *Mulis ad cadaveris conspectum territis, ipse quoque auriga commotus est, &, inhibito ad miserabile spectaculum progressu, oculos in Dominam reflexit.* Qvæ obscura sunt & ambigua, cum non appareat, suumne an mularum progressum inhibuerit. Ego propius seqvendo Græca sic expono: *Mulæ, cum spectassent cadaver projectum, perterrefactæ sunt, quique ducebat eas, mulio, commotus ad misericordiam eo spectaculo, substitit.* Ipsum mulionem ait Dionysius substitisse. Qvomodo verò substitisse intelligetur, nisi prius ambulaverit? Atq; ita plane Livius, in eadem historia: *Restitit pavidus, atque inhibuit frænis, qui jumenta agebat.* Item Valerius Maximus: *Is, qui jumenta agebat, succussis frænis constitit.* Ubi nota, ὀρεωκόμον Dionysii ab utroq; verti non *aurigam*, verum *eum, qui jumenta agit.* Aurelio Victori est *mulio*, in vita Seruli, sive alius est Illustrium Virorum vitas scripto prodens: *Mulionem evitantem per ipsum corpus carpentum agere præcepit.* Ad eundem modum ambulans auriga cernitur in nummo veteri Heraclii Imperatoris, qvem vulgavit Lipsius lib. III. de Cruce. Imperator ipse sedet in vehiculo augusto, pedibus ab eqvorum latere incedit auriga, una manu frena, altera flagellum tenens. Similiter ambulantem exhibet pictura vetus in Notitia Imperii prope eqvos in carrucha Præfecti Urbis. Neq; aliud voluisse videtur Seneca ep. 87. qvando de mulione illius vehiculi, qvo ipse faciebat iter: *Mulio excalceatus non propter æstatem.* Certè alias excalcea-

tos fuisse ostendit propter æstatem, qvibus suum hunc opponit. At si propter æstatem, consequens videtur, qvod non sederint, sed ambulaverint, cum sedentibus in vehiculo calcei non potuissent esse molesti. Et hoc qvidem munus fuit aurigarum. Ipsi generis vilissimi plerumq; extiterunt, ac sæpissimè servilis. Unde Martialis lib. XI. *Mulio viginti venit modò millibus Aule.*

Et Labeo in l. 60. ff. Locati: *Servum meum mulionem conduxisti.* Liqvet, habuisse servos muliones, eosq; non sibi solum, sed & aliis, qvos certo pretio elocabant. Eratq; hoc freqventissimum, præsertim in urbe, propter freqventissimum vehiculorum usum. Qvare qvoq; inter ministeria urbana numeravit Paulus l. 99. ff. de Leg. 3. *Muliones*, ait, *de urbano ministerio sunt.* Erant tamen aliqvando & liberi, varièq; suam operam elocabant aliis. Hinc *quartarii* nonnulli dicti, de qvibus Festus: *Quartarios appellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quæstus capiebant.* Non ostendit, cujus qvæstus partem qvartam cœperint. Sed verisimile videtur ejus intelligere, qvem faciebant, qvi elocabant mulas. Apud Senecam in ludo Claudii sunt *perpetuarii*, joco, ut existimant, confecti. Qvanqvam nil prohibeat sic vulgo dictos credere, qvi statis temporibus faciebant iter ex Galliis in Italiam per totum annum. Cum præsertim memoret hic Lugdunenses & Lugdunum, qvo freqventer solenniterq; contendisse etiam ex Claudiano colligitur. Aliqvando hoc negotium obibant etiam, qvi in magna erant dignitate. Sic profectò apud ipsum etiam Homerum Nausicaa, apud Apollonium Medea mulas regunt. Dionysius Siciliæ tyrannus, cum ad eum venisset Platò, ipse vehiculum duxit, cui habuerat impositum. Ælianus noster lib. IV. Hist. Var. cap. 18. Καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ὁπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος, αὐλὸς μὲν ἡνιόχων, παραιβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Ἀριστόνου. *Et sustulit eum in currum Dionysius junior, ipse habenas regens, Aristonis verò filium faciens sessorem.* Heliogabalus Imperator τάς τε θεὰς αὐτοῦ ἐπὶ ἅρματος χρυσοῦ ἐλεφαντίνοις ἐξαζύγοις ἵπποις ἀναβιβάσας αὐλὸς ἡνιόχει, ait Joannes Antiochenus, hoc est, *Deorum suorum simulacrum aureo impositum vehiculo trahentibus equis sejugibus eximii candoris deducebat, ipse aurigam agens.* Qvin imò ipsa Juno ita ducit Minervam,

vam, & Minerva Diomedem, apud supra laudatum Homerum Il. E. Nec fortasse mirum est, cum inter artes non profectò minimas aurigatio numeraretur. Liqvet exemplo Anniceris, de qvo Ælianus noster lib. II. Var. Hist. cap. 27. Ἀννίκερις ὁ Κυρηναῖος ἐπὶ τῇ ἱππικῇ μέγα ἐφρόνει καὶ ἁρμάτων ἐλάσει. *Anniceris Cyrenensis ob artem equitandi & regendi currus multum superbiebat.* Fuit hic Anniceris Philosophus, & tamen arte ista sese ostentavit, qvod non potest credi fuisse facturus, nisi vulgo artem magnam & laudabilem existimassent. Neq; sanè dubium, præsertim de aurigatione illa, qva in Circo ludisve aliis currulibus utebantur. De qva loqvens Nestor etiam apud Homerum Il. Ψ.

Μήτι δ' ἡνίοχος περιγίνεται ἡνιόχοιο.

*Arte auriga superat aurigam.* Nec ambigit vir ætate usuq; rerum spectatissimus, hanc artem ipse ibi docere filium suum, perqve hoc propriam illius ostendere peritiam. Qvin imò ne postea qvidem longo tempore celebrari desierunt aurigæ istiusmodi, ornariqve palmis præmiisq; aliis. Svetonius de Domitio, abavo Neronis, cap. 3. Ner. *Domitius non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello.* Nero ipse censeri voluit hac arte, qvod post etiam alii fecere Cæsares. Et fortasse fuit non omnino contemnendum, qvod fecisse Annicerin memorat Ælianus: Περιήλασεν ἐν Ἀκαδημίᾳ δρόμους πολλοὺς, οὕτως ἀκριβῶς φιλάτλων τὸν δρόμου τὸν στοῖχον, ὡς μὴ παραβαίνειν τὰς ἁρμαλοιχίας, ἀλλ' ἀεὶ καθ' αὐτῶν ἰέναι. *In Academia circumvectus est multis vicibus, tanta cura custodiens curriculi vestigia, ut non egrederetur orbitas, sed iisdem perpetuò inhæreret.* Lucianus rem eandem commemorans in Encomio Demosthenis sic ait: Φασὶν τὸν Κυρηναῖον ἁρμαλήλασίαν ἐπιδείκνυσθαι, πολλοὺς πρὸ τοῦ ἐν Ἀκαδημίᾳ ἐξελαύνειν δρόμους, ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἁρμαλοιχίας ἅπαντας, μηδὲν παραβάντα, ὥστε ἑνὸς δρόμου σημεῖα εἶναι τῆς γῆς ὑπολειπόμενα. *Ajunt Cyrenensem demonstrantem aurigandi peritiam multos ante Academiam flexus, omnes in eadem orbita, nec ullatenus exerrans, ut unius tantum itineris in terra vestigia relinquerentur.* Δρόμος hic uterq; vocat vehiculi incessus sive cursus. Ἁρμαλοιχίας verò, vias in terra. Apud Hesychium compendiosiori scriptura sunt ἁρμαλοχίαι. Ita namq; habet: Ἁρμαλοχίαι,

τροχίαι, αἱ τῶν τροχῶν ἐν τῇ γῇ ἀποχαράξεις. *Harmatrochiæ sunt rotarum in terra notæ.* Latini *orbitas* appellavere proprio vocabulo. Glossæ veteres: Ἁρματοδρομία, ἡ χάραξις τοῦ τροχοῦ, *orbita.* Asconius ad Verrinam III. *Orbita, vestigium rotæ.* Quod χάραξιν Glossarum auctor, Hesychius ἀποχάραξιν, id Asconius *vestigium* interpretatur. Atq; ita Isidorus: *Orbita, vestigium carri, ab orbe rotæ dicta.* Sensit & Ovid. II. Met. f. 1. *Hac sit iter, manifesta rotæ vestigia cernes.*

Sunt & τροχιαί. Hesychius: Τροχιαί, αἱ τῶν τροχῶν χαράξεις. Per hæc igitur vestigia orbitasq; perpetuo tenore incedere, Anniceris exemplo, res erat non cujuslibet, sed exercitati, artemqve edocti, qvam Ælianus ἔλασιν ἁρμάτων, Lucianus junctim ἁρμαλλασίαν appellavit. Ut nunc nihil dicam de cæteris, qvæ peculiariter in Circo ludisve similibus observari debebant. Qvibus omnibus haud dubie Anniceris valebat, cum præsertim esset Cyrenensis, Cyrenensesq; arte hac ante alios populos præstarent. Maximus Tyrius Dissert. VII. Παιδεύματα Κρητικὰ, θῆραι, ὀρειβασίαι, τοξεῖαι, δρόμοι. Τὰ Θετταλὰ, ἱππικὴ. Τὰ Κυρηναϊκὰ, διφρεῖαι. *Instituta Cretica, venari, superare montes, sagittare, currere. Thessalica, equitare. Cyrenaica, aurigare.* Pari modo Stephanus in Βοιωτία ex Ephoro: Ἔφορος δέ φησιν, ὅτι Κυρηναῖοι περὶ τὸ διφρευτικὴν ἐπιστήμην ἠσχόλησαν. *Ephorus ait, quod Cyrenenses circa scientiam currulem fuerint studiosi.* Ubi nominat διφρευτικὴν ἐπιστήμην, qvæ ἔλασις ἁρμάτων atq; ἁρμαλλασία cæteris scriptoribus. Putabatur autem ars hæc inventa primum à Minerva, traditaq; Barcæis. Ita namq; Hesychius in Βαρκαίος ex Mnasea: Τὸ ἡνιοχεῖν ὑπὸ Αθηνᾶς ἔμαθον, ὡς Μνάσεας ἐν τοῖς περὶ Λιβύης. *Aurigandi artem didicerunt à Minerva, ut ait Mnaseas in libris de Libya.* Pari modo Stephanus in Βάρκη, qvi & ipse habuit ex Mnasea, ut videtur: Ἡνιοχεῖν ὑπὸ Αθηνᾶς ἔμαθον. *Aurigandi artem verò à Minerva didicerunt.* A Barcæis venisse ad Cyrenenses Libyasq; cæteros videtur. Nam & Barce vicina est Cyrenes. Unde Sylius lib. III. conjungit:

-- -- *Barce sitientibus arida venis,*
*Nec non Cyrene.* -- -- --

Et Barcæum idem, qvod Libycum. Suidas: Βαρκαίοις, Λιβυκοῖς. Βάρκη δὲ πόλις Λιβύης. *Barcæis, Libycis. Nam Barce urbs Libyæ.* Sed & currus

Barcæi

Barcæi dicti, qvi alias Libyci. Hesychius: Βαρκαίοις ὄχοις, Λιβυκοῖς. Qvod eruditissimus Bochardus vidit jam ex Sophoclis Electra didicisse. Qvanqvam autem aurigarum munus viri aliqvando magni obirent ipsi, tamen in vehiculis plerisq; hoc negotium committebatur aliis, iisq; ferè vilioribus. Cæterum, aurigæ qvando ex qvacunq; causſa omittebant munus suum, aliorum ritu arma sua, id est, lora, flagella, pectines, & id genus, suspendebant Diis, Castori præsertim & Polluci, donaria. Qvod discimus ex parodia veteri, qvæ est inter Catalecta Virgiliana de Sabino, ubi Poëta:

*-- -- Propter hoc novissimum*
*Paterna lora, proximumque pectinem.*
*Sed hæc prius fuere, nunc eburnea*
*Sedetque sede, seque dedicat tibi,*
*Gemelle Castor, & gemelle Castoris.*

Scaliger τὸ *proximum* suspectum habet, atqve *ploximum* substituit. Neqvicqvam, ut opinor, qvando *ploximumque pectinem* non possunt cohærere. Præterea hic *proximum* perinde videatur positum, ut superius *novissimum*. Qvi verò vehebantur in vehiculis, Græcis παραιβάται sunt, qvemadmodum ex Æliano cernimus. Nam is usurpavit non de iis, qvi utuntur curru bellico, qvod Poëtæ ferè faciunt, sed de aliis qvibuscunqve. Atq; ad hunc modum Hippodamum παραιβάτην nominat & Apollonius lib. I. v. 754. Dionysio Halicarnassensi lib. VII. sunt παροχούμενοι; Aristophani simpliciter ὀχούμενοι in Pluto. Aliis dicuntur ἔποχοι. Hesychius: Ἔποχος, ὁ ἐπὶ τοῦ ὀχήματος. Ἔποχοι, οἱ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων διαβαίνοντες. Latini una voce non appellant. Vitruvio lib. X. cap. 14. sunt *sedentes rheda*. Ciceroni *vehentes curru*, qvi sic habet in de Clar. Or. *Sed in te intuens, Brute, doleo, cujus in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehentem transversa incurrit fortuna*. Hi cum itineris faciendi causſa eniterentur in vehiculum, dicebantur *conscendere*. Ovid. III. Trist. el. 8.

*Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum.*

Svetonius usurpavit *adscendere* cap. 2. Tiberii: *Fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est*. Plautus etiam *inscendere* in Asinaria, ubi ait: *Quadrigas si nunc*

*nunc inſcendas Iovis, atque hinc fugias, &c.* Græcis hoc eſt ἐπιβαίνειν ὀχήματος. Lucianus in Somnio: Ἐπίβηθι τούτου τοῦ ὀχήματος. Herodianus lib. IV. cap. 12. Τῷ ἅρματος ἐπιβαίνοντι προσκομίζουσι, &c. At Homerus etiam ἐμβαίνειν ὀχήματι uſurpavit, Il. E.

Ἵπποισίν μ' ἐκέλευε καὶ ἅρμασιν ἐμβεβαῶτα.

Lucas ἀναβαίνειν maluit Actor. cap. 8. Παρεκάλεσέ τε τὸν Φίλιππον, ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ. Qvod ſi non ſua, verum aliena ope vel licentia veniebant in vehiculum, *tolli* dicebantur. Cic. III. de Nat. Deor. *Sol in currum Phaëtontem filium ſuſtulit.* Sic Horat. II. ſat. 6.

-- -- -- *Quem tollere rheda*
*Vellet iter faciens, & cui concredere nugas.*

Et Ovidius Faſtorum lib. VI.

*At Dominus, discedite, ait: plauſtroque morantes*
*Suſtulit, in plauſtro ſirpea lata fuit.*

Græcis hoc ἀναβιβάζεσθαι. Lucianus in Dial. Sol. & Jov. Ἀναβιβασάμενος ἐπὶ τὸ ἅρμα, ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρεὼ βεβηκέναι αὐτόν. Micyllus ita vertit: *In currum impoſitum ſubmonui, quo pacto oporteret inſiſtere viæ.* Verum ἀναβιβασάμενος non eſt *impoſitum*, nec ad Phaëtontem refertur, ſed ad Solem. Qvare mallem: *Tollens verò ipſum in currum, &c.* Philoſtratus pro eo uſurpavit ἀναθέμενον. Sic enim loqvitur in vita Dionis: Τραιανὸς ἀναθέμενος αὐτὸν ἐς τὰ χρυσᾶ ἅμαξαν, &c. Æliano noſtro eſt ἀνάγειν ἐς vel ἐπὶ τὸ ἅρμα. Verba ejus lib. IV. cap. 18. Ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νεανίσκος Διονύσου. Jam, poſtqvam conſcendiſſent, currum dicebantur *occupare.* Ovidius II. Met. 2.

*Occupat ille levem juvenili corpore currum.*

Occupat hic non eſt conſcendit, verum tenet, qvod ex eo liqvet, qvia currus levis dicitur corpore ipſius, etiam dum occupat. Non autem levis gravisve dici poteſt currus hoc reſpectu qvidem, niſi corpus comprehendat. Livius pro eo dixit *vehiculo ſedere.* Verba ejus lib. I. cap. 34. *Ei carpento ſedenti, cum uxore, aquila ſuſpenſis demiſſa leniter alis pileum auſert.* Cicero addit præpoſitionem lib. V. Att. 8. *Hanc epiſtolam dictavi, ſedens in rheda.* Græcis eſt καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος. Lucas loco ſuperius laudato: Ἦν τε ὑποστρέφων, καὶ καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος. Iter porro erat vel tardum, vel concitatum. In

illo

illo dicebantur *ingredi*. Tac. XII. Ann. 42. *Carpento Capitolium ingredi, qui mos est Sacerdotibus*. Svet. Tib. cap. 9. *Quas ob res ovans, & curru urbem ingressus est*. In hoc *volare*. Cicero pro Rosc. *Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavi*. Item *rapi*. Plaut. Pœnulo I. s. 2. *Ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi*. Juvenal. s. VIII.

-- *Volucri Carpento rapitur pingvis Lateranus*. --

*Vehi* ad utrumq; genus pertinet. Inde habes apud Tullium Philipp. II. *Cisio celeriter ad urbem vectus*. Et apud Ovid. IV. Trist. el. 2.

*Hos super in curru Cæsar victore veheris*.

*Portari* dixit Cornelius Nepos in Phocione cap. 4. *Cum propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculoque portaretur*. Qvin imò aliqvando ipse currus vehere qvem dicebatur. Ovid. Fast. I.

*Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant*.

Qvod si via salebrosa esset, vel alias accideret, ut è vehiculo dejicerentur, *excuti* dicebantur. Ovid. XV. Met. f. 1.

*Excutior curru*. -- -- --

Item *versari*. Jul. Firmicus lib. VIII. cap. 17. *Aut vehiculo versatus vel enervatus interibit*. Currus verò ipse *everti*, sive id fieret hominis vel aurigæ culpa, qvomodo ait Ulpianus loco alias laudato: *Si cisiarius, dum cæteros transire contendit, cisium everterit*: sive vitio eqvorum, qvomodo ait Curtius lib. IV. cap. 15. *Equi crebra jactatione cervicum etiam currus everterant*. Ac posterius qvidem τρέφειν vel τρέφειν Græcis. Ita namq; reddunt Ulpiani verba Basilicorum Auctores: Εἰ ἅμαξάρι τῷ τρέψῃ τὸν ἅμαξαν. Prius verò ἐκκυλισθῆναι. Homer. Il. Ψ.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο πεσὼν τροχὸν ἐξεκυλίσθη.

*Ipse verò ex curru juxta rotam excussus est*. Luciano est ἐκδιφρεύειν. Verba sunt de Phaëtonte in Dial. Jovis & Solis: Ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ, ἵνα περ' ἔπεσεν ἐκδιφρευθείς. *Iuxta Eridanum, quo loco decidit curru excussus*. Ne qvid verò tale fieret, aurigæ præsertim qværebant vitare, votis etiam conceptis, imploratisqve Diis semitalibus, qvi viarum & itinerum habere curam credebantur. Huc alluśit auctor Parodiæ veteris de Sabino, qvæ est inter Catalecta, ubi inter alia de Sabino auriga sive mulione:

*Neque ulla vota semitalibus Deis*
*Sibi esse facta.* -- --

Cæterum, ad conscensum viri ferè utebantur saltu. Ausonius epigramm. 8. *Vel cisio trijugi, si placet, insilias.* Virgilius lib. XII. Æn.

-- -- *Saltuque superbus*
*Emicat in currum.* -- --

Neq; aliter intelligendus est Homerus Iliad. Ω. ubi agit de Mercurio vehiculum Priami conscendente loco aurigæ:

Η, καὶ ἐπαΐξας ἐριάνι ἅρμα καὶ ἵππους.

Est enim ἐπαΐξας, ἄΐξας ἐπὶ τὸ ἅρμα, ut Eustathius exponit, qvod non est *irruens*, ut vertunt vulgo, verum plane *insiliens*. Qvomodo Plutarchus habet in Pompejo: Ἐπὶ ὃ Πομπήϊον εὐθὺς ἄΐξας. At verò fœminæ videntur habuisse scalas. Plutarchus in de Adulat. οὐδὲ τὰς ἐν Κύπρῳ κολακίδας ἐπεισὶν διέβησαν εἰς Συρίαν, κλιμακίδας προσαγορευθείσας, ὅτι ταῖς γυναιξὶ τῶν βασιλέων ἀναβαίνειν ἐπὶ τὰς ἁμάξας δι' ἀὐλῶν ὑποκαλακινόμεναι παρεῖχον. *Neque adulatrices Cyprias, quæ, postquam in Syriam transiverunt, climacides* (qvasi scalares diceres) *appellatæ sunt, quod Regum uxoribus vehicula conscendere volentibus se substernerent, adscensumque eis præberent.* Sanè, nisi scalas qvasdam habuissent vulgo, saltem delicatiores fœminis istis scalariarum nomen indi non videtur potuisse. Tempus conscendendi, maximè in meritoriis vehiculis, significabat mulio virgæ aut flagelli crepitu. Juvenalis respexit sat. III. istis verbis: *Sed jumenta vocant, & Sol inclinat; eundum est.*
*Nam mihi commota jam dudum mulio virga*
*Adnuit: ergo vale, nostri memor.* -- --

Jam sicut adscendebant viri saltu, ita saltu descendebant qvoqve. Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. de militibus vectis rheda fiscali: *Qua permoti injuria militantes, præcipitatis in terram saltibus, se dederunt.* Ovidius lib. XII. Met. f. 3.

*Tum verò præceps curru fremebundus ab alto*
*Desiliit.* — -- -- --

Pariter legas apud Homerum Il. Ψ.

Αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε παμφανόωντα.

*Ipse*

*Ipse autem è curru humi desiliit nitido.* Similiter Il.E. de Sthenelo:

-- -- Ὁ δ' ἀρ' ἐμμαπέως ἀπόρουσε.

*Hic autem confestim desiliit.* Et hi qvidem sunt præcipuè, ad qvos res currulis pertinet. At qvi currus fabricant, sunt *carpentarii.* Mentio eorum in notitia artificum urbis Romæ, qvæ proponitur in l. C. de Excusatione artificum. Unde simul patet, alios hos esse carpentarios, alios illos, qvos superius commemoravimus. Certè, qvomodo aurigæ inter architectos, medicos, pictores, statuarios, marmorarios, & id genus, numerari qveant, non dispicio. Ita ergo erunt, qvi Polluci ἁρμαλοπηγοὶ & ἁμαξοπηγοὶ. Verba ejus: Καὶ ἁρμαλοπηγὸς ὃν καθ' Ὅμηρον προσήκοι ἂν τεκτονικῇ καὶ ἁμαξοπηγὸς εἴποις. Homeri locus, ad qvem respicit, est Il. Δ. ubi Scholiasti veteri exponitur, ἅρμαλα συμπηγύων. Hesychius: Ἁρμαλοποιὸς, τέκτων, ἢ ἁρμαλοπηγός. Suidas nominat ἁμαξεργούς. Verba ejus: Ἁμαξεργοί. Ἁμαξεργοὺς λέγουσι τοὺς ἀγριοπηγούς. Εἴδωλον οἱ ἀγριοπηγοὶ τεκτόνων, οἳ τὰς ἁμάξας κατασκευάζουσι, καὶ πάντων τῶν ἀγρίων ξύλων εἰσὶν ἐργάται. Ubi nota, etiam vocatos esse ἀγριοπηγούς, qvod feras distortasq; cunctas arbores in usus suos converterent. Qvanqvam fortè carpentarius sit propriè, qvi carpenta facit, qvomodo *trigarius,* qvi trigas, *cisiarius,* qvi cisia, qvorum itidem vocabula in notitia illa leguntur. Verba sese habent isto modo: *Carpentarii, sculptores, dealbatores, cusores, trigarii, cisiarii, bractearii, &c.* Omnes mea opinione sunt artifices, qvi fabricare pertinentia ad currus consveverunt. Nam & sculptores sculpebant, & dealbatores pingebant, & cusores armabant ære ferrove, & bractearii inducebant ebore, argento, auro. Carpentariorum mentio etiam in l. 31. lib. VIII. t. 5. Cod. Theod. ex qva liqvet, certos ad cursum publicum destinatos fuisse, habuisseq; vestem & annonas ex publico. Num & habuere, qvi peculiari arte onerarent, sicut hodie habere solent? Certè non cujusvis est, diversi præsertim generis, onera sic in vehiculo componere, ut & firma jaceant, & pondere suo cursum vehiculi laboremqve jumentorum promoveant. Qvare non magnopere dubitare possum. Qvanqvàm sæpe ipsi facerent plaustrarii. Unde apud Ulpianum lege Aqvilia tenetur plaustrarius, *si malè composuit lapides, & ideò lapsi sunt è plaustro,* l. 22. ff. ad L. Aqvil. §. 33. Memoratur in ve-

tuſtis Gloſſis aliqvis ζευκτὴς, vertiturq; *junctor*, forſitan, qvod in jungendis mulis ad vehiculum præſtaret ſuam operam. Nam & in alio Lexico titulo de artificibus legitur: *Iunctor*, ζευκτὴς. Apud Columellam lib. I. cap. 6. *jugarius* videtur: *Lata bubilia eſſe oportebit pedes decem, vel minimè novem, quæ menſura & ad procumbendum pecori & jugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat.* Hic jugarius videtur eſſe, qvi adjungit boves jugo. Niſi malis capere pro eo, qvi jugarios boves curat. Qvomodo jugaria fuit Juno, qvæ jugatos ſive conjugatos curare homines putabatur. Pertinent huc qvoqve, qvi Latinis dicti *veterinarii*, à veterinis, id eſt, jumentis, qvæ qvaliacunq; vehunt onera. Nam Cato generaliter exponit apud Feſtum. Feſtus ita dicit: *Veterinam beſtiam jumentum Cato appellavit à vehendo.* Paulò qvidem aliter Opilius eodem loco: *Opilius veterinam dici putat, quaſi venterinam vel uterinam, quod ad ventrem onus religatum gerat.* Loqvitur haud dubie Opilius de jumentis non vehicularibus, ſed clitellariis; Solebat enim onus impoſitum clitellis religari uno fune ad ventrem, altero ad uterum ſive imam ventris partem, ſicut hodieq; receptum eſt in mulis clitellariis. Sic veterina beſtia non erit curilis, aut jugata. Verum latius interpretatur Cato, & invenias apud Philoxenum, *veterina beſtia*, ὑποζύγιον, qvod propriè ſignificat eam, qvæ ſub jugum mittitur, hoc eſt, vehiculo adjungitur. Juvat qvoq; Plinius lib. XVII. cap. 23. qvando de ipſis: *Namque ut veterina à jugo volutatio juvat.* Nam volutatio à jugo eſt, qva ſe volvunt in pulvere, poſtqvam liberata ſunt à jugo. Non autem liberata à jugo intelliguntur, niſi qvæ prius ſub jugo fuerunt. Ab his ergo veterinis ſunt veterinarii, qvi jugalium hujusmodi gerunt curam. Meminit eorum Columella lib. XI. cap. 1. *Nam & arator reperitur aliquis bonus, & optimus foſſor aut fœnî ſector, nec minus arborator & vinitor, tum etiam veterinarius.* Ubi videtur intelligere eum, qvi qvocunq; modo notitiam habet bonam veterinorum, eaq; ſcit probè curare. Qvanqvam ferè alibi accipiat ſpecialiori notione pro jumentorum medico, nec jumentorum modò, ſed & pecoris cujuslibet. Unde lib. VI. cap. 8. agens de boum qvodam morbo, unde faſtidium eis oritur: *Vitioſa incre-*

*menta*

*menta linguæ, quas ranas veterinarii vocant.* Et lib. VII. cap. 5. ubi agit de morbis ovium: *Ovem pulmonariam similiter & suem curari convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant.* Alias sunt *mulomedici.* Jul. Firmicus lib. VIII. cap. 13. *Hoc Oriente qui natus fuerit, aut erit auriga, aut equorum nutritor & cultor, vel eorum exercitator, aut mulomedicus vel equitiarius.* Hinc habes crebrò eorum mentionem in Cod. Theodosiano inter ministeria cursus publici. Ut, l. 31. *Nec mulionibus, nec carpentariis, nec mulomedicis, cursui publico deputatis.* Græcis sunt ἱππιάτροι. Glossæ veteres titulo de Divitiis: *Mulomedicus,* ἱππιάτρος.

## Cap. XVIII.

## De vario vehiculorum usu.

*Vsus vehiculorum generalis. Initio adhibita in agris. Plaustrum inter sydera. Post in itineribus. Mulieres potissimum vehiculis quondam usæ, post promiscuè adhibita. Romæ ad hoc rhedæ meritoriæ. Harum usus rarus ad portanda onera. Vehicula sacra Deorum, ut quadrigæ Iovis. Livius emendatur. Item Solis. Thensæ. Alia. Ficta Poëtarum vehicula Iovis, Iunonis, Saturni, Rheæ, Neptuni, Protei. Natalis Comes atque Erythræus notantur. Martis. Demsterus notatur. Veneris, Dianæ, Plutonis. Color cæruleus. Cereris, Bacchi, Solis. Sol quadrigas primum invenisse credebatur, & quare. Natalis Comes iterum notatur. Currus Auroræ. Aurora pro Sole. Gyraldus rejectus, & emendatus Fulgentius, ac Hyginus. Currus Lunæ. De Ausonii loco nova sententia. Iuvencæ. Currus Noëtis. Vehicula Olympica & Circensia. Quibus Diis dicata fuerint. Tertullianus explicatus, ejusque vetus lectio defensa. Equus venetus, prasinus. Vehicula vera Diis consecrata. Quædam ad verorum effigiem in fastigiis ædium sacrarum collocata. Vehicula ad portandas res sacras in pompa Circensi & Bacchi. Ad gestandos Sacerdotes. De sensu Taciti suspicio. Vehicula Regum apud gentes multas, aliorumque honoratiorum. Romæ Præfecti Prætorii & urbis, Vicarii urbis, Consulum, Senatorum. Gellii locus expensus. Currus ob præclara merita.* Ἅρμα *pro equo. Currus Victorum Olympicorum, Triumphantium. Currus ob animi constantiam, & fidem. Currus honoris caussa missus ob viam. Recepti ab aliis in currum*

*ob honorem. Currus datus ob sexus reverentiam matronis, item Sponsæ in nuptiis. Brissonius notatur. Currus ænei, marmorei, & id genus, honoris gratia, decreti Triumphantibus, eis quoque, qui publicum præbuissent munus, quales simul curru vecti per Circum. Currus honorarii alii, etiam cum elephantis. Currus ludicri in Abaco. Currus ad comœdias, medicinam.* Ἁλρὸς ἐπιδιφρι. *Ad litterarum deportationem. Diploma ei rei. Cursus vehicularis non est idem cum angariis. Veredi. Vehicula domicilii & habitationis. Iustini lectio defensa. Plinius emendatus. Vehicula cubiculorum vice. Vehicula ad exercitationes corporis, gestationes in porticibus. Vehicula ad recuperandam valetudinem. Ad sublevandas membrorum infirmitates, pedum, oculorum, ætatis. Ad deportandos defunctos honoris gratia, vel minuendos sumptus, vel ad contumeliam, vel ob necessitatem ex multitudine funerum, aut longinquitatem viæ. Currus ad supplicia. Trahi, discerpi quadrigis. Hercules num auctor hujus rei.* Πῶλοι, *equi. Lipsii emendatio Senecæ rejecta. Comminuti plaustris. Rotæ supplicium. Gallicula. Barthius notatur. Rota Græcanica longè alia, quàm Germanorum. Erasmus, Frischlinus, Rhodiginus notati. Ignis & flagella cum rota. Vehiculis impositi per infamiam. Vehicula ad prælia.* Διφρίαι *variæ, quidque notent. Pollux explicatur. Persica, Libyca, Cyrenaica* διφρία. *Vehicula in munimentum castrorum, ad securitatem itinerum, defensionem in pugna, portationem machinarum, & armorum militarium, superanda flumina, excludendos hostes à persecutione diuturniori, & id genus.*

USus vehiculorum in humana vita fuit varius & multiplex. Unus generalis ad portanda onera, transferendaq; ea de loco uno in alium. Sed cum ea onera non sint generis unius ejusdemqve, inde nati usus alii aliiq; pro diversitate finium, ad qvos ea onera referebantur. Primum omnium in agris usurpata videntur ad expedienda opera rustica, qvæ carere neqveunt subsidio vehiculorum. Ac fortassis hæc est caussa, qvod in cœlos ipsos astraqve transtulerint. Nam qvod sydus ursam vulgo nuncupant, id initio plaustrum est vocatum. Mansitq; illa appellario apud gentes ferè omnes, omnium saltem gentium agrestes rusticosve, qvos primos observasse sydera

dera propter cultum agrorum non est vero alienum. Hyginus lib. II. Poët. Astr. in Arcto minori: *Majorem arctum complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græcè appellarunt.* Et post pauca: *Initio qui sidera perviderunt, & numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non arctum, sed plaustrum nominaverunt.* Plaustrum ergo sydus illud non Latinis modò antiqvissimis, sed & Græcis, qvi vocarunt ἅμαξαν. Idem Arabes & Hebræi vetustissimi fecere, ut testatur Scaliger ad Manilium, neqve alia est consvetudo gentium Germaniæ magnæ omnium mirabili consensu. Adeò non potest dubitari de antiqvo hujus rei usu. Post vehicula videntur usurpata in itinere. Plaustris sanè seu vehiculis Jacobum, patrem suum, & uxores fratrum liberosq; ad se adduci ex Mesopotamia in Ægyptum curasse Josephum legimus Gen. XLVI. Qvo tamen ex loco colligat fortasse qvispiam, nec ineptè, mulierum olim senumqve usui potissimum fuisse destinata, viros juvenesqve pedibus plerumq; iter consveviſſe facere. At seqventibus temporibus promiscuè cesserunt omnibus. Ita Naaman Syrus vehiculo facit iter in Judæam, de qvo lib. IV. Reg. cap. 5. *Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæ.* Similia legimus de Thesaurario Candacis, Reginæ Æthiopum, in Actis, cap. 8. *Et revertebatur sedens super currum suum.* Vel, ut Græca habent, καθήμενός τε ἐπὶ τοῦ ἅρματος αὐτοῦ. Eadem Græcorum fuit consvetudo. Nam vehiculo & Pisistratus profectus est in prædia vicina teste Herodoto lib. I. & Triptolemus totum ferè orbem pervagatus, qvod Hyginus docet. Latini vehiculis freqventissimè sunt usi ad itinera, viri fœminæqve. Tarqvinius mox circa initia urbis ab Sabinis Romam proficiscitur *carpento sedens cum uxore*, qvæ sunt Livii verba. Neq; aliter deinde factum. Cicero de se ipso lib. V. ad Attic. epist. 17. *Hanc epistolam dictavi sedens in rheda, cum in castra proficiscerer.* Adde lib. VI. ad Attic. ep. 1. ubi habet paria de Vedio. Plinius qvoq; de se lib. X. epist. 26. *Nunc destino partim onerariis navibus, partim vehiculis provinciam petere.* Ac habebant ideò recentioribus temporibus Romæ atq; alibi, qvi rhedas & id genus elocarent eo fine sub mercede, qvæ proinde *meritoria vehicula* nuncupabantur. Svetonius in Julio

cap.

cap. 50. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expetitus meritoria rheda, centena passuum millia in singulos dies.* Et in Caligula cap. 39. *Quicquid instrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetiit, comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis.* Tanqvam singulare qvid commemorat, qvod vehiculis meritoriis sit usus Cajus ad deportationem instrumenti ejus. Nempe alias non ad res, sed homines, nec gestationem, sed profectionem pertinebant. Cæterum, ut hi duo modi primi antiqvissimiq; fuerunt, qvibus constitit vehiculorum usus, ita postea divisi sunt in varias multiplicesq; species pro diversitate negotiorum pertinentium vel ad pacem, vel ad bellum. Ac in pace qvidem primum vehicula usurpata in sacris, tributaq; Diis ipsis. Tale ἅρμα Διὸς ἱερὸν, *currus Iovi sacer*, apud Herodotum lib. VII. qvem religione summa colebant Persæ, inq; itineribus & expeditionibus secum habebant Reges. Curtius lib. III. cap. 3. in pompa Darii: *Currum deinde Iovi sacratum albentes vehebant equi.* Ubi nota eqvos albos in hoc curru solennes. Atq; sic receptum fuit etiam aliis, maximè Romanis. Ideò vitio Camillo datum, qvod hoc genere eqvorum usus esset in vehiculo triumphali, tanqvam æmulatione qvadam Jovis, ἱερὸν γὰρ ἡγεῖτο τὸ τοιοῦτον ὄχημα τῷ βασιλεῖ & πατρὶ τῶν θεῶν, *sacrum enim tale vehiculum habent Deorum patri & Regi*, ut Plutarchus in Camilli vita loqvitur. Livius lib. V. cap. 23. de eadem re: *Curru equis albis juncto urbem invectus: Parumque id non civile modò, sed humanum etiam visum. Iovis Solisque equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant.* Ostendit & ipse, albos eqvos proprios putatos Jovi. Verum nescio, an integra sint loci hujus verba. Cui enim hic æqviparatur Dictator? Utrum eqvis? Qvomodo? Nec enim intelligitur, imò ne qvidem eis Livius æqviparatum voluit, sed Jovi. Qvare illud *equis* non est casus tertius, sed ultimus. Jam si casus ille ultimus, oratio non est integra, qvia nihil est, qvod τῷ *æquiparatum* respondeat. Qvare puto Livium scripsisse, *Iovi Solique equis æquiparatum.* Fuit nempe vocabulo *Iovi* adnexum *s* ex seqventi voce *Soli*, & qvia in secundo casu cœpit legi, etiam vocem Soli eo casu putarunt collocandam. Cæterum, ex verbis Livii apparet, etiam Soli currum Romanos tribuisse,

isse, eumq; pariter cum eqvis albis. Ubi verò currus hos habuerint, non liqvet. Mihi verisimile videtur, respexisse ad eos, qvos circumducebant in pompa Circensi, atq; thensas alias vocabant. Sanè *thensa Iovis* legitur apud Svetonium in Vespasiano, & ὀχὸς τῆς Ἀθήνας, id est, *thensa seu vehiculum Minervæ*, item ὀχὸς Ἄρεως, id est, *thensa seu vehiculum Martis*, apud Dionem in Circensi pompa. Sed & Dii reliqvi Deæqve, nec non Heroës, & ex hominibus in Deorum numerum relati, sua in Circensi pompa habuisse vehicula compertum est. Qvale qvid ne Græcis qvidem plane incognitum fuisse videtur, qvum & Ptolomæus Philadelphus in pompa sua Bacchum aliosq; Deos sic traduxerit, ut apud Athenæum lib. V. legitur. Ac fortassis sua res hæc accepit initia ex imitatione sacrorum Judaicorum, cum in iis semel iterumqve arca fœderis vehiculo imposita & in locum suum traducta legatur. Ipse David hoc observavit cum suis, de qvibus ita lib. II. Sam. cap. 6. habemus: *Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum.* Alias vehicula tributa Diis, sed figmento qvodam, à Poëtis & Pictoribus. Atq; Jovi qvidem assignabant qvadrigas ipsi qvoqve. Inde Plautus in Amphitruone:

*Quadrigas si inscendas Iovis, nunquam effugies infortunium.*

Ubi nota, his qvadrigis summam tribui celeritatem, qvod existimant ex eo fieri, qvoniam celerrimo curriculo rapi Jupiter ex Olympo in terram, & rursum ex terris in Olympum fingatur. Verum rectius putabimus hoc inde ortum, qvia Jupiter non est alius paganis, qvam qvi vulgo Sol vocatur, cujus cursus est celerrimus. Sed de Sole postea. De Jove ac celeritate currus ejus etiam Lucianus videtur testari, qvando currum facit alatum in Piscatore: Ὡς μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. *Vt magnus Iupiter curru vectus alato.* Sumsit Lucianus hoc ex Platonis Phædro, ubi Plato qvoqve: Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. *Magnus Imperator cœli Iupiter curru vectus alato.* Imitatur & Horatius, qvando *volucrem* appellat currum eum lib. I. Carm. od. 34.

*Plerumque per purum tonantes*
*Egit equos, volucremque currum.*

Sed dispiciendum, annon volucris alatusq; currus hic dicatur pro-

pteraqvilas,qvas nonnulli adjunxere loco eqvorum. Sanè in Hygini picturis sat antiqvis non sunt eqvi,verum aqvilæ,in curru Jovis. Juno & ipsa curru fingitur incedere, sed tracta pavonibus. Ovidius lib.II. Metam.

*— — -- Habili Saturnia curru*
*Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.*

Saturno picturæ Hygini currum tribuunt cum draconibus adjunctis,qvi caudas suas ore præhendunt & absumunt. Qvod non puto alibi occurrere. Rheam,qvæ & Isis vel Cybele,fingebant uti curru tracto leonibus. Hinc Lucretius lib.II.

*Hanc veteres Grajum docti cecinere Poëtæ*
*Sedibus in curru bijugos agitare leones.*

Consentiunt Virgilius Æn. II. Claudianus de Raptu Proserpinæ, ac alii, monumenta item prisca nummiqve, qvales cernuntur apud Anton. Augustinum in gente Volteja, Rossinum, atq; alios. Leones illi qvondam homines fuisse finguntur, Hippomanes videlicet ac Atalanta,post ira Numinis conversi in feras. Ovid.lib.X. Met. f.14.de ipsis agens pluribus, postremo claudit:

*Pro thalamis celebrant sylvas: aliisque timendi*
*Dente premunt domito Cybeleia fræna leones.*

Habet etiam Neptunus currum sententia Poëtarum, eumq; qvadrijugis junctum. Hinc Orpheus de eo:

Κυμοθαλὴς,χορίλωτα,τέθρορον ἅρμα δι᾽ὠκεων.

*Quadrijugum impellens currum,summo æquore labens.* Plato ad illius currum eqvos jungit sex in Critia: Τὸν μὲν θεὸν ἐφ᾽ ἅρματος ἑξώτα ἐξ ὑποπτέρων ἵππων ἡνίοχον. *Constituerunt Deum,* (Neptunum) *currui insistentem, sex alatorum equorum aurigam.* Ubi observa, eqvos hosce dici alatos. Nam alii qvidem eqvos nominant nudos. Ut Virgilius lib. V. Æn.

*Iungit equos curru genitor, spumantiaque addit*
*Fræna feris. -- -- -- --*

Et fortasse Plato non tam alas aliqvas in eis intellexit, qvam celeritatem singularem. Nam & Virgilius statim post prædicta:

*Cæruleo per summa levis volat æquora curru.*

Qvomo-

Qvomodo & lib. I. Æn. de Neptuno:

-- -- *Curruque volans dat lora secundo.*

Pro eqvis hippocampos alii in eo posuere, neq; illos sex, vel qvatuor, sed duos, si est verum, qvod habet Schottus in Dial. XII. Antiq. *C. Marius*, ait, *Arpinas, belli arte manuque promptus, in Nummis cusum caput edidit Neptuni, &c. A tergo in biga habenis regentem cernas hippocampos.* Sanè apud Fulvium Ursinum qvoq; in gente Crepereia currus cernitur cum hippocampis, hoc est, eqvis in pisces desinentibus, duobus, cui insistit aliqvis cum tridente. Sed, num is Neptunus sit, certò haud dixerim, cum hoc genus Proteo tribuat Virgilius lib. III. Georg.

*Est in Carpatio Neptuni gurgite vates*
*Cæruleus Protheus, magnum qui piscibus æquor*
*Et juncto bipedum curru metitur equorum.*

Pulchrè *bipedum equorum*, qvia pars eorum posterior in pisces erat deformata. Unde Servius: *Equi enim marini prima parte equi sunt, postrema resolvuntur in pisces.* Eqvos marinos vocat, qvos Schottus hippocampos. Tales ergo Proteus, non Neptunus habuerit. Neptuno tamen sunt, qvi cete tribuant pro eqvis, vitulosqve marinos. Natalis Comes lib. II. *Alii maluerunt ejus currum trahi à vitulis marinis & cete, quam ab equis.* Qvi sint illi alii, non declarat. Observo interim ex numero illorum esse Erythræum, qvando ita notat ad Virgilii lib. V. Æn. p. m. 241. *Homerus Odyss. V. currum describit Neptuni,* τὰ κήτη μεγάλα. Verum ego nihil tale invenio apud Homerum. Verba ibi sunt Ulyssis naufragi, & inter fluctus natantis: *Vereor,*

Ἦ ἔστι μοι κῆτ' ἐπιοσσύῃ μέγα θαῖμων.

*ne mihi cete immittat magnus Deus.* Hæc verba nihil faciunt ad currum Neptuni, timuisse Ulyssem ostendunt, ne à piscibus devoretur. Et qvi possint, cum præcedat paulò ante apud ipsum qvoq; de Neptuno:

Ὡς ἄρα φωνήσας, ἴμασεν καλλίτριχας ἵππους.

*Sic locutus impulit pulchricomos equos.* Tribuit & Homerus eqvos Neptuno in curru, non cete, neqve vitulos marinos. Memorant

Poëtæ currum qvoq; Martis cum eqvis. Ipse Homerus Iliad. O.

Ὡς φάτο· καὶ ῥ' ἵππους κέλετο δείμόν τε, φόβον τε
Ζευγνύμεν. -- -- -- -- --

*Sic dixit,* (Mars) *& equos jussit Metumque Fugamque jungere.* Per Metum Fugamqve, sunt, qvi putant eqvos intelligi sic nominatos. At Eustathius Martis filios exponit. Eqvos sanè memorat in curru Martis etiam Calaber, verum qvatuor, eosq; vocat Æthona, Phlogium, Combon, & Pholum. Pro eqvis Demsterus locat leones. Verba ejus sunt in Comment. ad Rossini X. cap. 29. *Antonius Heliogabalus triumphabat tigribus, ut referret Bacchum, leonibus, ut Martem, denique canibus, ut exemplo careret.* Habet, ut testatur ipse, ex Lampridio. Verum primo falsum est, qvod ait triumphasse. Nusqvam hoc Lampridius, qvod alibi jam dixi. Deinde nec id verum, qvod de Marte prodit. Nulla Martis mentio in verbis Lampridii, sed Matris Deum, id est, Isidis vel Cybeles. Ita enim habent: *Iunxit sibi & leones, Matrem magnam se appellans.* Verba hæc non bene Demsterus inspexit, & ex Matre Martem nobis deformavit. Veneri tribuerunt currum cum columbis. Docet pictura vetus Hygini, & Ovidius lib. XV. Metam. ubi de Venere:

*Perque leves auras junctis invecta columbis.*

Apulejus qvoq; lib. VI. Asini, de curru Veneris agens: *De multis, quæ circa cubiculum Dominæ stabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris incessibus picta colla torquentes, jugum gemmeum subeunt, susceptaque Domina lætæ subvolant.* Qvibus verbis nota qvatuor nominari, cum in picturis Hygini duæ tantum cernantur. Sunt tamen, qvi pro columbis cygnos memorant. Ut Horatius lib. III. Carm. od. 28. ubi sic describit:

-- -- -- -- *Quæ Cnidon*
*Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon*
*Iunctis visit oloribus.*

Et Papinius lib. I. Sylvarum in Epithalamio, de Venere:

-- -- *Amyclæos ad fræna citavit olores.*

Ipse etiam Ovidius hoc facit lib. X. Metam.

*Vecta levi curru medias Cythera per auras*
*Cypron olorinis nondum pervenerat alis.*

Sappho

Sappho ei tribuit passeres, qvod est singulare. Ita enim habet carmen ejus ad Venerem, qvod legitur apud Dionysium Halicarnasseum in libro de structura Orationis:

-- -- -- Ἦλθες
Ἅρμ' ὑπαζεύξασα· Καλοὶ δέ σ' ἆγον
Ὠκέες στρουθοὶ, περὶ γᾶς μελαίνας
Πυκνὰ δινεύντες. -- --

*Venisti curru vecta. Pulchri te ferebant agilesque passeres, ales nigras crebrò moventes.* Dianæ currum finxerunt trahi à cervis. Callimachus:

-- -- Χρύσειον δ' ἐζεύξαλο δίφρον
Ἐν δ' ἐβάλευ χρύσεια Θεὰ κεμάδεσσι χαλινά.

*Et frena, quæ aurea cervis imponis, cum ducis ad currum aureum.* Apollonius lib. III. Argon. v. 877.

Χρυσείοις Λιπωΐς ἐφ' ἅρμασιν ἑστηυῖα
Ὠκείαις κεμάδεσσι διεξελάσῃσι κολώνας.

*Aureo in curru stans Diana velocibus cervorum hinnulis colles transvehat.* Atq; hac effigie Diana cernitur etiam in nummis veteribus & monumentis aliis. Pluto apud Poëtas currum habet cum eqvis. Docet Claudianus in Gigantom.

— — — *Rex ille silentum*
*Lethæo vehitur curru, lucemque timentes*
*Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu*
*Spissas cæruleis tenebras è naribus efflant.*

Nota, nares eis eqvis tribui cæruleas, qvia color is eqvorum integrorum fuit. Intelligitur verò cæruleus, non qvalis Cœli, cum est serenum, sed cum obscurum atq; tenebrosum. Cyaneum & Indicum alias vocarunt, qvalis distat proximè à nigro. Hinc Ovidius eosdem eqvos vocat atros lib. V. Met.

*Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus*
*Exierat, curruque atrorum invectus equorum*
*Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.*

Nempe Pluto Jupiter est inferus. Sicut ergo candidos, qvi est superus, habere fingebatur eqvos, sic ex adverso alter atros. Numerus

rus eqvorum putatur qvaternarius. Claudianus in de Raptu Proserp. ubi Pallas ad Plutonem:

*Audes Tartareis Cœlum incestare quadrigis.*

Idem nomina eis dat Orphnæi, Æthonis, Nyctei, & Alastoris, lib. I. Cereris currus trahitur ab angvibus. Sic Orpheus in carmine de ipsa, primus forsan hujus commenti auctor:

Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.

*Currum jungens angvibus frænatis.* Angves illi putabantur bini, unde Ovidius lib. V. Met.

*-- -- Geminos Dea fertilis angves*
*Curribus admovit, frænisque coërcuit iras.*

Neq; aliter effigiem ejus repræsentant nummi veteres. Claudianus istiusmodi vehiculum ei tribuit, in de Raptu Proserpinæ, ubi & de cætero describit eleganter. Bacchum qvoq; curru vehi voluerunt, qvem trahant tigres. Ovidius lib. I. de Arte:

*Iam Deus in curru, quem summum texerat uvis,*
*Tigribus adjunctis aurea lora dabat.*

Virgilius lib. VI. Æneid.

*Nec qui pampineis victor juga flectit habenis*
*Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.*

Idem tamen Ovidius & lynces ei tribuit in curru. Versus extant libro IV. Metam.

*-- -- Tu bijugum pictis insignia frænis*
*Colla premis lyncum: Bacchæ Satyrique sequuntur.*

Bijuges appellat, unde seqvitur, duos tantum habuisse. Qvomodo & Martialis ei duos tantum tribuit tigrides, lib. VIII. ad Domit.

*Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,*
*Contentus gemina tigride Bacchus erat.*

Post hos invenio & Soli datum currum à Poëtis, sive Phœbo. Describit eum pluribus Ovidius in fabula Phaëtontis. Et Prudentius hac de re in lib. I. contra Symmachum:

*Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas*
*Commenti. -- -- -- --*

Ubi qvod commemorat qvadrigas, proprium & peculiare est in

curru

curru Solis, qvando Solem primum qvadrigas censent inveniſſe. Ita diſcimus ex Hygino, qvando ait lib. II. Aſtron. *Admiratus eſt ingenium hominis ad Solis inventa acceſſiſſe, quod Princeps quadrigis inter Deos eſt uſus.* Ante Solem ergo nullis Dii uſi qvadrigis putabantur, ipſe primus junxit eqvos qvatuor, ex ſententia Poëtarum. Qvanqvam commenti hujus cauſſa, qvod per anni partes currat qvatuor. Fulgentius in Mytholog. lib. I. *Huic quoque quadrigam adſcribunt, illam ob cauſam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite die metiatur ſpacium.* Qvatuor ergo eqvi ſemper ſunt in curru Solis, erratq; ſine dubio Natalis Comes, qvando putat Homerum nominare tantum duos. Verba ejus ita habent lib. V. cap. 13. *Homerus lib. XIII. Odyſſeæ duos tantum Solis equos numeravit, Lampum ſcilicet, & Phaëtontem.* Sed errat Natalis, qvando hi non Solis eqvi apud Homerum ſunt, ſed Auroræ. Verba Homeri manifeſta ſunt.

Λάμπων καὶ Φαέθων θ', οἱ τ' ἠῶ πῶλοι ἄγουσι.

*Lampum & Phaëthonta, qui Auroram juvenes ducunt.* Non Solem ait ducere, ſed Auroram. Eqvorum Auroræ mentionem facit & Ovidius lib. I. Amor. el. 8. ubi eis roſeum tribuit colorem:

*— — Nigri non illa parentem*
*Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.*

Parens Memnonis Aurora tradebatur, ſicut notum. Aurora igitur ſecundum Poëtas vecta eqvis & ipſa, verum binis, iisqve roſeis, qvi Phaëthon & Lampus dicebantur. Unde Pacuvius in Thyeſte: *Non illic luteis Aurora bigis.* Ubi nota, luteas pro roſeis, qvas Nonius tamen ſplendidas exponit. Pædo qvoq; in obitum Mæcen. de Aurora loqvens:

*Illius aptus eras roſeas adjungere bigas.*

Contra tamen etiam Virgilius lib. VI. Æn. *Roſeis Aurora quadrigis.* Sed hic Solem denotare rectè vidit Donatus, de qvo & Servius ad iſta verba: *Donatus dicit, Auroram cum quadrigis poſitam Solem ſignificare.* Sol igitur non binis, ſed qvaternis vectus eqvis, neq; roſei, ſed purpurei coloris. Ita namq; Ovidius teſtatur epiſtola 21.

*Demere purpureis Sol juga vellet equis.*

Sed

Sed qvid faciendum Martiali, qvi & ipſe duos tantum Solis eqvos nominat? Verba ejus hæc ſunt:

*Quid cupidum Titana tenes? Iam Xanthus & AEthon*
*Fræna volunt.* -- -- -- -- --

Gyraldus ſanè putat, ipſum qvoq; duos tantum illi tribuiſſe. Verba ejus in Syntagmate VII. *Martialis tamen duos ſolum memorat* Solis eqvos. Sed non neceſſariò hinc colligas, qvia duos ſolum memorat, duos qvoq; ſolum tribuiſſe, ſæpe namq; unum modò nominari videmus in qvadrigis, qvod jam alibi notatum. Itaq; & ipſum memoraſſe hos, ſed ſine reliqvorum excluſione, arbitramur. De qvadrigis certè eo minus dubitare poſſumus, qvoniam & nomina eqvorum & ſexum veteres prodidere. De nominibus ſcimus ex Fulgentio, qvi ſic habet lib. I. Mytolog. *Vnde & ipſius* (Solis) *equis condigna ſic nomina poſuerunt, id eſt, Erythreus, Actæon, Lampos, Philogeus.* Eadem verba legas apud Commentatorem veterem Germanici, p.m.144. ſed ut pro *Lampos* exhibeant *Lampros* meliori ratione, cum *Lampron* uterq; *lucentem* vel *ardentem* reddant. Alii alia poſuere nomina, ſed & ipſa qvatuor, ut ſit nullum de qvadrigis dubium. Ovidius II. Metam.

*Interea volucres, Pyroëis, & Eous, & AEthon,*
*Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras*
*Flammiferis implent.* -- -- --

De ſexu cognoſcimus ex Hygino, qvi ſic habet lib. I. cap. 183. *Equorum Solis nomina: Eous, per hunc Cœlum verti ſolet; AEthops, quaſi flammeus eſt, concoquit fruges. Hi funales, ſunt mares. Fœminæ jugariæ, Bronte, quæ nos tonitrua appellamus; Sterope, quæ fulgitrua.* Ita enim cenſeo legendum, pro *Eos, AEthyops, qua fulgitura.* Pro *jugariæ* malè hactenus excudi *locariæ* Salmaſius qvoq; vidit. Factum autem hoc ex eo, qvia primum *jocariæ* fuit ſcriptum ſolenniſſima τῦ *u* in *o* & *g* in *c* mutatione. Jugariæ igitur fuerunt fœminæ, funales verò mares, ſecundum Hyginum, licet ipſe qvoq; in eorum appellatione à reliqvis diſſentiat. Et hæc qvidem ſatis de nominibus eqvorum Solis atq; ſexu. Nam qvæ ex Homero tradit nomina is ipſe Hyginus, nec in iis, qvæ ſuperſunt ex Homeri ſcriptis, leguntur,

qvantum

qvantum scio, & fœdissimè sunt depravata, sicut alibi ostendam. Illud observatione dignum, qvod ad currum Solis Claudianus jungat non eqvos, verum gryphes. Verba leguntur in sexto consulatu Honorii: *At si Phœbus adest, & frænis grypha jugalem*
*Riphæo tripodas repetens detorsit ab axe.*
Sed nimirum seqvitur hac parte philosophiam & traditiones Indorum. Qvod jam Vossius notavit ex Philostrati lib. III. de vita Apollonii, cap. 14. ubi sic Philostratus: Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ἰνδοῖς, καὶ ἱερὰς νομίζεσθαι τὰς ἅλκας. Τέτριππά τε αὐτῶν ὑποζευγνῦναι τοῖς ἁγάλμασι τὰς τοῦ ἡλίου ἐν Ἰνδοῖς γράφουσας. *Has enim aves ajunt esse in India, ac Soli sacras, ac quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.* Ubi nota τετρίππων sive qvadrigarum vocem, qvando & apud Indos hunc, qvem dixi supra, numerum animalium in curru Solis creditum ostendit. Jam, ut Soli, sic & Lunæ tribuerunt currum. Virgilius lib. X.
*Iamque dies Cælo concesserat, almaque curru*
*Nocti vago Phœbe medium pulsabat Olympum.*
Dicebatur autem uti bigis, non qvadrigis. Manilius:
*Quadrijugis ut Phœbus equis, & Delia bigis.*
Color putabatur albus, sive niveus. Ovidius l. de Rem. Amor.
*Vt solet in niveis, Luna vehetur equis.*
Nota nominatim eqvos memorari, qvod & fit ab aliis. At Ausonius pro iis habet juvencas. Verba extant ep. 19.
*Iam succedentes quatiebat Luna juvencas.*
Sed qvæ illæ juvencæ? Num boves? Ita sanè judicat Prudentius, qvi propterea lib. I. contra Symmachum de Luna:
*Nunc bigas frænare boves -- --*
*putatur.* At in picturis antiqvis Hygini currus ejus trahitur à duabus puellis: Qvæ cum & ipsæ sint juvencæ seu juvenculæ, de Ausonii animo possis dubitare; maximè, cum & Ovidius juvencæ vocem usurpaverit de puella, ep. 5.
*Graja juvenca venit, quæ te patriamque domumque*
*Perdat: Iö prohibe; Graja juvenca venit.*
In vetusto carmine apud Fulgentium lib. I. Mytol. vehiculo Lunari adjunguntur tauri. Verba sic se habent:

*Astrigeroque nitens diademate Luna bicornis*
*Bullatum bijugis conscenderat æthera tauris.*

Claudianus cervos nominat in eo, in Sec. Cons. Stilich. v. 286.

-- -- *Cervi currum subiere jugales,*
*Quos decus esse Deæ primi sub limine cæli*
*Roscida fœcundis concepit Luna cavernis.*

Sed hic Luna Dianam magis repræsentat, de qva diximus in præcedentibus. Qvotiens autem verè Lunam significat, boves potius usurpant, vel eqvos. Qvomodo Auctor vetustus Hymnorum:

Ζευξαμένη πώλους ἐριαύχενας αἰγλήεντας
Εσυμένως προλέρως' ἐλάσῃ καλλίτριχας ἵππους.

*Iunctis equis longæ cervicis fulgidis impetuosè prius agitavit equos pulchricomos.* Dant & Nocti bigas Poëtæ. Claudianus in de Raptu Proserp. v. 275.

-- -- *Sparso Nox humida somno*
*Langvida cæruleis invexerat otia bigis.*

Qvibus verbis bigæ cæruleæ nigras denotant, qvomodo & Plutonis eqvi sunt cærulei, ut supra est ostensum. Præter hæc vehicula, Diis erant consecrata, qvibus certabant in ludis. Ita Græci dabant in Olympicis spectaculis, & similibus. Romani habuere in Circo, ubi bigas qvidem emittebant in honorem Lunæ. Tertullianus de Spectaculis cap. 5. *Bigas Lunæ sanxerunt.* Isidorus: *Bigas Lunæ consecraverunt.* Bigæ istæ fuerunt eqvorum, qvorum unus nigri, alter candidi coloris erat. Isidorus rursum: *Bigas Lunæ consecrarunt, quoniam gemino cursu cum Sole contendit, sive quia & nocte videtur & die. Iungunt enim unum equum nigrum, alterum candidum.* Videntur & mulares bigæ huc referri oportere. Nam de his, in ludis publicis, usurpari solitis, non aliis, accipio, qvæ leguntur apud Festum: *Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod tam sterilis ea sit, quam mulus, vel quod, ut mulus non suo genere, sed equi creetur, sic ea Solis, non suo fulgore luceat.* Præsertim, cum præcedat proximè à Paulo Festi Breviatore adductum: *Mulis celebrantur ludi in Circo maximo, Consualibus.* Trigas dabant Diis inferis. Isidorus: *Trigas consecrarunt Diis inferis.* Et paulò post, ubi causam addit: *Trigas Diis inferis, quia*

*quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est, per infantiam, juventutem, atque senecta.* Qvadrigas referebant ad Solem. Tertullianus: *De jugo verò quadrigas Soli sanxerunt.* Pariter & Isidorus, atq; alii. Erat porro color harum qvadrigarum duplex tantum ab initio, albus, & roseus, sive russeus. Hoc enim vult Tertullianus libro de Spectaculis, cap. 5. ubi ait: *Nam initio equi duo soli fuerunt, albus & roseus: Albus hyemi, ob nives candidas, roseus æstati, ob Solis ruborem, voti erant.* Pro *duo soli*, sunt, qvi *duo Solis* legant, unde hic de Solis eqvis Commentator, Laurentius de la Barre. At nil tale voluit Tertullianus, colorum in Circo numerum binarium solummodo fuisse ostendit, postea demum factum qvaternarium. Ideò subjungit: *Sed postea, tam voluptate quam superstitione provecta, roseum alii Marti, alii album Zephyris consecrarunt: Prasinum verò Terræ Matri vel Verno; venetum Cœlo & Mari, vel Autumno.* Hic sanè prasinus & venetus eqvus non de colore in eqvis, qvalis nullus est in eis, sed qvadrigis totis, omniqve illarum apparatu, est accipiendus. Id qvod hac occasione annotandum. Sed & hoc non omittendum, licet Soli sacræ forent qvadrigæ, colores tamen earum pertinuisse roseum seu russeum ad Martem, album ad Zephyros, prasinum ad Terram, venetum ad Mare vel Cœlum. Vel, ut alii exponunt, prasinum ad ver, russeum ad æstatem, venetum ad autumnum, niveum ad hyemem. Sed de his occasione alia. Habebant & sejuges in honorem Jovis. Isidorus: *Sejuga maximus currus currit Iovi, propter quod maximum Deorum suorum eum esse credunt.* Porro citra usum aliqvem consecrata qvoq; Diis vehicula habuere. Liqvet exemplo vehiculi, qvod in Midæ regia repositum Gordius Jovi dedicaverat. Justinus lib. XI. cap. 7. *Ille* (Gordius) *plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iovis positum, Majestati regiæ consecravit.* Nec fortassis aliter fecere alii post finita rustica opera, si genus aliud vivendi instituissent. Sed & qvæ capta habuerunt ex hostibus, suspensa in postibus consecrare Diis solebant. Unde Virgilius lib. VII.

*Multaque præterea sacris in postibus arma*
*Captivi pendent currus curvæque secures.*

Et Servius hoc loco: *Sacris in postibus, ubi spolia consecrabantur.* Habuerunt ergo inter cætera spolia suspensa & currus, idq; in postibus ædium sacrarum. Qvin imò curruum simulachris qvoq; istas ædes adornabant. Plutarchus in vita Romuli: *Inter cæteram prædam ex Camerio æneum attulit currum, atq; eum in templo Vulcani dedicavit, cui imposuit statuam suam, quam Victoria coronat.* In Græco est χαλκοῦν τέθριππον, qvod significat currum cum adjunctis eqvis qvatuor. Non igitur verus ille currus fuit, sed ex ære ad similitudinem veri formatus, una cum eqvis. Et solebant veteres hoc genere ornare templa maximè in summo. Testantur primo nummi veteres ingenti copia, Græci Latiniqve, ut & monumenta alia. Deinde Scriptores: Qvomodo de templo Delphici Apollinis videmus prodere Justinum lib. XXIV. cap. 7. ubi de Brenno: *Prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse.* Et de templo Apollinis Palatini Romæ Propertium lib. II. eleg. 3.

*Auro Solis erat supra fastigia currus.*

Formabantur porro currus hi ad instar bigarum qvadrigarumqve primum ex auro, qvod superiora docent. Dein ex ære, qvod exemplo Romuli cognoscitur. Sed & Livius de iis lib. X. cap. 23. *Eodem anno Cn. & Q. Ogulnii ædiles curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, Iovemq; in culmine cum quadrigis posuerunt.* Currus hi nonnunqvam inducebantur auro. Livius iterum lib. XXXV. cap. 41. *Iudicia in fœneratores eo anno multa severè sunt facta, accusantibus privatos ædilibus curulibus, M. Tuccio & P. Iunio Bruto. De multa damnatorum quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Iovis supra fastigium ædiculæ.* Invenio & fictiles ejusmodi qvadrigas. Festus voce Ratumena: *Equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium, conspectumq; fictilium quadrigarum, quæ erant in fastigio Iovis templi.* Eadem narrat Plinius lib. XXVIII. cap. 2. & tali modo, ut appareat non infreqvens fuisse. Post hunc usum, qvi honori Deorum tributus, vehicula etiam adhibita rebus sacris deportandis. Ita legimus de sacris Cereris apud Servium lib. I. Georg.

org. *Ipsa* (Eleusina mater) *est etiam Ceres, Romæ quoque sacra hujus de plaustris vehi consveverant.* Et de rebus in pompa Circensi solitis circumduci apud Macrobium lib. I. Sat. cap. 6. ex Verrio: *Evenisse, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam supernè despiceret, & patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset.* Simile qvid in sacris Bacchi observamus receptum, nam in iis membrum virile in plostello ductum. B. Augustinus lib. VII. C. D. cap. 19. ex Varrone: *In Italiæ compitis quædam sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius per rura in compitis & usque in urbem postea vectabatur.* Amplius vehicula observamus tributa sacris hominibus sive Sacerdotibus. Apud Thessalos profectò Sacerdos Dianæ curru vehebatur. Unde Heliodorus lib. III. describens pompam sacram ejus Deæ, Charicliamq; Sacerdotem: Ἤγετο ἐφ' ἁρμάμαξις ὑπὸ συνωρίδ' λευκῆς βοῶν ὀχεμένη. *Vehebatur harmamaxa, quam trahebat biga boum alborum.* Et Pausanias lib. VII. de ejusdem Deæ pompa apud Patrenses: *In ea virgo, quæ sacerdotio fungitur, postrema omnium cervorum bijugo curru vehitur.* Consimili modo apud Argivos Sacerdos Junonis templum adire non pedibus debebat, verum curru. Herodotus in Clio, ubi verba refert Solonis: Σόσης ἑορτῆς τῇ Ἥρῃ τοῖσι Ἀργείοισι, ἔδεε πάντως πρὸ μητέρα ἀυτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι ἐς τὸ ἱερόν. *Cum dies festus Iunonis apud Argivos esset, oportebat omnino matrem eorum ad templum venire junctis bobus.* Loqvitur de matre Cleobis & Bitonis, qvæ Sacerdos Junonis fuit, qvod & ipse docet, & testatur Cicero in Tuscul. I. *Primum Argiæ Sacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur, &c.* Sic apud Romanos virgines Vestales vehebantur curru. Qvod cognoscimus ex Prudentio, qvando sic de aliqva:

*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas,*
*Pilento residens molli.* -- -- --

Et huc trahunt viri docti, qvæ leguntur apud Tacitum XII. Ann. cap. 42. de Agrippina: *Carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & sacris antiquitus concessus.* Qvanqvam fortè hoc ad Vestales solas non sit adstringendum, cum præsertim Artemidorus

lib. I. cap. 58. teſtetur, curru in ſomniis per urbem vehi, virginibus bona ſacerdotia portendere. Non autem fœminis ſacerdotibus ſolummodo hoc reperimus tributum, ſed & viris. Sic enim de Fidei Flamine apud Romanos Livius lib. I. cap. 20. *Ad Fidei ſacrarium Flamines bigis curru arcuato vehi juſſit.* Poſt hunc, in ſacris, etiam alius vehiculorum uſus erat in negotiis aliis, ſpectans pertinensqve ad honorem. Ita enim conſtitutum fuit apud Ægyptios antiqviſſimis temporibus, ut curru veherentur Reges, qvod ex Moſe qvoq; cognoſcimus, qvi mentionem facit hujus conſvetudinis lib. I. c. 41. Similis Perſarum conſvetudo, qvod non uno loco docet Xenophon in Pædia. B. Auguſtinus, in qvæſt. ex utroq; teſtam. cap. 115. *Perſarum Reges vehiculis feruntur. Nam veteres Reges Perſarum nec videbantur à populis.* Athenæus lib. XII. cap. de eodem Rege: Ὅτε εἰς ἐσχάτην αὐλὴν ἔλθοι, ἀνέβαινεν ὁπὶ τὸ ἅρμα, ἐνίοτε καὶ ἐφ' ἵππου, πεζὸς δ' ὐδέποτε ἑωράθη ἔξω τῶν βασιλείων. *Cum ad aulam ultimam venit, conſcendit currum, interdum & equum, pedibus verò ire nunquam extra regiam conſpicitur.* Apud Gallos qvoq; Reges olim vecti curribus. Eginhartus de Gallorum ſeu Francorum Rege: *Quocunq; eundum erat, carpento ibat.* Romani ſerius hoc inſtituerunt, inſtituerunt tamen, ut carpentis veherentur Imperatores, qvanqvam ſic, ut ſua uterentur libertate, ſi eqvis vehi mallent. De Nerone Svetonius: *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur.* De Heliogabalo Lampridius: *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis & eboratis.* Sic Heraclii extat nummus, Lipſio editus in calce operis de Cruce, in qvo cernitur Imperator carpento ſive alio Imperatorio vehiculo inſidens. Etiam apud Indos valuit hæc conſvetudo, ſi qvæ Curtio eſt fides. Ita namqve habet lib. VIII. cap. 9. *Breviora itinera equo conficit. Longior ubi expeditio eſt, elephanti vehunt currum.* Atq; iſta fortaſſe cauſſa, cur inter cætera Regum inſignia Theodoretus referat & vehicula. Verba ejus ſerm. 10. Τὸ μὲν τῆς βασιλείας περιτίθεσθαι σχῆμα τῷ ἁλουργίδα, τὸν στέφανον, τὸν θρόνον, τὸ ζεῦγος, τὺς δορυφόρους. *Regiæ dignitati addita eſt ſpecies per purpuram, coronam, thronum, currum, ſatellites.* Deinde datum hoc honori etiam eorum, qvi munus qvoddam nobile in Republica ſuſtinerent. Qvo

fortaſſe

fortasse pertinet, qvod de Pharaone Ægypti Rege legimus, tribuisse Josepho, ut in curru proximè à suo veheretur. Romani saltem sic instituerunt apud se, qvanqvam serius, & Cæsarum demum temporibus. His enim factum, ut carpento veheretur Præfectus Prætorii, qvod ex Notitia veteri colligimus, in qva præter alia insignia Prætorii Præfecto tribuitur etiam carpentum. Idem subinnuit Cassiodorus, qvando Præfectum Prætorii in formula ipsius, qvæ est lib. VI. cap. 3. comparat Josepho, *qui carpentum reverendus ascendit.* Simili vehiculo & Præfectus urbis est ornatus, de qvo idem Cassiodorus dicto libro, cap. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem.* Et Vopiscus initio Aureliani: *Vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris, Iunius Tiberianus, accepit.* Sed & Vicarius urbis isto genere utebatur. Cassiodorus cap. 15. libri ante indicati de eo differens: *Ad similitudinem summorum carpento veheris.* Currus etiam pertinuit ad Consules. Inde Cassiodorus rursum lib. II. cap. 2. ad Consulem designatum: *Respice te supra omnium humeros atque ora volitare.* Et paulò ante: *Celsos currus* (ita enim legit Lipsius, non *cursus*) *nisi confidentia magna non appetit.* Senatoribus concessum, ut carrucis ingrederentur honoris gratia. Lampridius de Alexandro Severo, in vita ejus, cap. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit: Interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ urbis Senatores vectarentur.* Loqvitur de carrucis non simpliciter, sed argentatis, qvod notandum. Nam carrucis aliis etiam ante Severum incedebant. Imò priscis jam temporibus hoc obtinuit, si qvæ fides Basso, cujus verba refert Gellius lib. III. cap. 18. ubi differit de pedarii Senatoris appellatione: *Hæc etiam vocabuli istius ratio dicitur, quam C. Bassus in Commentariis suis scriptam reliquit. Senatores enim dicit in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset,* &c. Sed repugnat, qvod à Plinio refertur de Metello lib. VII. cap. 43. *Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquam ulli alii ab condito ævo, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam. Magnum & sublime, sed pro oculis datum,* qvos nimirum rapto ex incendio ædis Vestæ Palladio amiserat. Manifestè testatur,

testatur, nemini ante Metellum hoc indultum. Neq; potest ambigi de fide Plinii, cum superstit hodieqve ejus rei monumentum, in qvo inter cætera hoc qvoqve:

TRIBUIT EI P.R. UT, QVOTIES IN SENATUM IRET, CURRU VEHERETUR AD CURIAM. QVOD A CONDITO ÆVO NULLI ALII CONTIGIT.

Qvæ pæne ipsa Plinii sunt verba. Jam si Metellus fuit primus, cui concessum curru vehi in curiam, aliqvanto serius institutum hoc necesse fuerit, qvam Bassus putavit. Nisi fortè arbitramur id, *in curiam*, à Glossa esse apud Gellium, cum & curru vecti alias videantur, licet non in curiam, qvemadmodum ostendam, cum de curru erit agendum. Qvicqvid sit, hoc saltem verum est, tributum postea Senatoribus, ut curru, nominatimq; carruca, veherentur. Ab his deniq; transiit ad honoratos omnes. Qva de re habemus legem Gratiani, Valentiniani atqve Theodosii, qvæ cum alibi, tum in Codice Justinianeo extat lib. XI. t. 19. istis verbis: *Omnes honorati seu civilium seu militarium vehiculis dignitatis suæ, id est, carrucis, intra urbem sacratissimi nominis semper utantur.* Post hos invenimus etiam extra ordinem hoc concessum aliqvibus, propter singularia qvædam merita. Pertinetq; etiam huc, qvod de Josepho legimus & Pharaone, Ægypti Rege, apud Mosen, Gen. 41. *Fecitque eum* (Josephum Pharao) *ascendere super currum suum secundum.* Cassiodorus sanè speciatim hoc tributum sapientiæ ipsius ait, lib. VI. cap. 3. *Cum Pharao, Rex AEgyptius, de periculo futuræ famis inauditis somniis urgeretur, nec visionem tantam humanum posset revelare consilium, Ioseph, vir beatus, inventus est, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentissimè subveniret. Ipse primum hujus dignitatis infulas consecravit, ipse carpentum reverendus ascendit.* Ostendit autem hoc exemplum, qvam vetusta sit hæc consvetudo, & jam apud Ægyptios recepta. Videtur id ipsam obtinuisse postea & apud Persas. Ita namq; apud Esram lib. III. cap. 3. juvenes sapientia inter se certantes: *Dicamus unusquisque nostrum sermonem, qui prævellat: Et cujuscunq; apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum*

*rum dormire, & currum aureo fræno.* Sic interpres vetus. Nec recedit Castalio, vel Junius, cum ille reddat, *conferet aureis frænis currum*; Hic verò, *curru vehetur cum equis frænatis auro.* Græca ita habent: Δώσῃ ἀυλὸς Δαρεῖῳ ὁ Βασιλεὺς δ' ὠρεὰς μεγάλας, ἅρμα χρυσοχάλινον, qvod hoc ipsum videtur confirmare: Maximè, cum & Josephus iisdem prope verbis lib. II. cap. 4. hoc enarret: Τέτων ἑρας δώσιν νικητήριον, ἅρμα χρυσοχάλινον, licet vertat liberalius nonnihil Gelenius, *in cubatu quoque ac vectatione usurum instrumento aureo.* Qvanqvam alibi de hac apud Persas consvetudine difficulter qvid invenias. Ut fortassis non immeritò qvis ambigat, an ἅρμα χρυσοχάλινον sit currus cum frænis aureis apud Esram. Nempe ἅρμα Græcis eqvum qvoq; denotat, qvemadmodum apud Latinos currus sæpe ponitur pro eqvo, sicut Servio jam ad Virgilium notatum est. Ita Xenophonti ἅρμα λευκὸν in Pædia usurpatur. Qvia tamen & sic eqvum ferè non simplicem, sed vehiculo adjunctum, iccirco temerè ab expositione vulgari haud fuerit recedendum. Apud Græcos qvoq; non omnino ignoratum hoc fuisse videtur. Nam & Hector apud Homerum Il. K. currum se cum eqvis datum ait illi, qvi explorare castra hostium ausus fuerit. Ita namq; ait:

Τίς κέν μοι τόδε ἔργον ὑποσχόμεν@ τελέσειε
Δώρῳ ὅτε μεγάλῳ. Μισθὸς δ' οἱ ἄρκι@ ἔσται
Δώσω γὰρ δίφρον τε δύω τ' ἐριάυχενας ἵππους.

*Quis mihi promittit conficere hoc negotium sub præmio eximio? Dabo ei namque vehiculum duosque equos arduæ cervicis.* Etiam, qvi Victores in ludis Olympicis extitissent, curru honorabantur, qvo disjectis qvoqve urbis mœnibus ingrederentur in patriam. Vitruvius lib. IX. præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, ut, cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphantes, quadrigis in mœnia & in patrias revertantur.* Meminit ejusdem rei Plutarchus II. Sympos. 5. itemq; Diodorus lib. XIII. ut nunc alios omittam. Olympionicarum morem imitati sunt Romani, Ducesq; suos post victoriam in bello triumphare curru voluerunt. Unde Seneca I. de Benef. cap. 5. *Quid habet per se corona pretiosum? quid prætex-*

*ta? quid fasces? quid tribunal & currus? Nihil horum honor est, sed honoris insigne.* Currus hic est currus triumphalis, sicut rectè Lipsius exponit. Et qvia eo triumphabant, inde currus sæpe ipsum denotat triumphum. Ut in illo Ciceronis lib. xv. ep. 6. ad Catonem: *Et si non modò unus, verum etiam multi Catones essent in civitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est, quem ego currum aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?* Non absimile est, qvod de Ausum virginibus memorat Herodotus lib. iv. consveviſſe qvotannis certo die inter se pugnare lapidibus, post fortissimam ex eis imponere vehiculo, & ornatam armis ducere circum paludem. Κοινῇ παρθένον τὴν καλλιστεύουσαν ἑκάστοτε κοσμήσαντες κυνῇ τε Κορινθίῃ καὶ πανοπλίῃ Ἑλληνικῇ, καὶ ἐπ' ἅρμα ἀναβιβάσαντες, περιάγουσι τὴν λίμνην κύκλῳ, inqvit. Curru curiam ingrediendi jus honoremq; apud Romanos consecutus est Metellus ob animi constantiam, qva ex mediis flammis, etiam cum oculorum suorum damno, Palladium eripuit, cum templum Vestæ arderet, qva de re jam supra egimus. Ob fidem Constantina dedit delatoribus, ut curru circumveherentur. Ammianus lib. xiv. *Accenderat super his incitatum propositum ad nocendum aliqua mulier vilis, quæ ad palatium ut poposcerat intromissa, insidias ei latenter obtendi prodiderat à militibus obscurissimis: Quam Constantina exultans, ut in tuto jam locata mariti salute, muneratam, vehiculoque impositam per regias januas emisit in publicum, ut iis illecebris alios quoq; ad indicanda proliceret paria vel majora.* Erat & hoc apud veteres receptum, ut qvem honorarent misso obviam vehiculo. Sic à Nerone factum in honorem Teridatis, de qvo Xiphilinus lib. LXIII. Ἐν ᾧ τῇ Ἰταλίᾳ ζεύγεσι πεμφθεῖσιν ὑπὸ τοῦ Νέρωνος ἐκομίσθη. *In Italia vectus est vehiculis à Nerone ipsi missis.* Et à Dionysio in honorem Platonis, de qvo Plutarchus in Dione: καὶ γὰρ ἅρμα τῶν βασιλικῶν ἀπὸ παρέδρου κεκοσμημένον διαπρεπῶς, ἀπεβάλετο τῆς τριήρους. *Nam ei* (Platoni) *currus unus ex regiis præstò fuit, cum descenderet è triremi.* Plinius Dionysium ipsum excepisse illum curru scribit in littore, lib. vii. cap. 3. *Platoni, Sapientiæ Antistiti, Dionysius tyrannus, alias sævitiæ superbiæq; natus, vittatam navem misit obviam, ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Ubi nota, qvod Plutarcho ἅρμα τῶν βασιλικῶν, id Plinio esse

esse *albas quadrigas*, qvia hujus generis Regum vehicula plerumq; fuere. Qvod de Regibus Persarum jam notavit Barnabas Brissonius lib. I. de Reg. Pers. Ælianus noster eo amplius Dionysium aurigam scribit fuisse lib. IV. Var. cap. 18. "Οτε καλῶν ἦλθε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κλητὸς, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστείλαντος τοῦ Διονυσίου, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα ὁ νέος Διονύσιος, αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Ἀρίστωνος. *Cum in Siciliam venisset Plato, multis crebrisq; litteris Dionysii evocatus, Dionysius junior in currum eum imposuit, ac ipse quidem egit aurigam, sessorem verò fecit filium Aristonis.* Invenimus qvoq; aliud honoris genus, ut, qvi dignitate major esset, in vehiculum reciperet minorem. Id qvod observatum fuit apud Imperatores Romanos. Hinc Vellejus de Octavio lib. II. cap. 59. *Quem* (Octavium) *C. Cæsar comitem habuit, nunquam alio usum hospitio, quam suo, aut alio vectum vehiculo.* Photius de Dione Chrysostomo: *Viguit Trajano Romæ imperante, cum quo diu multumque vixit in ea existimatione atque honore, ut cum Augusto communi interdum carpento veheretur.* Et qvia facere hoc neglexit Constantius, ideò superbus fuit habitus. Ammianus lib. XVI. *Quod autem per omne tempus imperii nec in consessum vehiculi quenquam recepit, nec in trabea socium privatum adscivit, ut facere Principes consuevere, & similia multa, quæ elatus in altum supercilium, tanquam leges æquissimas, observavit, prætereo.* Locus annotatione dignus, qvi ostendit manifestè, hanc fuisse Principum Imperatorumq; olim consvetudinem. Fecerunt idem Magistratus alii. Hinc Vopiscus de se ipso initio Aureliani: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solennibus, vehiculo suo me & judiciali carpento Præfectus urbis, vir illustris ac præfata reverentia nominandus Iunius Tiberianus, accepit.* Porro, & ob sexus reverentiam honoremq; legimus tributum mulieribus, ut uterentur vehiculis, præsertim, si ad publica & solenniora qvædam prodire negotia cogerentur. Ita pridem receptum fuit per Italiam, qva de re Ovidius lib. I. Fastorum:

*Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.*

Colligitur hoc idem ex Valerii oratione apud Livium lib. XXXIV. cap. 7. ubi de matronis Romanorum: *Universis dolor & indignatio*

*est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta sint, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi, tanquam in illarum civitatibus, non in sua, imperium sit.* Agit ibi Valerius de abolenda lege Oppia, qva interdictum fuit matronis Romanis, vehiculo incedere, qvod concessum olim erat, teste dicto Livio lib. V. cap. 25. *Grata ea res, ut quæ maximè, Senatui fuit, honoremq; ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.* Vehebantur itaq; vehiculis matronæ etiam Romanæ, qvod faciebant pridem per Italiam aliæ, idqve partim propter sexum, partim munificentiam, qva inopiæ publicæ subvenerant. Ac licet per viginti annos ob legem Oppiam hoc usu fuerint privatæ, tamen postea eundem receperunt & retinuerunt omni pæne tempore. Fuit eadem consvetudo Græcorum. Idcirco Scholiastes Aristophanis: Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ὅτι ἁμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο. *Athenienſium mulieres curru vectæ ad magna Eleusina proficiscebantur.* Et Hesychius: Κάναθρα, ἅμαξα πλέγμαλα ἔχουσα, ὑφ' ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. *Canathra vehiculum est cum textu vimineo, in qualibus vehi virgines solebant in pompa, cum proficiscebantur ad sacra Helenæ.* Didymus apud Athenæum lib. IV. cap. 7. ubi agitur de Hyacinthiis, festo Spartanorum: *Virginum autem aliæ cantharis vehiculis, ligneo textu clausis, magnoq; sumptu ornatis, aliæ curribus agonisticis vehuntur.* Noctu addere lucernam debebant, ex lege Solonis. Plutarchus: Μηδὲ νύκλωρ πορεύεσθαι πὴν ἁμάξῃ κομιζομένην, λύχνου προφαίνοντος. *Non permisit noctu, nisi curru vectam, prælucente face, iter facere.* Imprimis observatum hoc in nuptiis, si Sponsa ducenda esset ad virum. Solebat enim sellæ insidens in currum imponi, qvam consvetudinem non ita pridem observavit qvoq; celeberrimus Joann. Georgius Grævius in eruditissimis lectionibus Hesiodeis, cap. 21. Nempe mentionem ejus facit ipse etiam Hesiodus in Scuto Herculis, v. 273.

— — Τοὶ μὲν γὰρ εὐεσσώτρῳ ἐπ' ἀπήνης
Ἧγον' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.

*Alii quidem fabrefacto in curru ducebant viro uxorem, multusq; hymenæus*

*menæus excitabatur.* Hinc Plutarchus in de Virtutibus Fœm. ubi de Chiis: Ἀγομένης δὲ τῆς νύμφης ἐπὶ ζεύγους. *Cum autem Sponsa duceretur in vehiculo,* &c. Pollux lib. III. cap. 3: Ἐπὶ ζεύγους δὲ αἱ νύμφαι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετήεσαν. *Vehiculo verò Sponsæ plerumque vehebantur.* Adde Suidam voce ζεῦγος, ubi latè ritum omnem describit: Item Synesium ep. 3. quos laudat & Brissonius in de Ritu Nupt. pag. m. 515. Nam Apulei quidem locus, quem & ipsum citat, huc non pertinet, quippe in quo nupta vecta dicitur octophoro. Fuit enim hoc receptum etiam non nuptis, quod jam in superioribus ostensum est. Datus autem honor apud veteres non modò per currus veros, sed & ex ære marmoreve factos. Quales innumeri leguntur, apud Pausaniam præcipuè. Nimirum Græci dabant omnibus, qui in ludis publicis curru extitissent Victores. Plinius lib. xxxiv. cap. 5. *Græci cæletas dicabant in sacris Victores. Postea verò, & qui bigis vel quadrigis vicissent.* Quanquam non his solis, sed & aliis, quos insigni honore volebant ornatos. Sic enim Philippum quoq; Regem filiumq; ejus Alexandrum coluere. Unde idem Plinius dicti libri cap. 8. de Euphranore statuario: *Fecit & quadrigas bigasque. Item Alexandrum & Philippum in quadrigis.* Ab his res transiit ad Romanos, qui sic triumphantes primum honorarunt, teste dicto auctore. *Vnde,* inqvit, *& nostris currus in his, qui triumphavissent.* Deinde illos, qui dedissent Populo munus. Quo respexit Cyprianus in sermone primo de Jejunio, ubi ait: *Quanto istic & apparatus uberior & sumptus largior exhibendus est, ubi munerario non quadriga vel consulatus petitur, sed vita æterna præstatur.* Videtur & Plinius hoc voluisse dicto ante loco, quando dicit: *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui Prætura functi curru vecti essent per Circum.* Nam *curru vecti per Circum* possunt intelligi, qui auctores muneris & ludicri pompæ Circensi adfuissent. Sic enim receptum fuit. Unde Juvenalis Sat. X.

*Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis*
*Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi?*

Et Symmachus VI. ep. 41. *Natali urbis suffectum Consulem currus, quo vehebatur, evolvit, per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.* Triumphum vocat pompam Circensem, ante ludos Circenses,

qvos dabat Consul ea die. Atq; hoc est ἅρμα ἱερὸν, seu sacrum vehiculum, qvod memorat Dionysius Halic. lib. V. *Alter Consul, Manius Tullius, in sacris his & ab urbe denominatis ludis, dum pompa deduceretur, è sacro curru in ipso Circo prolapsus est.* Postea res venit ad Imperatores Cæsaresqve, qvibus & ipsis currus decreti. Qvomodo Pollio de Pisone: *Cæteri consulti statuam inter triumphales, & currus quadrijugos Pisoni decreverunt.* Erat tamen differentia inter hos & triumphales currus, qvod hi essent rotundi, specie verorum, qvibus incedebant triumphantes, illi specie eorum, qvibus certabant in Circo, sicut monumenta prisca docent. Etiam hoc observandum, qvod hi currus facti non cum eqvis solum, sed & elephantis. Docet utrumqve Capitolinus in Maximinis, qvando ita scribit acclamatum Principibus: *Victoriæ caussa Principibus nostris, Maximo, Balbino & Gordiano, statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus.* Faciunt alios currus triumphales, alios cum elephantis, ut apparet. Nam per statuas cum elephantis currus esse intelligendos, si nil aliud, nummi saltem temporum eorum ostenderent. Collocabantur autem currus illi in locis celebrioribus, circis, arcubus, & id genus. Unde Prudentius lib. I I. in Symmach.

*Frustra igitur currus summo miratur in arcu*
*Quadrijugos.* — — — —

Et in nummis Augusti, Domitiani, Alexandri Severi, aliorumqve, currus ejusmodi, etiam cum elephantis, videas non semel. Pertinebant alias vehicula etiam ad ludos & certamina. Nam & Græci eis inde à temporibus Trojanis currebant, posita certa meta, ad qvam contenderent, qvemadmodum Homerus ipse auctor est. Liqvetq; amplius ex libro VI. Statii, ubi pariter certamina Græcorũ talia describit. Postea res est deducta ad solennia Græciæ spectacula, qvod notissimum, unde tandem Romam venit in Circum. Dionysius Halic. lib. VII. cap. 72. *Reliquum est, ut & de certaminibus, quæ post pompam* (Circensem) *inibantur, paucis differam. Primus erat quadrigarum, bigarum singulariumque equorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympia, & nunc quoque.* Sed de Circi certaminibus Onuphrius & alii abunde. Nero instituit, non in Circo, sed in Abaco,

nec

nec qvadrigis veris, sed eburneis. Svetonius in vita ejus, cap. 22. ubi de summo ejus studio eqvorum & Circensium: *Inter initia imperii eburneis quadrigis quotidie in Abaco lusit.* Casaubonus ad hunc locum: *Satis constat, hoc genus lusus expressisse in Abaco Circensium simulacrum: Nam ea manifestò mens Svetonii.* Addit, idem factitatum ab Heliogabalo in triclinio, sicq; intelligendum Lampridium, ubi ait, cap. 27. *Quadrigas Circensium in triclinis & in porticibus sibi semper exhibuit pransitans & cœnitans.* Sed vix mihi dubium, qvin de veris agat hic qvadrigis, non formatis ex ebore. Qvia seqvitur: *Convivas senes agitare cogens, nonnullos honoratos.* Scilicet, ut alii alia, & in his gladiatorum etiam certamina, sic Heliogabalus qvadrigas Circenses in cœna & ad mensam spectabat. Qvod non potest mirum videri, qvi cæterum ejus cogitare volet luxum. Vehiculorum qvoq; usus olim fuit aliqvis in Tragœdia; In eis enim agere ante theatrorum scenarumqve inventionem, & in vulgus ludere dicteriis solebant. Qvam ob rem Horatius in de Arte Poëtica v. 275. *Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ*
*Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis.*
Meminit & Sidonius Carm. IX. v. 232.
*Aut plaustris solitum sonare Thespin.*
Lambinus ad Horatium: *Antequam scena esset inventa, Thespis in plaustris tragœdias docebat, idemque agebat.* Et Johannes Bond. *Thespis Athenienses, primus Poëta tragicus, tragœdias docuit, atque egit in plaustris, quibus poëtæ circa vicos fuerunt circumacti, antequam scena esset inventa.* Scaliger tamen factum hoc existimat non ante scenæ inventionem, sed ante destinationem ejus in peculiari qvopiam fixoqve loco, scenam enim pensilem tum solitam haberi, ut in plaustris posset circumvehi. Verba ejus lib. I. Poët. cap. 6. *Satis constat illud, à Thespi Poëta factam nitidiorem tragœdiam, qui primus pensiles scenas in plaustris circumegit.* Simili pæne modo Medici nonnulli circumvehere medicamenta sua solebant, & velut scenam artis suæ instruere, qvod ne hodie qvidem est ignotum. Græci eos ob hanc causam ἁλεξιθήρας ἐπαοιδοφόρους appellabant, ut ex Troilo Sophista in prologo ad Hermog. observamus. Hesychius: Ἐπαοιδοφόρια, τὰ ἐπὶ τῷ ἁρμαλιῷ δίφρῳ.

διφρεύω. Sic ergo & ἰατρὸς ἐπιδιφρίος, qvia de vehiculo medicinam profitebatur. Est & ille celebris apud veteres vehiculorum usus, qvando eis nuncii & tabellarii currebant. Auctor ejus apud Romanos fuit Augustus, de qvo Sveton. cap. 49. *Quo celerius ac sub manum annunciari cognosciq; posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit.* Subjicit & causam, cur vehiculis eos uti maluerit. *Commodius*, inqvit, *id visum est, ut, qui à loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, si quid res exigeret, possent.* Meminit vehicularis hujus cursus etiam Plutarchus in Galba, simulq; ostendit, qva ratione illa obtinuerint vehicula. *Servos publicos*, inqvit, *destinaverunt Consules ad deferendum Imperatori Senatusconsultum, & consignata dederunt diplomata: Quorum signo cujusque oppidi Magistratus per dispositos currus tabellariorum cursum accelerant.* Factum hoc ait interventu diplomatis, qvod Pancirollus in Comment. ad Not. Imp. p. 23. codicillos exponit duplicata charta. Sed inclino magis in sententiam Budæi, qvi tesseram cum signo principali ait fuisse. Plutarchus enim σφραγῖδα memorat in eo, alibiqve διπλώμα σεσημασμένον vocat, qvod apertè ostendit, signum in eo ab impresso ceræ annulo fuisse, sive id Principis unius, sive aliorum Magistratuum, præsertim in provinciis degentium, fuerit. Qvo præsertim refero, qvod habet Plinius lib. X. ep. 14. *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ deberes quam maturissimè scire, qua ex caussa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi.* Item, qvod habetur apud eundem epist. 121. & in responsione Trajani, ubi ait: *Nec dubitandum fuisset, si expectasses, donec me consuleres, an iter uxoris tuæ diplomatibus, quæ officio tuo dedi, adjuvandum esset.* Verba, *quæ officio tuo dedi*, Buchnerus certè sic exponit: *Quorum concedendorum tibi potestatem pro ratione officii, quod in præsenti sustines, dedi.* Qvanqvam nil obstet, qvo minus ipsis inhæreamus verbis, credamusqve datos Præsidibus provinciarum aliisq; Magistratibus ab Imperatore ipso codicillos signo Imperatorio munitos ad istiusmodi usus. Cum præsertim, qvod ex his Plinii epistolis observamus, tanta religione tractaverint, nec ad alia qvam publica negotia dederint, nisi

venia

venia ipsius Imperatoris ante impetrata. Erat autem opus diplomatibus & signis istiusmodi, ne ex caussa qvalibet qvislibet exigere vehicula posset ab iis, qvibus onus præstandi ea incumbebat, sed liqveret, præstari in usus Reipublicæ ac Principis. Multo magis autem postea hoc necesse fuit, cum à privatis hoc onus translatum est ad Fiscum post Severi tempora, ne absqve caussa publica patrimonium Imperatoris ab omnibus consumeretur. Cæterum, hunc cursum putant viri docti institutum ad exemplum Angarorum atq; Astandarum apud Persas, item Hemerodromorum apud Græcos. Et profectò, si respiciamus usum & propositum, ubiq; illud qvidem fuit idem. At Græcorum Hemerodromi currebant pedibus. Unde Livius lib. XXXI. cap. 24. *Et respondisset, ni speculator (Hemerodromos vocant Græci, ingens die uno cursu emetientes spatium) Athenas perveniisset.* Persarum verò Angari eqvitabant, nullisq; utebantur vehiculis, sicut liqvet ex prolixa eorum descriptione, qvæ legitur apud Xenophontem lib. VIII. Pæd. Unde & Herodotus lib. VIII. Τοῦτο τὸ δρόμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι, Ἀγγαρήιον. *Hunc cursum equestrem Persæ vocant Angarium.* Contra cursus Augusteus & Romanus vehicularis fuit. Hinc Capitolinus de eo in vita Antonini c. 12. *Vehicularium cursum summa diligentia sublevavit.* Neqve alia est caussa, ob qvam eqvos ad hunc cursum destinatos olim nominaverint *veredos.* Festus: *Veredos antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est, ducerent.* Qvanqvam postea res immutata fuerit, dictiq; veredi etiam eqvi simplices absqve rheda, destinati ad hoc munus. Unde Procopius lib. XI. de bello Pers. Ὁ δὲ ἵππος ὁ τοῖς δημοσίοις ὀχέμενος, ὃς δὴ βερέδους καλεῖσθαι νενόμικεν. *Equus verò, quo utuntur in viis publicis, quales usitatum veredos appellari.* Nempe seqventibus temporibus obtinuit, ut cursus hic eqvestris esset, sicut idem Procopius testatur, ex qvo descripsit etiam Pancirollus. Verba hæc sunt: *Imperatores Romani modum excogitarunt, quo cunctis sibi quam celerrimè possent nunciari, & ut scirent, quæ ubique inter hostes agerentur, & si qua in civitatibus seditio, vel quid aliud improvisum à Præsidibus, vel aliud quomodocunque oriretur, & ut annua tributa velociter & tutò transmitterentur. Publicum ergo & celerem quendam cursum hoc mo-*

*do instituerunt: Viro expedito ad iter diei stationes constituerunt quandoque octo, quandoque pauciores, non tamen minus quinque, quod plurimum eveniebat. Quadraginta verò equi in singula mansione stabulabantur, & itidem hippocomi, ad curandos, quot poterant, equos, erant destinati.* Sed de cursu isto jam prolixè alii. Venio ad usum alium, qvo fuerunt, qvi vehicula haberent loco ædium, & in eis habitarent. Celebres hoc nomine sunt Scythæ, qvando inde nomen qvoqve pepererunt sibi, atq; *hamaxobii* sunt appellati. Theodoretus in Paneg. Joann. Chrys. apud Photium: πρῶτος δὲ τοῖς ἁμαξοβίοις Σκύταις θυσιαστήρια ἐστήσας. *Primus apud Scythas hamaxobios aras extruxisti.* Nempe *hamaxa* Græcis plaustrum est. Habitabant autem in plaustris corio contectis. Justinus lib. II. cap. 2. *Vxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hyemisq; caussa tectis pro domibus utuntur.* Mallent viri docti legere *corticibus* pro *coriis*, sed nil immutandum, nam de coriis testatur etiam Cinnamus lib. I. Hist. ubi de Scythis: *Plaustris se circumdederunt*, βοείοις ἄνωθεν βύρσαις περιλαβόντες, *quæ coriis bovinis supernè habebant contecta.* Sed de hac re dicam & seqventi libro. De plaustris confirmat & Ammianus, qvando tribuit Alanis, qvi Scythæ sunt, lib. XXXIX. *Vagantur superstites plaustris, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conserunt.* Item lib. XXXI. *Nec enim ulla sunt eis tuguria, aut versandi vomeris curæ, sed carne & copia victitant lactis, plaustris superstites, quæ operimentis curvatis corticum per solitudines conferunt, sine fine distentas.* Item post: *Velut carpentis civitates impositas vehunt, maresque supra cum fœminis coëunt. Et nascuntur in his & educantur infantes, & habitacula sunt illis perpetua, & quocunque ierint, illic genuinum existimant larem.* Eadem commemorat & de Hunnis. Adscribam verba ejus etiam de ipsis: *Omnes sine sedibus fixis, absque lari vel lege aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant, ubi conjuges ex villis vestimenta contexunt, & coëunt cum maritis, & pariunt, & ad usq; pubertatem nutriunt pueros. Nullusq; apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus, nàtusque procul, & longius educatus.* Eandem olim veterum Gothorum consvetudinem fuisse, discimus ex B. Ambrosio, qvi

propterea

propterea de ipsis ep. 73. *Vt Gothis olim plaustra sedes erant, ita nunc plaustrum ecclesia est.* Vocat *sedem*, qvod alias est *domicilium*. Qvemadmodum & Mela lib. II. *Hujus flexum Briges amnis secat, Agathyrsi & Sauromatæ ambiunt, quia pro sedibus plaustra habent, dicti hamaxobitæ.* Ubi nota, dici *hamaxobitas*, qvi aliis sunt *hamaxobii*, & ad genus hoc in plaustris habitantium referri Agathyrsos etiam, & Sauromatas. Etiam de Æthiopibus ex Philostrato colligimus, qvi lib. VI. cap. 12. vitæ Apollonii, eos ἐφ' ἁμαξῶν πεπολισμένους nominat, hoc est, tales, qvi rempublicam suam habeant in vehiculis. Nescio, an Cimbros qvoq; in hunc censum referre debeamus. Eqvidem sic Plinius lib. VIII. cap. 40. *Canes defendere Cimbris cæsis domus eorum plaustris impositas.* Sed hæc lectio est Dalechampii. Alii libri habent, *cæsis Dominis*. Rhenanus edidit: *Cimbros cæsis Dominis e. p. impositi.* Hermolaus Barbarus: *Cimbro ac cæsis Dominis eorum plaustris impositis.* Puto lectionem veram esse: *Canes defendere Cimbras, cæsis Dominis eorum plaustris impositis.* Loqvi de mulieribus Cimbrorum videtur, qvæ maritos secutæ fuerant in bellum. Eas defenderunt canes, cum viri essent cæsi, plaustrisqve impositi, qvo eripi hostibus ad sepulturam possent. Nisi malimus, *cæsis Dominis earum, plaustris impositas*, ut impositæ plaustris ipsæ mulieres intelligantur, ritu militiæ, de qvo in seqventibus. Sanè de Cimbrorum mulieribus Plutarchus etiam in C. Mario: Αἱ γὰρ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν μελανείμονες ἐφεστῶσαι. *Fœminæ consistebant in plaustris pullatæ*, qvanqvam nihil habeat de canibus. Cæterum, ut his vehicula domorum vice habebantur omni tempore, ita aliis nonnullis ex occasione, noctu præsertim, qvod de Regibus Hebræorum observat Grotius. In defectu namq; domus vehiculum pro tecto eis ait ac cubiculo fuisse. Idq; colligit ex lib. I. Reg. cap. 26. ubi sic vulgata: *Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio.* Grotius hoc loco ita notat: *In tentorio: LXX.* ἐν λαμπήνῃ. *Ita vocabatur currus Regius, teste Polluce. Optimè. Nam Reges solent, ubi domus non sunt, dormire in curribus: Et vox* עגלה *ab eadem origine currum significat plurimis in locis.* Pertinebant alias vehicula ad valetudinem. Atq; primum qvidem ad

exercitationes qvasdam corporis. Firmat Plinius exemplo suo. Inde lib. IX. ep. 36. ad Fuscum: *Vbi hora quarta vel quinta, (neq; enim (certum dimensumq; tempus) ut dies svasit, in Xystum me vel cryptoporticum confero, reliqua meditor & dicto, vehiculum conscendo.* Et paulò post: *Nonnunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam si diu tacui vel ambulavi, post somnum demum lectionemque non vehiculo, sed, quod brevius, quia velocius, equo gestor.* Bene, *gestor*, ad gestationes enim referebant, ipsi qvoq; Medici. Celsus lib. II. *Genera gestationum plura, sed tamen leviſsima est navi vel in portu, vel in flumine, vehementior in alto mari vel lectica aut scamno, acrior vehiculo.* Ac de istiusmodi gestatione accipio, qvod de Trimalcionis puero in chiramaxio lato memorat Petronius, ut dicam alio loco. Solebat porro hæc gestatio institui in porticibus plerumqve aut nemoribus ad hoc adornatis. Unde Juvenalis Sat. IV. de Crispino:

*Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget*
*Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.*

Lubinus hoc loco: *Viridaria & hortos egregios intellige, in quibus vectabantur, & umbram captabant in calore æstatis.* Deinde morbos qvoqve, si qvando eis essent infestati, pellere vectatione tali qværebant. Ita Seneca gestatione tali utebatur, qvo abstergeret bilem, faucibus hærentem. Ipse Epist. 55. *A gestatione cum maximè venio, non minus fatigatus, quam si tantum ambulasſem, quantum sedi. Mihi tamen necessarium erat concutere corpus, ut, sive bilis insederet faucibus, discuteretur, sive ipse ex aliqua causſa spiritus densior erat, extenuaret illum jactatio, quam profuisse mihi sensi. Ideò diutius vehi perseveravi, invitante ipso littore,* &c. Laudant Medici & in capitis affectionibus, visu debilitato, paralysi, epilepsia, febribus ad postremum, qvod prolixè Hieronymus Mercurialis lib. III. Artis Gymnasticæ, cap. 10. & lib. VI. cap. 10. testatur. Sed &, si qvi alias ob morbum pedibus uti difficulter possent, ministerio vehiculorum incedebant. Inde illud legis XII. tab. *Si in jus vocat, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato.* Qvod exponit Sext. Cæcilius apud Gellium lib. XX. cap. 1. his verbis: *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus fortè ægris esſet,*

*aut*

*aut quo casu alio ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt, neque insterni tamen delicatè arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum.* Liqvet, plaustro aut vehiculo usos tales, si qvando procedere in publicum necesse foret. Ita cum se ipsum sauciasset Pisistratus, ἦκεν εἰς ἀγορὰν ἐπὶ ζεύγους νομιζόμενος, inqvit Plutarchus in Solone, hoc est, *rheda vectus in forum.* Neq; alio retulerim, qvod legitur de Erichthonio. Servius ad Georg. III. Virg. *Erichthonius ad tegendam pedum fœditatem junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem.* Dicit qvidem, factum ad tegendam pedum fœditatem. Verum ea non tam fœditas qvam infirmitas intelligenda, qvando pedes draconteos volunt habuisse. Sunt enim dracontei, qvibus reptant serpuntqve potius, qvam ambulant. Cœci qvoq; usi sunt vehiculis, cum in publico versari deberent. Cornelius de Timoleonte, cap. 4. *Hic cum ætate jam provectus esset, sine ullo morbo lumina oculorum amisit, &c. Veniebat autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atq; ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat.* Eadem commemorat Plutarchus. Respexerunt porro huc, qvi apud Romanos etiam Marcello cœco vehiculum decreverunt, qvo in curiam itaret. Qva de re qvia dixi satis in superioribus, hic nihil repeto. Videtur autem in universum hoc tributum senibus, ut vehiculo uterentur. Inde in lege X I I. tabularum ante adducta: *Si ævitas vitium extitit.* Et Gellius prædicto loco: *Arcera nimis ægri aut senes portari cubantes solebant.* Hac de caussa etiam Ausonius epist. 14. ad Paulum senem:

*Pelle soporiferi senium nubemque veterni,*
*Atque alacri mediam carpe vigore viam.*
*Sed cisium aut pigrum cautus conscende veredum.*
*Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.*

Memoratqve de Antiocho Medico Galenus, qvod annos natus plusqvam octoginta, si ei longius ire necesse esset, sella aut vehiculo uteretur. Sic de Spurinna septem & septuaginta annorum Plinius lib. III. epist. 1. *Deinde considet, & liber rursus, aut sermo libro potior: Mox vehiculum ascendit: Assumit uxorem singularis exempli, vel ali-*

*quem amicorum, ut me proximè.* Qvæ exempla simul docent, non ob infirmitatem modò, sed & exercitationem, adhibita à senioribus. Venio ad alium vehiculorum usum: Solebant enim eis aliqvando exportari defuncti. Atq; primum qvidem factum hoc honoris gratia: Nam Matronæ, qvæ filios habuissent in curuli dignitate constitutos, curru sellaq; curruli efferebantur. Ita colligit Jos. Scaliger ex illo Propertii lib. IV. el. 12. ubi Cornelia ad Paulum:

*-- -- -- Sim digna merendo*
*Cujus honoratis ossa vehantur equis.*

Veteres habuerunt *aquis*, sed alteram sui codicis ait esse lectionem, additqve: *Hæc confirmant, quæ superius dixi, nempe Matronas honorariis vestibus, curru & sella curuli efferri, quæ filios consulares aut aliis curulibus Magistratibus functos relinquerent. Nam equi honorati sunt curules, vel currus prætorius, in quo sella curulis.* Deinde sumptus minuendi gratia in pauperibus ac servis. Apud Massilienses profectò sic obtinuit, de qvo Valerius Maximus lib. II. cap. 1. *Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent; Altera, qua liberorum, altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehuntur.* Ubi nota plaustri usum in hoc negocio. Forsitan fecerunt ita & Romani, maximè, cum servi essent sepulturæ tradendi, qvando & in aliis pecorum ritu habuere, pecora verò mortua plaustris evehuntur. Damnatos profectò extulere plaustris, idq; contumeliæ fiebat caussa, qvæ non aliunde orta videtur, qvam qvod sic pecoribus & servis redderentur similes. Herodianus lib. IV. cap. 6. τὰ ὧν πλώματα φερόμενα μετ' ὕβρεως πάσαις ἁμάξαις ἐπιπεθέντα, ἔξω τῆς πόλεως κομισθέντα σωρηδὸν καὶ ἐπιμπραῖτο, ἤ ὅπως δὴ ἐρρίπτετο. *Ipsa cadavera plaustris omnibus per contumeliam imposita atque extra urbem exportata acervatim aut temerè injecta rogis comburebantur.* Loqvitur de amicis & ministris Getæ Imperatoris, qvos Caracalla frater condemnatos hac infamia notaverat. Videntur tale qvid & illi attendisse, qvi sic Commodi cadaver extulere. Idem auctor lib. II. Τὸ μὲν οὖν σῶμα τὸ βασιλέως οὕτω κλαπὲν, ἐκκομισθέν τε τῆς αὐλείας θύρας, νύκλωρ ὀχήμαλι ἐπιθέντες, εἰς τὸ πρασεῖον ἀπέπεμψαν. Ita Meursius emendat, cum priores, imò postea qvoqve Argentorati excusi habeant ἀριστεῖον, qvod haud dubie depravatum est. Sensus: *Corpus princi-*

*principio furtim elatum ac per noctem vehiculo impositum in suburbium miserunt.* De suburbio est sermo, ubi culina, locus pauperum, servorum, damnatorum sepulturæ destinatus. Præter hæc consvetudo efferendi mortuos in vehiculis obtinuit qvandoqve, cum in lue publica præ multitudine defuncti non possent efferri in lectis. Qva de re testimonium habemus Zonaræ in Const. Copron. ubi agit de pestilentia ingenti per Siciliam, Calabriam & Græciam: *Tanta fuit morientium multitudo, ut efferri non possent, sed plura cadavera simul curribus imposita eveherentur.* Et Paulus Diaconus de pestilentia simili sub Constantino: *Ex necessitate multa excogitatum est, quod super animalia tabulæ sternerentur, & ita super has impositi mortui deferrentur. Pari modo & alii in plaustris suprapositi asportabantur.* Legimus hoc ipsum aliqvando factum ob itinerum longinqvitatem. Sic enim Athenienses civium suorum, qvi cecidissent in bello, cadavera tot componebant arcis, qvot habebant tribus, & sic referebant in urbem vehiculis, qvod ex, nescio qvo, veteri testatur Alexander Ferrariensis lib. III. cap. 10. Nisi respexisse Thucydidem putamus, qvi sic ea de re lib. II. Interprete illius optimo, Enegkelio Barone: *Eadem hyeme Athenienses more patrio exequias bello primum absumptis publicè fecerunt, in hunc ferè modum: Extructo triduo ante tabernaculo, occisorum ossa proponunt, & suis quisq; aliquid pro lubitu addit. Cum verò efferrendum est funus, arcas ex cupresso, suæ quamque tribus ossa continentes, currus singularum tribuum singulas vehunt, &c. Comitantur funus pro voluntate cujusque cives peregrinique, & fœminæ cognatione eos aliqua attingentes ad sepulchrum lamentantur. Ponunt eos in publico monumento, quod est in pulcherrimo suburbio civitatis.* At his verbis, currus istos secum habuisse in militia, Thucydides non ait, qvod tamen Alexander videtur voluisse, qvando ait: *Cadavera tot arcis componebant, quot erant tribus, & referebant in urbem vehiculis.* Itemq; Alexander Neapolitanus, seu ab Alexandro, qvi expresse lib. VI. Genial. Dier. cap. 14. *Inolevit mos Athenis, ut singulæ tribus singulas arcas, in quibus cadavera & dispersas reliquias illorum, qui bello ceciderant, suæ cujusque tribus, inquisita colligerent, in expeditione vehiculis ferant.* Non, inqvam, latas arcas

cas in expeditione dicit Thucydides, sed in urbe congesta in eas ossa, ut sic singulæ plaustris singulis ad sepulchrum publicum possent deferri. Itaq; habuerint sua ex alio qvopiam uterq; Alexander, vel Thucydidem non rectè assecuti fuerint, necesse est. Qvanqvam vero non repugnet, ossa qvoq; reportasse domum in vehiculis. Qvi enim alias qvivissent commodè? Adde, qvod & alibi sic sveverint. Qvod colligimus exemplo Alexandri, qvem in curru Alexandriam perlatum memorant. Diodorus lib. XVIII. Συνετελεκὼς τὴν ἁρμάμαξαν, ἐφ' ἧς ἔδει καλακομισθῆναι τὸ βασιλικὸν σῶμα, παρεσκευάζετο τὰ πρὸς τὴν κομιδήν. *Harmamaxa, qua regium cadaver transvehendum erat, jam confecta, ad translationem ejus se præparabat.* Paulò aliter Ælianus noster lib. XI. cap. ult. ita tamen, ut & ipse currum memoret in hoc negotio. Et sic alibi qvoq; observamus factum. Ita namq; circumvehere cadaver Regis sui defuncti Scythæ consveverunt, teste Herodoto in Melpomene. *Quum Rex eorum decessit*, inqvit, *accipiunt mortuum corpore incerato, alvo evulsa atque expurgata, quam silere contuso & thimiamate apiig, semine & anisi quum expleverunt, resuunt rursus, impositumq; plaustro cadaver ad aliam gentem ferunt. Quod qui excipiunt, eadem agunt, quæ regii Scythæ*, &c. *Postmodum Regis cadaver carpento ferunt ad aliam gentem, cui imperitant, quæ ipsos comitatur ad eos, unde primum venerant.* Sed hoc satis. Occurrit & vehiculorum usus aliqvando ad supplicia & pœnas. Qvo referimus, qvod Homerus prodidit de Hectore ad currum religato ab Achille, atq; sic per terram tracto, lib. X. Iliad. Dictys Cretensis lib. III. *Achilles cum cæde inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in unum pedibus vinculo, currui postremo adnectit. Dein, ubi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita curru concitato per campum, qua maximè visi poterat, pervolat, hostem mirandum in modum circumtrahens: Genus pæne novum miserandumque.* Sed hoc qvidem Hectori evenit jam occiso. At verò vivo filiæ Limones adultero, per Hippomenem, unum ex Codri posteris. Heraclides in Polit. Ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας μετὰ τῆς θυγατρὸς τῷ ἁρματι. *Ipsum* (adulterum) *necavit, currui alligatum una cum filia.* Simili modo Betim ultus est Alexander, de qvo Curtius

lib.

lib. IV. cap. 6. *Per talos spiramentis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi, gloriante Rege Achillem, à quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda.* Alia est ratio, qvando nocens alligatur vehiculis duobus, & sic distrahitur in partes. Priscis temporibus hoc accidit Metio apud Romanos. Livius lib. I. c. 28. *Exinde duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Metium. Deinde in diversum iter equi concitati lacerum in utroque curru corpus, qua inhæserant vinculis membra, portantes.* Florus lib. I. cap. 3. *Ruptorem fœderis Metium Fufelium, religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit.* Habes nominatim currus: Ad qvos qvo pacto religatus fuerit, declarat Dionysius Halicarnassensis. Et Servius ad Virgilii VIII. *Metium post victoriam captum Tullius Hostilius religavit ad duas quadrigas, ita, ut ab unis quadrigis traherentur manus, pedes verò ab alteris: Quibus agitatis velociter, eum crudeli morte discerpsit.* Sunt, qvi supplicii hujus auctorem faciunt Herculem. Freinshemius in Notis ad Florum: *Id supplicii Herculem invenisse ferunt.* Respexit, ut opinor, Godelevæum, qvi ad Livium, ubi de Metii supplicio, hoc modo: *Hoc supplicii genus ab Hercule inventum esse constat, qui florenti adhuc ætate Regem Euboëæ Pyrechmen bellum Bœotiis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas dispertiretur partes, ut refert Plutarchus cap. 13. Paral.* Sed nonnihil differunt, alligare ad currus cum qvadrigis, aliud ad eqvos simplices. Hoc factum ab Hercule, non illud. Ita enim Plutarchus ipse: Πώλοις ὃ προσδήσας, καὶ εἰς δύο μέρη διελὼν τὸν Πυραίχμην ἄταφον ἔρριψεν. Malè vertunt: *Pullisque equi alligatum in duas partes discerpsit, insepultumque abjecit:* Deberent enim, *equis alligatum*, qvoniam πώλοι Græcis sæpe simpliciter sunt *equi*. Et sic ipse statim in historia Metii: Τὸν βασιλέα δύο πώλους συζεύξας διεσπάραξεν. Ubi similiter reddendum erat: *Duos jungens equos eum discerpsit.* Licet verò & Plutarchus nudos eqvos nominet in Metii supplicio, & iccirco illud Pyrechmes huic assimilet, fecit tamen id, secutus alios auctores, contra sententiam plerorumq; Romanorum. Ipse Varro lib. I. de Gente Pop. Rom. *Metium Suffetium equis ad curriculum ex utraque parte deligatum distraxit.* Meminit alias supplicii hujus & Se-

neca ep.14. ubi licet legat Lipsius, *distracta in diversum actis cruribus membra*, tamen *curribus*, qvod habent vulgati, & Gronovii optima editio, præferendum, cum *acta crura* parum commodè dicantur, qvæ flexis arboribus sunt innexa, neqve crura solum, sed & brachia religari consveverint. Reperimus etiam, qvi subjecti plaustris, comminutiq; rotis fuerunt. Memoratq; nominatim Plutarchus in Galba delatorem Aponium hujusmodi supplicio affectum: Ἀπόνιον δέ τινα τῶν καλιγοριπῶν ἀναιρέψαντες, ἁμάξας λιθοφόρους ἐπήγαγον. *Aponium quendam ex delatoribus prostraverunt, & per corpus ejus onusta lapidibus plaustra egere.* Aliqvando rotæ solæ huc adhibitæ, qvomodo videmus hodieq; fontes rota contundi ad mortem. Qvanqvam genus hoc sit recentius, &, ut Bodinus censet lib. V. de Rep. excogitatum à Germanis. Gallo-Francis tribuit Barthius lib. IX. Adv. c. 1. propter ista Galteri lib. VIII. Alex.

*Hoc habitu quondam Burchardum Flandria vidit*
*Solventem meritas, occiso Principe, pœnas.*
*Quem rota pœnalis pro tanto crimine torsit,*
*Totaque confregit Ludovico vindice membra.*

Item, qvod in Glossis rota sit *Gallicula*. Verba veteris Glossarii, sub titulo Excerptorum laudati, ita habent: *Galliculæ*, τροχάδες. Nec videtur error in scriptura, qvando & in Glossis Græco-Latinis ita reperitur, τροχὰς, *gallicula*. Sed gallicula hic nihil pertinet ad rotam, qvam nec τροχὰς significat. Rota Græcè est τροχὸς, non τροχὰς, qvod sine caussa Barthius in τροχὸς putavit immutandum: Τροχὰς verò gallicula. Hesychius: τροχάδες, σανδάλια ἀπὸ αἰγείας δέρματος. Vides, adeò non significare rotam, ut sint sandalia de genere calceorum, qvalia & gallicæ & galliculæ. Itaq; in conjectatione sua frustra Barthius hic fuit. Nec tamen repugnem, apud Gallos Francosq; genus hoc supplicii fuisse olim receptum, propter verba Galteri, qvæ apertè memorant confracta membra. Rotas habuere Græci qvoq; ac Latini, sed solummodo ad torqvendum, non adimendam vitam. Talis rota, in qvam reponebantur servi, cædebanturq; virgis. Scholiastes vetus Aristophanis in Pace: οἱ δοῦλοι σφαλλόμενοι ὅτι τῷ τροχῷ δεσμευόμενοι καὶ συρόμενοι ἐτύπτοντο, ἀνακλώμενοι ἐν ἀμφ. *Servi delinquentes super rotam*

*rotam religati & tracti verberibus multabantur, in ea reflexi.* Religabantur verò manibus. Qvod indicat Achilles Tatius lib. VI. Φερέτω τροχὸν, ἰδοὺ χεῖρες, τείνεσθε. Sic enim distingvendum est, Salmasio auctore, atq; explicandum: *Rotam inferat; Ecce manus, eas extendat.* Qvid autem est ἀνακλώμενοι apud Scholiast. vel *reflexi in ea?* Puto machinam sic fuisse structam, ut nocens ab una parte religatus incumberet orbi bene lato, eoqve circumacto tenderetur. Suidas in voce τροχισθεῖσα: Ἀπὸ τοῦ τροχοῦ ὅπερ ὄργανον βασανιστικὸν, καὶ διατεῖνον τὰ σώματα. Verbum hoc *dictum à rota, quæ instrumentum tortorium, quo corpora extenduntur.* Neq; mirum, cum in pedibus haberent religata pondera, si modò rectè sese habent, qvæ leguntur apud Josephum in de Maccabæis. Verba hæc sunt: *Illigari igitur, mole pedibus appensa, atque innecti rotæ jubetur Maccabæus, ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut solutis hinc inde visceribus, venisque distentis, dolores ipsius & pœnæ crescerent.* Ita sese habent verba Erasmi, qvi hunc librum reddidit Latinè. At Josephus ipse ita loqvitur: Ἀνέβαλον αὐλὸν περὶ τὸν τροχὸν, περὶ ὃν καλαιεμόμενος ὁ εὐγενὴς νεανίας, ἔξαρθρος ἐγένετο, καὶ πᾶν μέλος κλώμενος. In qvibus verbis nil occurrit de ponderibus, tantum membra singula dicuntur extenta, & articulos omnes è loco suo emotos, ipse damnatus postremo conjectus περὶ τὸν τροχὸν, qvod plane id significat, qvod dixi. Non videlicet ligatum super radios, sed in orbe sive circulo rotæ. Qvare illa qvoq; non sunt rectè reddita, qvæ seqvuntur: Ταῦτα λέγουσι πῦρ ὑπέστρωσαν, καὶ διηρέθισαν τὸν τροχὸν προσεπικαλατείνοντες. Ἐμολύνετο ὃ πάντοθεν αἵματι ὁ τροχὸς, καὶ ὁ σορὸς τῆς ἀνθρακίας τοῖς τῶν ἰσχάρων ἐυσθέννυτο σταλαγμοῖς, καὶ περὶ τοὺς ἄξονας τοῦ ὀργάνου περιέῤῥεον αἱ σάρκες. Erasmus ita vertit: *Hæc eo loquente præparatur incendium, &, ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur, atque ita tendentibus corpus radiis & contrahentibus flammis costis deinde patentibus laterum vitalia rumpuntur.* Nihil tale dicitur in Græcis, qvorum sensus verus hic est: *Ista dicenti substraverunt ignem excitaruntque, rotam juxta intendentes. Rota verò undiquaque maculabatur sangvine, prunarum autem cumulus rore humorum destillantium extingvebatur, & circa machinæ axes diffluebant carnes.* Nihil hic de radiis rotæ, sed de axe, cui incidebant carnes corporis lacerati, qvod impositum fuit orbi.

Sed nec, qvæ de igni habentur, satis intellexit Erasmus. Putavit in eum una cum rota fuisse conjectum damnatum. At Josephus prunas ait substratas, ut alligatus rotæ non tenderetur solum, sed & torreretur. Atq; sic receptum fuit in hoc genere, ideò ignis ferè una cum rota memoratur. Achilles Tatius, post ea, qvæ de rota paulò ante protuli: Φερέτω καὶ μάστιγας, ἰδοὺ νῶτος, τυπτέτω. Κομιζέτω πῦρ, ἰδοὺ σῶμα, καιέτω. *Afferat & flagra, ecce tergum, verberet. Ferat ignem, ecce corpus, comburat.* Sic enim distingvit explicatq; Salmasius. Atq; statim post: Λάμβανε καὶ ἐμοῦ τὰς μάστιγας, τὸν τροχὸν, τὸ πῦρ. *Cape in me flagra, rotam, ignem.* Apulejus lib. III. Asini: *Nec mora, cum ritu Græciensi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* Habes ecce ignem simul cum rota. Sed & flagra, qvia, sicut dixi ab initio, & hoc receptum fuit, ut simul damnati verberarentur. Aristophanes in Pace: Ἐῶ τοῦ τροχοῦ χ' ἑλκόμαστιγούμενος.

Vertit Florens Christianus:

*Flagris secetur, & trahente eat rota.*

Qvod non satis est evidens, qvando non ibant tracti rota, sed ei impositi trahebantur ad divulsionem membrorum, & interea proscindebantur flagris, idqve veritatis extorqvendæ vel alterius rei obtinendæ gratia, non verò adimendæ vitæ, in qvo rota Græciensis à rota Germanorum Francorumve differebat, contra qvam pleriq; docti censuere. Gerardus ad Plutum Arist. *Noxii alligabantur rotis, ut radiis rotarum convulsi lenta quidem morte, sed maximo cruciatu, illic perimerentur.* Neutrum horum verum, nam nec alligati radiis, nec perempti. Docet ipse Aristophanes:

Ἐῶ τοῦ τροχοῦ δ' δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον
Εἰπεῖν, ἃ πεπανούργικας. -- --

Sententia est clarissima, *super rotam*, ait, *te incurvatum hic oportet proloqui, quæ feceris prava.* Frischlinus perperam sic reddidit:

-- -- -- *Nam oportet te, rotæ*
*Illic revinctum & radiis insertum, tua*
*Flagitia profiteri.*

Nulla mentio hic radiorum: Tantum dicit rotæ tormento eo compulsum iri, ut veritatem profiteatur. Veritatis ergo exprimendæ

dæ cauſſa, non perimendi ſontis, rota eſt inventa, ut ne Cœlius Rhodiginus qvidem rectè cum rota Germanorum junxerit. *Rotæ tormentum*, ait lib. X. cap. 5. *Germanorum ferè peculiare cenſetur: Ita tamen, ut ejus meminerit Ariſtophanes Pluto.* Falſum hoc. Non agit de rota Germanorum, verum ea, qvam vocavit *Græcienſem* Apulejus. Itaq; nec illud probum, qvod ſeqvitur: *Rotæ inferuntur noxii, & membratim rotarum convulſi radiis lentitudine mortis maximo cruciatu perimuntur.* Non perimuntur rota veteri Græcienſi, ſed torqventur. Ita torqvetur peregrinus ille apud Plutarchum in vita Niciæ, qvi cladem Athenienſium in tonſtrina narraverat, ut rei à ſe nunciatæ proderet auctorem. Ita fuerunt, qvi Phocionem cenſuerunt torqvendum ad edendos conjurationis ſocios, priusqvam ad ultimum duceretur ſupplicium, apud eundem Plutarchum in vita Phocionis. Pertinet huc qvoq; dictum Plauti, qvando ait Act. II. Ciſtell. ſcen. 1.

*Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer.*

Sed de rota ſatis, redeo ad integra vehicula, qvæ adhibebantur qvoq; ad infamiam. Qvomodo apud Scythas, qvi vates falſus erat, imponebatur plauſtro ſarmentis onuſto, qvæ ſimul accendebantur igne. Herodotus lib. III. *Falſos vates hunc in modum necant: Plauſtrum concameratum, ubi ſarmentis referſerunt, bobusque junxerunt, vaticinos pedibus implicatis, & manibus poſt tergum revinctis, atque ore obſtructo, extendunt in medium ſarmentorum: Incenſisque ſarmentis territando agitant boves, quorum boum multi cum vaticinis concremantur, multi ambuſti, cremato utique plauſtri temone, aufugiunt.* Romani parricidas affecturi ſupplicio, plauſtro deferebant ad mare juncto bobus nigris. Ita docet Gloſſarium vetus, qvod citat Savaro ad Sidon. IV. ep. 24. *Fuit lex quædam hujusmodi omnibus hominibus, ut, qui parricidium feciſſet, publicè in culleo miſſus cum vipera & cane & ſimia & gallo, impiis animalibus, impius homo ſuper plauſtrum, junctum nigris bobus, deferretur in mare, & projiceretur in profundum.* Eadem plane habet Doſitheus, Grammaticus græcus, in Sententiis & Epiſtolis Hadriani Imperatoris, ex qvo adducit Demſterus ad Roſſinum verbis græcis, ut alter ex altero transcripſerit.

Nescio, num qvid simile receptum fuerit apud græcos in proditoribus. Phocion saltem, hujus criminis reus, ita vectus est. Plutarchus in ejus vita: Καὶ πρῶτον τὸ σχῆμα τῆς κομιδῆς λυπηρὸν, ἐφ' ἁμάξαις κομιζομένοις αὐλῶν διὰ τοῦ Κεραμικοῦ πρὸς τὸ θέατρον. *Species vecturæ fuit tristis admodum, plaustris vecti per Ceramicum fuerunt ad theatrum.* Atq; hi vehiculorum usus ferè pacis tempore. Fuit & eorum usus non exiguus in bello. Populi profectò antiqvissimi hoc genere pugnarunt. Qvod ex ipso Mose discimus, qvi exercitum Pharaonis & Ægyptiorum æstimat ex solis curribus. Verba ejus Exodi 14. *Iunxit ergo currum,* (Pharao) *& omnem populum suum assumsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quicquid in AEgypto currum fuit, & Duces totius exercitus.* Simili modo in exercitu Sesostris Diodorus lib. I. memorat ζεῦγη πολεμιστήρια δισμύρια καὶ ἑπτακισχίλια, *currus militares ad viginti septem millium numerum.* Sic de Jabin, Rege Cananæorum, legimus in libro Judic. cap. 4. *Nongentos habebat falcatos currus.* Habuerunt & Assyrii. Diodorus lib. II. de Nino memorat, qvod in exercitu suo adversus Bactrianos adhibuerit ἅρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων, *currus falcatos paulò minus decem millibus & sexcentis.* Persæ non alio genere magis parari victoriam putarunt. Inde Curtius lib. IV. cap. 9. *Ingensque, ut crediderat, terror hostium, ducentæ falcatæ quadrigæ unicum illarum gentium auxilium sequutæ sunt.* De Persis & Dario loqvitur, ipsorum Rege. Neq; recens fuit institutum hoc Persarum, sed vetustum plane. Meminit enim Diodorus lib. II. auxilii Priamo missi à Teutamo, Rege Assyriorum, curribus ducentis Susianorum, qvi sunt Persæ: Ἄλλους τοσούτους Σουσιανοὺς σὺν ἅρμασι διακοσίοις ἑξάπους εἶλαι. *Totidem Susianos cum ducentis curribus illi misit.* Transiit hæc consvetudo etiam ad Thraces. Polyænus lib. IV. de Alexandro: Θρακῶν παρασκευασμένων καλαγνὰς ἁμάξας πολλὰς ἐπαφιέναι τοῖς Μακεδόσι. *Thraces paratos esse didicit, ut magnam vim curruum in Macedones immitterent.* Indos. De qvibus ante dictus Curtius lib. VIII. cap. 14. *Summa virium in curribus. Senos viros singuli vehebant, duos clypeatos, duos sagittarios ab utroque latere dispositos, cæteri aurigæ erant, haud sanè inermes, quippe jacula complura, ubi cominus præliandum erat, omissis habenis in hostem ingerebant.* Sic describit currus

istos

istos Indorum, Regisq; Pori, unde constat, non fuisse, qvales vulgo in militia, præcipuè græcorum, fuerunt recepti. Ut hoc ipsum fortè Clariss. Freinshemium monere debuerit, ne in dubium Curtii fidem vocaret. Nec enim, si alii Indorum, excepto auriga, epibatas seu propugnatores habuere duos tantum, qvod Ælianus tradunt atqve Strabo, & ipsum qvoq; diversum est à consvetudine græcorum, necesse videtur, ut idem statim de Indis, qvibus Porus imperabat, statuamus. Curribus pugnarunt græci qvoqve. Ideò vetusta mentio eorum etiam apud Homerum. Eadem Libyæ gentis consvetudo. Docet junctim Pollux lib. I. cap. 10. Λίβυες δὲ ἀπὸ διφρων καὶ ἵππων ἐπιζευγνυμένων, ὥσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες, μάχονται. *Libyci ex curribus, ad quos juncti equi, quemadmodum Heroës Homeri, præliantur.* Ita locum hunc vertendum monui in meis ad Arriani tactica Notationibus. Num & Lacones? Inter species διφρείας enim apud Pollucem dicto loco est & ἡ λακωνικὴ. Præterea in illo Pollucis loco toto agitur de curribus non aliis, qvam militaribus. Sed qvæ διφρείαι illæ, qvarum species tres memorat, Libycam, Persicam, & Laconicam? Puto significare non certam qvandam & peculiarem rationem agendi currus, in peculiari eqvorum concitatione consistentem, verum singularem speciem, cum respectu curulis constructionis, tum respectu eorum, qvi ex curribus pugnabant, & armorum, qvibus utebantur. Qvod colligo ex loco Xenophontis, qvi extat lib. VI. Pædiæ, ubi Persicam διφρείαν explicat, eiq; opponit Trojanam & Cyrenaicam. Verba sic se habent: Καὶ τῷ μὲν Τρωϊκὴν διφρείαν πρόσθεν ὖσαν, καὶ τῷ Κυρηναίων ἔτι νῦν ὖσαν ἁρμαλλασίαν καλέλυσε. Τὸν γὰρ πρόσθεν χρόνον καὶ οἱ ἐν Μηδίᾳ καὶ Συρίᾳ καὶ Ἀραβίᾳ καὶ πάντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς ἅρμασιν οὕτως ἐχρῶντο, ὥσπερ νῦν οἱ Κυρηναῖοι. Sermo est de Cyro: *Trojanam*, ait, *rationem aurigandi, quæ olim fuit recepta, & Cyrenaicam, quæ nunc quoque usitata est, omisit. Superiore namque tempore & Medi, & Syri, & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita utebantur, ut nunc Cyrenaici.* Subdit postea, qvid Cyrus immutaverit in structura curruum, & armatura illorum, qvi pugnare ex iis debebant. Unde liqvet, διφρείαν esse rationem certam præliandi ex curribus, aliter aliterq; se habentem pro ratione curruum ipsorum & præliantium ex ipsis. Rationemq; illam memorari

morari qvintuplicem, Libycam, Asiaticam vel Cyrenaicam, Persicam, Trojanam, & Laconicam. Atq; ita Laconas seu Spartanos qvoq; habuisse qvondam currus suos in bello, eosq; peculiari qvadam structos ratione armatosqve, qvæ à structura cæterorum differebat, eamq; esse διφρείαν Λακωνικὴν, qvam Pollux memorat. Qvæ verò illa fuerit differentia, in defectu auctorum de hac re tradentium, haud profectò dixerim. Troicam, Asiaticam seu Cyrenaicam, & Persicam cognoscimus qvadamtenus ex Xenophonte, alibiqve explicamus; At verò Libycam & Laconicam descriptam hactenus non observavimus. Ut sufficere nobis debeat, qvod fuisse utriusq; aliam à prædictis rationem sciamus. Nisi fortè Libycam putamus eam ipsam, qvæ & Cyrenaica. Videturq; velle Scholiastes Pindari, qvando, qvod de Cyrenaicis proposuit, deindé explicat de Libyis. Verba sunt in Oden IV. Pyth. Τὴν Κυρήνην εὔιππον εἶπεν ἐκ τοῦ παραλυχόντος, ἀλλ' ὅτι Ποσειδῶν τὰς Λίβυας διδάξει τὴν τῶν ἁρμάτων κατάζευξιν. *Cyrenen vocat bonam equis*, (Stephanus & docti viri alii non satis commodè reddiderunt *equestrem*) *non ex eo, quod tunc accidit, sed quia Neptunus Libyas docuit junctturam vehiculorum.* Non potuisset tribui Cyrenaicis, qvod ad Libyas pertinuit, si non Cyrenaici etiam Libyæ fuissent. Ita amplius cognoscimus ex Stephano, qvi Libyn etiam Cyrenen ait dictam: Λιβύη, χώρα πολυώνυμος, ὡς Πολύϊστωρ. Τὴ Ὀλυμπία, Ὠκεανία, &c. Αἰθιοπία, Κυρήνη. *Libya, terra, quæ multa habet nomina, ut ait Polyhistor. ut terra Olympia, Oceania, &c. Æthiopia, Cyrene.* Itaq; vix alia Libyca est ratio, qvam Cyrenaica. De Laconica dubitamus, cum præsertim ejus alibi, qvam apud Pollucem, mentionem nullam videamus fieri. Præter Græcos autem, interq; eos nominatim Laconas seu Spartanos, invenimus usos curribus ad prælia & alios Europæ populos, ut Gallos Belgasqve, qvorum bennæ ac covini veteribus non semel memorantur. Hinc Lucanus qvoqve lib. I. de Belgis:

*Et docilis Rector constrati Belga covini.*

Et de Gallis Livius lib. X. cap. 20. *Essedis carrisque superstans armatus hostis, ingenti sonitu equorum rotarumque, advenit.* Britannis nihil fuit olim usitatius. Memorat jam Tacitus in Vita Agricolæ, cap. 12.

*Quædam*

*Quædam nationes & curru præliantur. Honestior auriga, clientes propugnant.* Et ante ipsum Mela lib. III. cap. 6. *Dimicant non equitatu modò aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallicè armati.* Num & alii sic prælia commiserint, nescimus, nisi de Romanis aliqvid colligere ex Auctore veteri de Rebus Bellicis volumus, propter Currodrepanos vulgares, singulares & clypeatos, qvos describit. Sed hoc valde recens fuerit, necesse est, atqve rarum, cum Scriptores nulli memorarint. Priscis sanè temporibus ignorasse, vel unicus docuerit Polybius, qvi, cum diligenter omnem Romanorum descripserit militiam, currus ne uno qvidem in ea nominavit verbo. Cæterum, hic primus usus est vehiculorum in bello, pertinens ad prælia & acies. Est & usus alius, ad claudenda firmandaqve castra, qvi non Romanis qvidem, aliis tamen populis admodum fuit receptus. Ac de Gallis qvidem pridem est testatus Sisenna lib. IV. Historiarum, cujus verba Nonio servata voce *Carra* hæc sunt: *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* De Helvetiis discimus ex Cæsare, qvi sic lib. I. Bell. Gall. cap. 6. *Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est; Propterea, quod pro vallo carros objecerant.* Idem testis est & de Germanis, nominatimqve Harudibus, Marcomannis, Triboccis, Vangionibus, Nemetibus, Sedusiis, Svevis, libr. I. dicti operis, cap. 51. Fuit & Cimbrorum ea consvetudo, qvod colligimus ex Floro, qvando lib. III. cap. 3. fœminas eorum scribit, *objectis undique plaustris atque carpentis* post virorum cladem pugnasse. Gothis tribuit Ammianus lib. XXXI. *Haud longo spatio*, ait, *separatum vulgus inæstimabile Barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum, tanquam intramuranis cohibita spatiis, otio fruebatur & ubertate prædarum.* Gethis vicinisqve Claudianus in Rufinum lib. II. v. 127. ubi sic de ipsis, qvos communi nomine appellat Barbarum:

*Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum*
*Asperat alternis sudibus, muriqve locata*
*In speciem cæsis obtendit plaustra juvencis.*

Ubi nota, consveviſſe interdum plaustris curribusve hisce coria exterius apponere, contra ictus ingruentium ab hoſte telorum, & qvo tutius ab eis in-ſubeuntes pugnarent, qva de re cum alibi, tum qvoqve ad Mauritium noſtrum egimus. Scythas vulgo habuiſſe intelligimus ex Luciano, ubi Toxaris Scytha in ejus nominis dialogo: Ἔνθα ἡμῖν τὸ ἥμισυ τῆ ϛρατοπέδε, καὶ μέρος τῶν ἁμαξῶν ἦν. Οὕτω γὰρ ἐσκηνώσαμεν. *Voi nobis dimidium copiarum & pars plaustrorum erat. Sic enim castra fueramus metati.* De Thracibus ex Arriano diſcimus, qvi ſic ſtatim ab initio de ipſis: Συναγαγόντες ἁμάξας, καὶ προβαλόμενοι πρὸ σφῶν ἅμα μὲν χάρακι ἐχρῶντο ταῖς ἁμάξαις ἐς τὸ ἀπομάχεσθαι ἀπ' αὐτῶν εἰ βιάζοιντο. *Congregatis plaustris, & ante se collocatis,* (Interpres liberalius, *in orbem dispositis*) *simul pro vallo utebantur eis, ut ex iis, si premerentur, pugnarent.* Barbaris in universum omnibus tribuit Vegetius lib. III. cap. 10. ubi agit de diverſa muniendi caſtra ratione. *Omnes barbari*, ait, *carris ſuis in orbem connexis ad ſimilitudinem caſtrorum ſecuras à ſupervenientibus exigunt noctes.* Uſurparunt tamen & Romani qvoqve ſeqvioribus temporibus, ut ex Leone, Mauritio, cæterisqve Tacticorum Scriptoribus, cognoſcimus. Et jam de Narſete Agathias lib. II. ubi agit de ipſius caſtrametatione: Καὶ τὰς τῶν ἁμαξῶν τροχὰς, ἃς δὴ ὡς πλείστας ἐπῆγεν, ϛοιχηδὸν ἐς ἀλλήλας ἁρμόσας, ἐνέπηξε τὰ ὀπίσω πῃ ἐδάφη, ἄχρι καὶ ἐς τὰς πλήμνας περιχώσας, ὡς μόνα τὰ ἡμικύκλια ὑπερανέχειν καὶ προβεβλῆσθαι. *Et curruum, quorum maximam habebat vim, rotas ordine inter ſe conſertas ſolo infixit, terra ad modiolos rotarum usque aggeſta, ita, ut circumferentiæ dimidia tantum pars extaret & promineret*, ut Vulcanius hæc vertit. Non verò ad munitionem caſtrorum ſolummodo, ſed & integri exercitus, in itinere conſtituti, pertinebant, ſi qva vis ab hoſte timeretur, aut inſultus. Qvod oſtendit

ostendit Polyænus lib. III. ubi de Timotheo testatur, qvod contra Olynthios servarit exercitum suum in itinere, τὰς ἁμάξας πυκνὰς ἄγων καὶ συνηρμένας, τοὺς ὁπλίτας τούτων ἔξωθεν περιβαλών, *currus constipatim ducens & conjunctim, eisque circumdans armatos.* Pollio in Gallienis, cap. 13. *Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati.* Cœlius Rhodiginus lib. XVIII. cap. 24. explicans hunc locum ita scribit: *Sic interpretantur nonnulli, ut carraginem facere, verbo barbariem resipiente, sit perinde, ac si dicas, conclamare vasa. Sed & carraginem facere dixeris non rectè minus, viam aperire, qua commeent plaustra: Quando & carraginem ratione hac usurpat pleraque Italia, vel proverbio teste.* Verum, qvicqvid sit de proverbio Italiaqve, nihil tale voluit Pollio in prædicto loco, sed per *carraginem facere* intellexit carros inter se conjungere vel construere, ut per eos ita consertos, & à latere utroqve tergoqve incedentes, medius inter eos exercitus tutum ab hoste possit iter facere, qva de re loco alio pluribus agemus. Ad postremum etiam in ipso prælio sic suos muniebant aliqvando, maximè, si metueretur fuga. Cæsar de Bell. Gall. cap. 51. *Omnem aciem suam rhedis & carris circumdederunt, ne qua spes in fuga relinqueretur.* Simile qvodammodo Indorum institutum apud Curtium lib. IX. cap. 1. *Barbari*, ait, *vehiculis inter se junctis dimicaturi occurrerunt, transiliebantque in vehicula strenuo saltu, cum succurrere laborantibus suis vellent.* Ubi juncta inter se vehicula non aliter intelligenda, qvam ut dixi. Qvare seqvitur de Alexandro: *Vincula, quis conserta erant,* (vehicula) *jussit incidi, quo facilius singula circumvenirentur.* Sed & de Vacceis Frontinus lib. IV. cap. 7. 33. *Vaccei, cum à Sempronio collatis signis urgerentur, universas copias cinxere plaustris.* Est & tertius vehiculorum usus in militia ad deportanda primum tela majora cum suis machinis. Inde inter vehicula exercitum seqventia Mauritius noster lib. XII. cap. 18. numerat τὰς βαλιστροφόρους ἁμάξας

(sic enim legendum, non βαλιςρόρυς, qvod in Notis monui) hoc est, *currus baliſtas portantes.* Vegetio videntur esse *carrobaliſtæ* tela, ducta istis curribus. Verba extant lib. II. cap. ult. *Legio primum omnium inſtruitur jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla poſſunt ſcuta ſufferre. Nam per ſingulas centurias ſingulas carrobaliſtas habere conſvevit, quibus muli ad trahendum deputantur.* Idem memorat onagros in vehiculis, eodem loco: *In una legione eſſe ſolent decem onagri, hoc eſt, ſinguli per ſingulas cohortes. In carpentis bobus portantur armatis, ut, ſi fortè hoſtes ad oppugnandum venerint vallum, ſagittis & ſaxis poſſint caſtra defendi.* Sic distingvo locum hunc, qvi se malè habet in vulgatis: Deinde pertinebant ad gestationem armorum, si fiebat iter, neqve metus erat ab hoste. Unde Mauritius noster lib. XII. cap. 19. Ἐὰν οἱ ἐχθροὶ πλησίον ὦσι, τὰ ὅπλα αὐτῶν βαςάζοντας τοὺς ὁπλίτας περιπατεῖν δεῖ, καὶ μὴ εἰς τὰς ἁμάξας ταύτας καταλιμπάνειν, ἵνα ὦσιν ἕτοιμοι πρὸς τὴν μάχην. *Si appropinquent hoſtes, graviter armati debent incedere geſtantes arma ſua, nec ea relinquere in vehiculis, quo ſint parati ad prælium.* Hic monentur, ne appropinqvante hoste arma relinqvant in vehiculis, sed eis sese muniant. Ex qvo seqvitur, habuisse alias deposita in eis. Neqve alia fortassis caussa, qvod non tarò videamus apud Auctores veteres etiam in itinere decursum ad arma, si qvando ex inopinato hostis ingruebat. Ita Curtius lib. III. cap. 8. *Itineri quam prælio aptiores erant, raptimque arma capiebant.* Sed & alias in eis arma habebant, ut, si qvovis modo sua perdidissent, haberent, unde promerent alia. Hinc capta legimus *plaustra coricis ac minoribus ſagittis onusta* apud Nonium voce *catapulta* ex Sisennæ lib. III. Ultimus est usus ad gestandas sarcinas militares alias, de qvo freqventissimè Scriptores. Hinc illud Curtii lib. VI. cap. 6. *Planicies ſpacioſa erat, in quam vehicula onuſta perduxerant. Expectantibus cunctis, quid deinde eſſet imperaturus, jumenta juſſit abduci, ſuisque primum ſarcinis, face ſubdita, cæteras incendi præcepit.* Habes

manifestè

manifestè sarcinas in vehiculis. Qvod & aliunde sæpius colligitur. Præter hos solennes propriosqve, sunt & usus alii vehiculorum. Ut cum in flumine collocantur ad coërcendam vim aqvarum, qvo facilius transire possit exercitus. Qvo videtur referendum, qvod habet Cæsar lib. I. Bell. Civ. cap. 64. *Legiones expeditas educit, magnoque numero jumentorum in flumine supra atque infra constituto transducit exercitum.* Nam, jumenta currus plaustraqve significare interdum, alibi jam ostendi. Singularis est inventi, qvod de Datame refert Polyænus lib. VII. Verba sunt hujusmodi, ut Vultejus vertit: *Datames supra fluvium magnam viam contendit, & curribus binis conjunctis binos alios imposuit, eosque clavis inter se compegit, & juxta canthos ab inferiori parte tabulas affixit, ut ne rotæ in limum fluminis deprimerentur. Viros autem valentissimos, qui optima jumenta attraherent, tranare jussit. Postea currus compactos in fluvium immisit. Hoc pacto cum posteriores impellerent, ii verò, qui trajecerant, ab anteriore parte traherent magnis funibus suspensos, injectis superius sarmentis atque lignis, fluvium cum suis copiis transmisit.* Sic Vultejus, paulò tamen obscurius. Polyæni mens est hujusmodi, fecisse Datamen in defectu pontis, ut per currus in flumine constitutos exercitum posset traducere. Itaqve non binos tantum, sed & duos & duos (ἁμάξας συνδύο ζεύξας) conjunxisse. Verum, qvia fuit flumen altius, his imposuisse currus alios. Jam ut sic juncti copulatiqve duci possent per flumen, primum viros strenuos jussisse illud superare natando cum jumentis validis, ad hæc jumenta in adversa ripa constituta jam alligasse funes validos, qvibus attraherent vehicula serie longa inter se connexa, & ut promptius hoc posset fieri, fuisse, qvi à tergo vehicula ista propellerent. Postremo, ne in limo subsiderent rotæ, tabellas eis affixisse. Ita conjecisse sarmenta in plaustra, & super ea tabulas, ut per eas exercitui pateret via. Hæc sententia est Poliæni, qvam interpreti dabit facilè, qvis-

qvis noſtra conferre cum Græcis volet. Ut enim Græca qvoqve proferamus, prolixitas verborum prohibet. Vehiculis in anguſto itinere conſtitutis accenſisqve Demetrius impedivit perſecutionem hoſtilem, ſicut idem teſtatur lib. IV. πλῆθος ἁμαξῶν σωρεύσας ἐν τῷ στενωτάτῳ τῆς δυσχερείας πῦρ ἀνῆκεν. Οἱ μὲν πολέμιοι πλῆν πυρκαϊὰν ὑπερβαίνειν οὐ ἠδύναντο. *Curruum multitudine coacervata in anguſtiſſimo difficilimoque loco ignem ſubdidit. Hoſtes incenſum ignem transire non poterant.* Jam ut vehiculorum fuit uſus in militia & bello, ita & in belli præludiis, hoc eſt, venationibus. Sic ſaltem de Garamantis legimus apud Herodotum lib. IV. Nec fortaſſis non eſt factitatum aliis, priſcis maximè temporibus, anteqvam ars eqvitandi publicè invaluiſſet. De qvo alii deliberent.

Finis libri primi.

# JOANNIS SCHEFFERI
Argentoratensis,
De
# RE VEHICULARI
# LIBER SECUNDUS.

## Cap. I.
## De varia & multiplici vehiculorum differentia.

*In hoc capite agitur de multiplici vehiculorum figura, primum respectu rotarum, deinde capsarum, tertio adjunctorum animalium. Postea subjicitur multiplex eorum usus sive in pace, sive in bello.*

CUm superiori libro de vehiculis in universum copiosè satis, sicut opinamur, actum sit, res ipsa postulat, ut nunc persequamur explicationem singulorum, & quem usum in negociis habuerint humanis, demonstremus. Possunt autem omnia considerari vel respectu formæ suæ, vel respectu finis operumque, quibus destinantur. Nam materia quidem jam exposita est in præcedentibus. Et qui genus unum fabricant vel conficiunt, etiam alterum fere facere consueverunt. Quando igitur attendimus ad formam, hoc est speciem vehiculorum ac structuram, differre illam intelligimus vel respectu ipsorum,

rum, vel respectu eorum, à quibus duci solent aut moveri. Prius genus quoq; suas habet differentias, si attendimus vel ad rotas, vel ad corpus reliquum. Rotarum intuitu sunt vehicula nonnulla, quæ eas habent aliquas, sunt item nonnulla, quæ iis penitus destituuntur. Ea quoque, quæ posterioris generis, non eodem sese habent modo. Nam quidem loco rotarum habent aliud quidpiam, cui subnixa feruntur, alia nil omnimodo. Ad priorē classem petirnēt trahæ ac id genus; ad posteriorē clitellæ, sellæ, lecticæ, ac ejusmodi. At verò quæ instructæ rotis, habēt eas aliquando plures, aliquādo pauciores. Alia quippe innitūtur & incidūt unica, ut chiramaxium; alia duabus, ut birota, carrus, bigæ, ac id genus; alia quatuor, ut rheda, carpentum, & similia. Si attendamus corpus reliquum, apparet aliqua habere capsam, aliqua vero non habere. Habent enim lecticæ, rhedæ, carpenta, & ejusmodi: at plaustra, & trahæ, & quæ simili constructa specie plerumque non habent. Etiam quæ vehicula capsam habent, differunt, pro diversa ejus specie. Nam modo est quadrata, modo rotunda, vel semirotunda. Sed ad quadrata capsa modo æquitatera est, nec multo longior, quam latior; modo oblonga, sic ut longitudo latitudinem exsuperet plurimum. Rotunda capsa est, quæ nullos habet angulos, sed circulari forma instar urcei vel cupæ clauditur. Semirotunda, quæ non undiquaque clausa, sed dimidia sua parte aperta instar lunulæ, idq; vel à fronte, vel à tergo. Primi generis sunt rhedæ, secundi currus triumphales, tertij bigæ, quadrigæ, carpenta magistratuum, currus militares, & ejusmodi. Quæ vehicula & in eo differunt, quod nonnulla capsas habeant ex solidis integrisq; tabulis constructas, ut arcere, quædam textas ex bacillis aut viminibus, ut cophini, bennæ ac id genus. Differunt & pro constructione reliqua: sunt enim quædam tecta vehicula, quædam vero aperta. Tecta sunt, quorum capsa superne constrata est velut tecto, contra pluvias, vel pulverem, vel radios solares. Aperta, quorum capsa tecto tali destituitur. Respectu eorum, à quibus duci vel moveri vehicula debent, observamus, esse quædam gestatoria, quædam vero tractoria. Gestatoria sunt, quæ portantur, quorum differen-

tia

tia in eo, quod portentur quædam à jumentis, quædam ab hominibus. Sed & in eo sunt diversa inter se, quod alia portentur in dorso, ut clitellæ, aliæ in humeris, ut fercula, sellæ, lecticæ, aliæ à latere, ut bastarnæ ac id genus. Quæ trahuntur, pariter trahuntur, vel à jumentis, vel ab hominibus. Homines trahunt vel post se adducendo, vel ante se propellendo agendove. Propellendo, quando qui agit movetur vehiculum, pone sequitur, quomodo fit in chiramaxio. Adducendo, quando qui movet, antecedit, sicut fit in cæteris. Jumenta trahunt una semper forma, nempe post se adducendo, res enim absurda est ac ridicula, jumenta jungere post currum. Cæterum & ista differunt pro numero eorum, à quibus trahuntur. Alia quippe ab animali tantum uno promoventur, ut monacus, alia à binis ut bigæ, alia à pluribus, ut trigæ, quadrigæ, sejuges, & id genus. Differunt & in modo adjungendi. Quædam enim habent animalia omnia æqua collocata fronte, alia vero singula, vel bina sese mutuo excipientia longa serie. Atque ista quidem est diversitas vehiculorum, si respicimus ad eorum speciem ac formam. Respectu vero finis ac negotiorum possumus nonnulla nominare sacra, reliqua non sacra. Illa sunt, quæ ad sacra quoquo modo pertinent, possuntq; dividi vel in ea quæ attribuuntur dijs, vel in ea, quæ servire solent ludis sacris ac spectaculis. Dijs tribuuntur vel ficta, vel vera. Prioris generis sunt quadrigæ Jovis ac Solis, bigæ Junonis, Veneris, Lunæ, atq; sic deinceps. Posterioris generis sunt vel usurpata hominibus, vel ad speciem illorum ex quacunque materia expressa, quæ dedicari dijs solebant. Ad primam classem pertinet plaustrum Gordij, currus capti ab hostibus & collocati in templis, similiave vehicula. Ad secundam, quadrigæ fictiles, marmoreæ, eburneæ in fastigijs templorum, aliisq; locis. Quæ spectaculis ludisve solebant servire, spectabant vel ad pompam, vel ad certamina in eis. In pompa quædam gestabantur, ut fercula, quædam trahebantur, ut tensæ, quadrigæ deorum, carpenta Cæsarum, Augustarum, atq; aliorum. In certaminibus decurrebant modo bigæ, modo quadrigæ, eæq; vel equis junctis, vel aliis animalibus. Vehicula non sacra sunt, quæ negotiis inserviunt

humanis. Pertinent porro hæc vel ad bellum, vel ad pacem. Bellica vehicula vel prælijs inſerviebant, vel caſtris atq; itineribus. Quæ ſerviebant prælijs, faciebant hoc vel per ſe apparatuq; proprio, ut currus falcati, vel geſtatione armatorum, qui ex ipſis pugnarent, ut currus militares alij. Itineribus ſerviebant vel geſtando, ut clitellæ jumentorum doſſuariorum, vel vehendo, ut plauſtra caſtrenſia & id genus. Qvæ ipſa quandoque munimenti vicem caſtris præbebant ambitu ſuo ac circumdatione. Vehicula quorum uſus eſt in pace, vel ſunt agreſtia, vel urbana. Agreſtia pertinent ad agros operaq; ruſtica. Habentq; rotas, ut plauſtra, ploſtella, vel ſunt rotis deſtituta, ut trahæ, & id genus. Urbana pertinent ad urbes, eorumque uſus, qui in urbibus verſantur. Horum vehiculorum alia poſſunt dici neceſſaria, alia non neceſſaria. Neceſſitas vel ad valetudinem refertur, vel ad alia. Et quoniam valetudo, vel invaletudo potius, quandoq; eſt perpetua, quandoq; temporaria, quædam illi ſerviunt, ut ſellæ podagricorum, currus eorum, qui ſunt deſtituti pedibus, & hujusmodi; quædam huic, ut lecticæ ſubitariæ, arceræ inſtratæ, atque alia id genus. Neceſſitas quæ ad alia refertur, ſpectat ea, quatenus vel intra urbem ſunt, vel extra eam. Extra urbem eſt neceſſitas vel deportandi oneris. vel faciendi itineris. Ad prius genus pertinent vehicula vel privata, vel publica. Illa ſunt vel mercatorum, vel opificum ac ſimilium, quæ rurſum vel geſtatoria, vel tractoria. Publica ſunt, quibus deportantur ſpecies ex provinciis, vel tributa ad Principem. Ad poſterius genus ſpectant primum vehicula tabellariorum, ut veredi, rhedæ fiſcales publicæq; ac hujusmodi; deinde vehicula privatorum, quoquo modo iter facientium. Intra urbem occurrit fere neceſſitas cuſtodiendi decoris pudorisq;. Pertinent huc ſellæ, lecticæ, carpenta matronarum & virginum. Vel neceſſitas excludendæ turbæ ac conficiendorum negociorum. Pertinent huc ſellæ virorum. Vehicula non neceſſaria vel ad honorem pertinebant, vel ad ſplendorem, voluptatem, luxum. Ad honorem ſpectabant vehicula triumphantium, victorum in ludis publicis, magiſtratuum, ſacerdotum, ac ſimilium. Ad luxuriam vero atque voluptatem

ptatem, vehicula aurata, argentata, gemmata, cælata regum Imperatorumve, lecticæ sellæq; splendidissimæ mulierum impudicarum, meretricularum, & id genus alia plurima. Et hæc sunt, ex quibus multiplex vehiculorum differentia facillime colligitur.

## Cap. II.

## De clitellis, furculis, ærumnis, & id genus.

*Clitellæ. Bos clitellas. Consuetudo vetus alludendi ad fabulas per prolationem primorum ex eis vocabulorum. Fragmentum Petronij Traguriarum, Terentius & Cicero explicantur. Clitellarum vox unde. Commentator Cruquij emendatur. Sagma alia à σάγμα, alia à σάγω. Sagum quid. Lampridius contra Salmasium exponitur. Stratum. Stramentum. Sagma, salma, sauma. Saumross. Versio Pollucis rejicitur.* Καυθήλια. *Versio Aristophanis castigatur, ipse aliter exponitur.* Ὄνοι οἱ καυθήλιοι. *Philelphus, Septimius, alij refutantur. Gellius exponitur. Interpres Aristophanis Græcus & Suidas revelluntur. Cantherij. Cretellæ. Comenius notatur, item Calepinus, Iunius, Vossius, alij. Cantherium. Canton, cant. Cantjas,* κάνθ. *Varro rejicitur. Livius exponitur.* ἄντυγες. *Astrabæ vehicula pro sedilibus.* σαγμοσέλλιον. *Hesychius & Etymologus explicantur. Clitellæ aliquando sella, contra Salmasij sententiam. ærumnulæ. Furcillæ. Furcæ. Plautus explicatur. Sarcina pro fœtu in utero. Labores pro doloribus in partu.* ἄιρω. *Fungerus & Vossius revelluntur. Lacuna in Festo notatur. æro. Phormio. Tabella. Lipsij imago rejecta. Vnci in clitellis. Constringere, religare sarcinas. Fisci asinorum.* σαγὴ. *Pulvilli, centunculi sub clitellis. Frontinus explicatur. Instrata. Clitellaria. Asini, equi clitellarij.* σαγμάεια. *Caballus, equus sagmarius.* ἀσράβα. σωμαληὸν, ἀναβαλικὸν. ἀναβατικοὶ ὄνοι. *Salmasius notatur.* ὑποζυγίοι *non semper, quæ in vehiculis.* ἀσράβαι. καυθήλιοι. *Cantherij. Sectorum equorum usus frequens in itineribus. Varro explicatur. Cantherij homines. Geruli. Commentator Cruquij notatur. Laturarij. Laturas locare. Bajuli, operarij, bajulatores, sarcinarij, sarcinati. Glossæ Savaronis emendantur. Nutritores. Vossius notatur. AErumnosi.* ἀχθοφόροι. βασαλλαὶ. *Glossæ Savaronis iterum emendantur.* Βασαγὴ. *Bastaga. Bastagarij.*

*garij.* Βαϛαγεῖς. Βαϛαγάρης. *Cod. Theodoſ. explicatur. Tergo geſtabant onera.* Νολωφόροι, νωτάρεις. νοτεῖς. *Heſychius emendatur.* Νοτεῖς & ζύγια *differunt. Heſychius denuo emendatur. Doſſuarij. Tintinnabula doſſuariorum. Suertius refutatur. Pictiles balthei. Multi doſſuarij in miniſterio Præſidum provinciæ. Muli cartherij. Muli Præſidum dati ex publico, eique redditi. Lampridius emendatur. Grex jumentorum. Merces ductæ per plateas, aſinis impoſitæ. In bello portabant arma. Sarcinaria. Sagmaria. Leonis Tactica correcta.* ἀδέϛρατα. *Leo iterum emendatur.* τόλδον. *Sagmariorum uſus varius. Contubernia ſingula habebant bina ſagmaria. Leo iterum emendatur. Mulus centuriatus. Cicero exponitur cum Feſto, qui corrigitur.*

VEhicula differre diximus non una ratione, ſive formam ſpectes, ſive uſum. Sed cum uſus reſpectu ſint nonnunquam varia, quæ ſi attendas formam, ſæpe eadem, idcirco rectius, opinor, ac commodius fecerimus, ſi narraverimus obſervata differentia, quam accipiunt non ab uſu, ſed à forma. Primum autem omnium occurrunt vehicula, quæ ſunt deſtituta roſis, ac ne quidem alia re vice illarum inſtructa, qualia diximus geſtari. Hujus generis ſunt *clitellæ*, quibus onera imponi, & de loco in locum transportari conſueverunt, idq; vel per homines, vel per jumenta, ut mox oſtendemus. Nam *clitella*, ut Perottus ait, *inſtrumentum, quo ſarcinæ colligatæ mulis, ſive jumentis, ſive camelis aſinive portantur.* Ubi jumentorum vocem vix accipere de aliis debemus, quam de equis, uti ex ſequentibus liquebit. Nam bubus quidem nunquam legimus apud veteres impoſitas clitellas, licet hodie non ubique ſit incognitum, videreq; memetipſum meminerim in Helvetijs prope Baſileam. Ubi ruſticus non clitellas modo, ſed & frenum bovi ſive tauro impoſuerat. Sed veteribus res eſt abſurda, ut ex Cicerone conſtat. Fabius, qui Ciceronis locum reſpicit, lib. V. Inſt. c. 11. *Conſine eſt* παροιμίας *genus illud, quod eſt velut fabula brevior & per allegoriam accipitur. Non noſtrum onus: bos clitellas.* Quibus verbis innuit, circumlatam vulgo fabulam de homine abſurdo ſtolidoq;, qui clitellas bovi impoſuerat, ſub atq; bovis malo. Fuiſſe

vero

vero ejus fabulæ initium, *Bos clitellas*, eoq; in hoc dicto alluſiſſe Ciceronem. Nempe ſic ſolebant in iſto parœmias genere. Quod diſcimus ex Fragmento Petronij, quod nos primi Notis illuſtrare conati ſumus. Ita namq; ibi Trimalcio p. 34. editionis noſtræ: *Et ipſe vobis rem horribilem narrabo. Aſinus in tegulis. Cum adhuc capillatus eſſem.* Ita locus ille debet diſtingui. Verba illæ: *Aſinus in tegulis*, per ſe conſiſtunt, & ſpectant ad notam illa tempeſtate fabulam, ad quam allato hoc ejus initio alludit Trimalcio, tanquam quid illi ſimile allaturus. Scilicet in ea memorabatur aſinus in ſumma parte ædium ipſoq; tecto ambulans, quod ſtupendum omnibus ac prodigioſum videbatur. Quomodo apud Lucianum admirationi aſinus eſt μιμούμενος ἐκ τῶν ὑπερῴων, *oſtentans ſe ex ſuperiore tabulato*, quem eſt imitatus Apulejus lib. X.. Omnium vero optimè clariſſimè q; hæc cognoſcitur ex Terentio, qui ſic loquentem facit Lacheten A. IV. Hecyræ ſc. 3.

—— *Iam nos fabulæ*
*Sumus, Pamphile: Senex atque anus.*

Donatus eo loco: *Senex atque anus: Hæc duo nomina, ut poſita ſunt, caput indicant, & incœptum hujusmodi fabularum.* Item paulo poſt: *Pronuncia; Senex atq; anus; quaſi initium fabulæ.* Dicit, in comœdia, cum ad ea verba ventum erit, *ſenex atq; anus*, non ut cætera proferenda voce tali, quaſi pertinerent ad comœdiam & ipſa, verum alia pronunciatione, quaſi enarranda eſſet aliqua fabella. Ea nimirum, cujus argumentum ſit, ac initium, *Senex atque anus*. Ad hunc ergo modo Cicero quoque, *bos clitellas*, ex fabellæ initio, ſeu argumento, arguens rem abſurdam, atque antea non viſam. Quod viri docti hactenus non ſatis aſſecuti ſunt. Cæterum quod Perottus dixit de clitellis, firmat quoq; Feſtus Pauli. *Clitellæ*, ait, *dicuntur, ea, quibus ſarcinæ conligatæ mulis portantur.* At quod idem addit verbis ante recitatis, *dictas à colo, quod ejusmodi animalis ornamentum ſint*, dubitationem habet magnam. Nam à *colo* non eſt *colitum*, unde *colitellæ*, & per ſyncopen *clitellæ* poſſent fieri, ſed *cultum*. Magis ergo faveo Scaligero, qui ad Feſtum ita habet: *Græci* κλιτὸν *dicunt locũ in vallem demiſſum, à quo clitellus formarunt Latini.*

Objiciaſs

Objicias, aliud esse locum, de quo Scaliger, & aliud instrumentum illud, de quo nobis sermo. Sed respondet Vossius in Lexico, κλιτὸν vocari, quicquid sit declive, à verbo κλίνω, quod *inclino* significat. Porro talia esse latera quoq; clitellarum, ut jumentorum dorsa, à quibus scilicet utrinq; per eorum latera dependent. Sunt clitellæ alias Latinis *sagmæ*. Ita certe Commentator vetus Cruquij ad Sat. I. ecl. 5. Horatij. *Clitellas, sagmas, sive sellas, quibus strati muli sarcinas & onera gestant.* Ita ibi est legendum, non *saginas*, quæ huc nihil faciunt. Sagmæ namque sunt clitellæ, atq; instar quoddam sellarum habent, licet proprie non sint sellæ, cum in sellis sedeant, in clitellis non sedeant, sed imposita habeant onera & sarcinas. Isidorus lib. XX. cap. 16. ubi agit de varijs equorum instrumentis, atq; inter ea & sagma. *Sagma*, inquit, *quæ corruptè vulgo dicitur salma, à stratu sagorum vocatur, unde & caballus sagmarius, mula sagmaria.* Quod Isidorus putat, *sagmam* esse appellatam à *sagis*, in eo nescio, annon erret. Prorsus namq; est à Græco σάγμα, quod clitellam denotat. Vetus lexicon à Stephano laudatum. σάγμαλα, καρθήλια, *clitellæ aut strata jumentorum.* Quanquam & hic poni videantur non de clitellis solis, sed & stratis. Ut fortasse non omnino debeat contemni, quod ab Isidoro dictum est, ut viri docti fecere. Aliud tamen sagma, cum clitellam signat, & aliud, cum stratum; illud quippe est à σάγμα, hoc vero potius à σάγος. Nempe σάγος ab Hebræa voce סבך, sicut bene docet Vossius, quo significatur *tegere*, vel *operire*, quia σάγος tegumentum quodvis. Neque aliud Latinis *sagum*. Non amictum modo, sed & vestem quamlibet, qua quid operiunt, significat. In ipsis equis posuit Capitolinus vita veri c. 6. ubi de equo volucri. *Sagis fuco tinctis coopertum in Tiberianam ad se adduci jubebat.* Casaubonus eo loco: *Quæ alij coopertoria vel tegumenta equorum dicunt, ea sæpè nominantur saga, ut hic.* A tali sago, *sagma*, qua jumenta insternuntur, item *sagmaria*, ita strata. Neque aliter accipienda sunt apud Lampridium, vita Heliogabali c. 4. *Semiramica facta sunt senatusconsulta, ridicula, de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus osculum veniret, quæ pilento, quæ equo sagmario veheretur.*

Frustra

Fruſtra hic ὁ πάνυ equum ſaginarium deducit à σάγμα vel σαγὴ, *quod jumentis onera bajulantibus imponitur*, ſicut ipſe explicat. Σάγμα enim tale pertinebat non ad ea, quibus equitandi cauſſa inſident, ſed ad illa, quæ geſtare ſolent onera. Et quo pacto inſediſſet ſagmę iſtiusmodi honeſtior matrona, Romæ præſertim, ubi omnia ſplendidiora? Adde, quod ætate illa major fuerit mollities earum, quam ut vehi poſſent ſuper clitellas. Poſtremo ſellæ aut ſtrata pertinebant ad homines, non ſagmæ, non clitellæ. Ipſe vir doctiſſimus: *Differt ſagma à ſella: nam ſagma proprie eſt, quod jumentis, onera bajulantibus imponitur: Sella equorum eſt, vel aliorum animalium, quibus homo vehitur.* Si ſagma, cui imponi ſarcina conſvevit, quomodo ab ea dictus ſit ſagmarius, cui matrona debuit inſidere? Igitur convenientius, ut à ſagma derivemus, quæ à ſago eſt, ut ſignificetur in decreto Heliogabali eqvus, qui ſit ſtratus ſago, eaq; pretioſiori, quomodo & veri eqvus coopertus fuit ſagis, fuco tinctis. Hoc enim ex dignitate fuit matronarum Romanarum. Sagum iſtiusmodi ſimpliciter & *ſtratum* appellarunt. Seneca ep. 80. *Stultus eſt, qui eqvum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus.* Petronius in Fragmento; *qui aſinum non poteſt, ſtratum cedit.* Apulejo lib. VIII. eſt *ſtramentum*, ita enim vertit Luciani στρώματα. Lucianus ita habet: καὶ τὰ στρώματα μου πάντα περιπάσαντες. Apulejus ita: *cunctis ſtramentis me renudatum* veſtarant. Atq; ſtratum iſtiusmodi fuit primum antiquiſſimumq; in equis mulisve, diuq; uſurpatum ante ſellas ligneas, quod jam alij docuere. Fuitq; non unum, ſed interdum multiplex, ut molliùs in eo ſederent. Quomodo Xenophon de Perſis lib. VIII. Pæd. Νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσιν ἐπὶ τῷ ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν ἐυνῶν. ὑγὰρ τῆς ἱππείας ἕτως, ὥσπερ τῆς μαλακῶς καθῆσθαι ἐπιμέλονται. *Num autem ſtragula plura in equis habent, quam in lectis, non enim tam equitationis, quam ſeſſionis mollioris ſtudioſi ſunt.* Quanquam ſtrata poſtea ſint dictæ ſellæ, nec illæ ſolum, verum etiam clitellæ. Sic videmus apud Livium lib. VII. c. 14. *Mulis ſtrata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis, agaſones armatos imponit.* Strata mulis hic detracta, non ſunt ſellæ, quod apparet, quia muli erant agaſonum, qui parati non ad equitandum, ſed ducenda jumenta ſarcinaria, ve-

rum ſagmæ ſeu clitellæ. His ſtratis oppoſiti centunculi, quibus agaſones inſidebant, vice aliorum ſtratorum. Quæ ſtrata Xenophonti στρώματα, aliis *ſagmæ*, unde Lampridij *ſagmaria*. Cæterum hinc putes ſequi, ſagmam recte Iſidorum explicaſſe. Verum aliud oſtendit *ſalma* vox adjecta ipſi, quippe quæ notatur ſagma non à ſago, verum σάγμαλι. Nam eſt *ſalma*, quæ deinde *ſaulma*, & reſpectu pronunciationis, quæ omittit liquidam, & ſequentem conſonantem *ſauma* nuncupata. Et exiſtunt, qui ſic ſcriptum invenerunt apud Iſidorum. *Sauma* vero nihil aliud, quam *clitella*. Inde namque *ſaumarius* & *ſummarius*, hoc eſt *clitellarius*. Matthæus Pariſinus, in An. M CC XLV. *Dedit domino Papæ triginta palafridos, cum totidem equis clitellariis, quas ſummarios vocamus.* Habes manifeſte hic *ſummarios* pro *clitellariis*, unde *ſumma*, *ſauma*, *ſaulma*, *ſalma* nil ſignificabit aliud apud Iſidorum, quam *clitellas*. Sauma ſane hodieque eſt in uſu, etiam apud Germanos meos, quibus inde Saumroß/ qui alias *ſagmarij* vel *clitellarij*. Sagmarij à Latinis dicti non ex ſago voce Latina, quod videtur cenſuiſſe Iſidorus, verum Græca, quod ſuperius oſtendi. Pollux lib. X. c. 36. Σάγματα μὲν ἂν ὑποζυγίων κατὰ τὰς πολλὰς ἐν τῷ πέμπτῳ φιλιππικῶν ἔστιν εὑρεῖν. Gualtherius in verſione ſua parum intellexit, ita namque reddidit: *Stabula vero jumentorum ſecundum multorum ſententiam invenire licet in quinta Philippina.* Imo vero non ſtabula ibi, ſed clitellæ memorantur, quæ Græcis σάγμαλα, unde *ſagmaria*, σαγμάρια, hoc eſt jumenta clitellaria; & *ſagmare*, ſequioribus temporibus, pro ſarcinas imponere clitellis. Græci σάττειν nuncuparunt. Philoxenus: *Sagmat aſinum*, σάσσῃ ὄνον, *Sagmatus*, σεσαγμένος. Qui Philoxeno *ſagmatus*, in Onomaſtico veteri Argentoratenſi eſt *clitellarius*. Verba: *Clitellarius*, ἐπισεσαγμένος. Alias quæ σάγματα, eadem & κανθήλια Græcis. Ita vidimus ſuperius ex Lexico vetuſto Stephani. Et Heſychius: Κανθήλια, τὰ σάγματα τῶν ὄνων. Ideo & Ariſtophanes in Veſpis:

Μὰ τὸν Δί' οὐδ' ἂν ἀλλ' ἀποδόσθαι βέλομαι
Τὸν ὄνον ἄγων αὐτοῖς, τοῖς κανθηλίοις,

Perperam interpres, *Minime, per Iovem teſtor, ac tantum velim venum dare ipſis ſimul cantheriis deductum aſellum.* Non intelligo, quid

quid velit. Ecquid enim, *venum dare ipsis simul cantheriis?* An, cantherios facere emptores? Nihil tale poëta. Vult, & intelligit venundare asinum una cum clitellis. Glossæ veteres: Κανθήλιον, *clitella.* Sed fortasse decepit interpretem Scholiastes vetus, qui sic habet: Κανθηλίοις, ὄνοις μεγάλοις. Quasi κανθήλιοι sint asini prægrandes. Nec juvatur Xenophontis testimonio, quem hic laudat. Verba quidem Scholiastis: Ξενοφῶν. Ὅτι ἐν Βαβυλῶνι οἱ φοίνικες ἢ μεῖον, ἢ πλεθριαῖοι τὸ μέγεθος γίνονται. οἱ δὲ πιεζόμενοι ὑπὸ βάρους ἄνω κυρτοῦνται, ὥσπερ ὄνοι κανθήλιοι. Xenophontis locus, quem hic innuit, occurrit lib. VII. Pæd. ubi non est ὑπὸ βάρους, verum ὑπὸ βάρους, nec ὥσπερ ὄνοι κανθήλιοι, sed ὥσπερ οἱ ὄνοι οἱ κανθήλιοι, in Stephani editione. Franciscus Philelphus verba ejus ita reddidit: *palmæ pressæ onere curvantur sursum, quemadmodum canthelij asini.* Quintus Septimius apud Scholiastam Aristophanis: *presso pondere curvatæ in sublime, velut asini* κανθήλιοι. Neuter ausus est *asinos prægrandes* vertere, credo quod nescirent, quomodo magni asini sursum curventur potius, quam parvi. Nec tamen à Græca voce recedere, quod ignorarent, qui essent ὄνοι οἱ κανθήλιοι. Nobis dubium est nullum, quin significentur clitellarij, qui gerunt sarcinas impositas clitellis. Scilicet & hi, cum imponuntur ipsis sarcinæ vel onera, non cedunt eis, imo contra dorsum erigunt, ut magis obnitantur. Plane sicut aut Xenophon de stipitibus palmæ arboris, si in iis fundamenti loco depositis saxa ingentia, & id genus imponantur. Gellius lib. III. c. 6. ex Aristotele & Plutarcho: *Si super palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cadit, nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur recurvaturq;.* Hic *lignum palmæ* non sunt rami adhærentes arbori, quod existimasse videntur, qui palmam Isingrinianam, insigne notissimi apud Basileenses typographi detinerunt, verum caudices & stipites ex illa arbore. Hi ponderibus suppositi non cedunt. Atque ad hunc modum muli quoque, cum clitellæ ipsis, & in eis sarcinæ onerave imponuntur. Quales ideo ad cæterorum differentiam ὄνους κανθηλίους Xenophon vocavit, non quod essent prægrandes, id quod falso Aristophanis

interpreti credidit & Suidas, sed quod ferrent κανθήλια, id est fagmas aut clitellas. Latini Græcæ vocis imitatione nominarunt *cantherios*, neq; mulis tantum tribuere, sed & aliis animalibus, imo ipsis etiam hominibus. Turnebus optimè lib. XVIII. Adv. c. 23. *Non solum de equis cantherium veteres dixere, sed etiam de aliis animalibus, ut Pomponius de homine: magnus manducus, camillus cantherius.* Ita optime Turnebus, sicut dixi. Sed quis sit cantherius, cum de homine usurpatur, non exposuit. Ego plane censeo sic nominatum bajulum, qui certa machina clitellis non absimili, gestaret onera in dorso. Convenit; quod vocet *magnum manducum*, hoc est, hominem voracem: tales namq; plurimum consveverunt esse isti geruli, propter magnitudinem laborum. Etiam machina hoc docet. Nam quæ alias *clitella*, ea etiam *cretella*. Glossæ Isidori: *Clitellæ, cretellæ.* Porro *cretæ* ac *cretellæ* hodieq; meis popularibus per Alsatiam, & præcipue Argentoratensibus machinulæ furcatæ bajulatorum quibus sustinent gestantq; onera in dorso. Vulgo *Krets*, & *Kretsle* nuncupant. Speciem, quia facit ad textus rei meliorem intellectum, hic subjeci.



Qui

Qui cretellis istiusmodi seu clitellis onera gestabant, priscis dicti sunt *cantherij*. Neq; scio, annon ipsas etiam sic nuncupaverint clitellas istas, seu machinulas. Sane alias res haud absimiles ita nominarunt. Nam cantherius & jugum ad quod alligatur vinea. Columella lib. IV. c. 12. *Vetera deponemus hastilia, quibus adnectantur singulæ transversæ perticæ in imam partem ordinis, quod genus jugi cantherium vocant rustici.* Comœnius inepte, sicut multa alia, Germanice vocavit *læger*. Nam *læger* tigna crassa sunt longaq;, humi deposita in cellis vinariis, bina, paribus per omnia intervallis à se distantia, ut super ea transversim disposita vasa vinaria lignea requiescant, nec ab humore ex terra exsudante corrumpantur. At cantherij non in cellis sunt vinarijs, sed in vineis, perticę erectæ, quæ cum perticis transverse alligari solitis exhibent fere speciem Græcæ litteræ π, quales *stritzen* meis popularibus dicuntur. Eratque hæc illarum appellatio ex eo, quod non multum sua specie recederent à furcis. Quomodo & in ædibus ligna, quibus sustentatur tectum, velut furcis ad modum Græcæ litteræ Λ *cantherij* dicuntur. Populares mei *sparren* vocant. An & quæ subjiciuntur crassioribus caudicibus arboribusve à materiariis, dum secant, ut est auctor Calepinus? Sequitur enim Junius in Nomenclatore, addicto vitruvij vocabulo, quasi ipse sensu hoc posuerit. Junium exscribit quoq; Vossius, omisso licet nomine in Lexico, nam habet ipsa ejus verba. *Præterea cantherios*, inquit, *præeunte vitruvio vocamus ligna lingulata, quæ fabri materiarij pro adminiculis subjiciunt materiæ ferro dissecandæ. Belgis dicuntur schragen.* Optassem adscripsisse locum Vitruvij, ubi tali sensu reperitur usurpatum. Sed vix dubito, quin fidem Junij sit secutus. Vitruvij profecto locum frustra hactenus quæsivi. Neque annotatus Baldo est, qui alioquin egit de hac voce, cæterisve, qui vocabula vitruvij sub idoneis indicibus proposuere. Ut plane suspicer, deceptum Junium à Calepino minus diligenter attenteq; inspecto quippe apud quem post allata superius, sequitur: *item cantherij tigna dicuntur. Vitruvius lib. V.* Putavit Junius, quia illud *item* interseritur, hinc colligi, Vitruvium utroq; sensu eam vocem usurpasse, quod opinor esse fal-

sum. Livius & in neutro posuit, si sequimur vulgatos. Ita enim apudeum Taurea, lib. XXIII. cap. 47. *Minime sis cantherium in fossa.* An, quod adjectivum sit, quemadmodum videtur Græcum, nam & illud est καν θήλιος, & καν θήλιον. Et habes additum substantivis, sicut apud Xenophontem, atq; Scholiastem Aristophanis καν θήλιος ὄνος. Nec fortasse aliter καν θήλιον intelligendum, quam ut simul putes addi ξύλον. Quomodo Hesychius, καν θήλια, τὰ ἐν τῇ πρύμνῃ τῆς νεὼς ἐπικαμπῆ ξύλα, de quibus egimus jam in Militiæ Navalis nostræ nova editione. Sic καν θήλιος videri possit dictum à καν θὸς, quod existimo fuisse usurpatum olim de quacunque re, quæ curva esset ac in angulum coiret. Certe Gallis hodieq; atq; Italis *canton* de angulo in usu est, Belgæ quoq; ac Septentrionis populi angulum *cant* appellare solent. Inde *cantjes* apud Belgas illud ex filis lineis, sericis, argenteis dentatim contextum ornamenti genus, quo utuntur circa oras vestium sive linearum, sive sericarum, quod Germani Spitzen nuncupant. Inde Græcis Latinisq; *canthus*, ille angulus, in quem palpebræ oculorum coeunt. Deniqve κάντι vel καντὸν & κάντιον Græcis recentioribus, quicquid anguloſum, quòd Salmasius jam docuit. Inde igitur existimas vocatum utraq; terminatione *cantherius*, & *cantherium*. Atq; ita sunt, qui putant apud Livium accipiendum. Verum mihi aliter videtur, putoq; τὸ *cantherium* non neutrius esse generis, sed casum quartum à *cantherius*, nec significare jugum vineæ, sed jumentum à *cantheriis*, sic dictum, hoc est lignis curvis ac superne in angulum seu acumen coeuntibus, Græce καν θήλια, Latine alias *clitellæ*, ac fortasis imitatione vocis Græcæ etiam *cantheria* vocatis. Nam quod Varro censet, equos cantherios sic esse dictos, quia sint castrati, & careant testiculis, tanquam vocarentur *carenterij*, haud dubie est falsum. Equidem cantherios castratos plerumq; fuisse non negaverim, id vero ipsis hoc constituisse nomen, minima persvadeor. Scilicet cantherij castrati ideo, ut recte possent esse καν θήλιοι, h. e. cantherij seu clitellarij, & evaderent quietiores, demptis testiculis, quod fieri solere Varro ipse testatur, itemq; firmiores atq; durabiliores, quod experientia evincit evenire. Alterum quippe laboris continui,

nui, alterum consociationis gratia cum alijs necesse fuit. Solent enim clitellaria jumenta plurimum conjuncta sociataq; ambulare cum alijs, sui similibus, quibus facile, si non essent quieta, molestiam & periculum crearent. Quare non, quod testibus carerent, dicti cantherij, sed qui facti cantherij, eis testes adempti, ut hoc munere melius rectiusq; fungerentur. Cantherij vero dicti, quod destinati essent ad cantheria, Græce κανθήλια, id est clitellas, sarcinasq;. Ac de talibus cantherijs existimo explicanda verba Livij, superius adducta. Quod ut melius intelligamus, annotandum, quod negotium illi Taureæ fuerit cum Romano, cujus nomen erat Claudius Asellus. Hic Asellus provocatus ad certamen singulare, cum negotium faceret Taureæ adversario, isq; ideo occasionem quæreret sese subducendi, petitione Taureæ commotus, qui rogaverat, ut cum equo descenderet in viam cavam, ubi nullo dato ad evagandum spacio, cominus consererent manum, confestim sese conjicit in eam viam, sperans obviam se habiturum sibi Tauream. Sed Taurea elabendi nactus spacium, dum abit, joco & velut eludens ad Asellum, *minime sis cantherium in fossa*. Ita enim vulgo verba ejus leguntur, de quibus quærunt eruditi, nec quid Taurea voluerit, satis intelligere se fatentur. Dicam igitur & meam sententiam. Primum existimo, hoc dicterio respexisse ad vocabulum Asselli, & id respersisse sale. Nam cum asellis mulisq; fere uterentur ad gestanda in clitellis onera, ideo cantherij hic mentionem fecit, qui proinde non de jugo in vinea, sed jumento clitellario, mulo, asello accipi debebit. Deinde puto verba, sicut nunc eduntur, esse depravata. Nam si hic cantherium accipimus in masculino, illud *sis cantherium*, minimè cohæret. Ac observo, aliter legisse veteres eum locum. Nam Erasmus in Adagiorum opere apud Episcopios impresso Basileæ An. M D LXXIV. ita habet: *minime scis cantherium in fossa*, quæ lectio mihi alijs videtur præferenda. Nempe ita distinguenda est, ut sensus prodeat idoneus: *Minime. Scis; Cantherium in fossa.* Cum descendisset jam Asellus in viam cavam, tum Taurea caussam discedendi quærens, jocoq; obtendens: *Minime*. Quasi diceret: ego vero minime nunc ad re

in hanc

in hanc viam cavam & auguſtam deſcendo. Quare? *Scis* enim, *Cantherium in foſſa.* Quibus verbis alluſit ad fabulam veterem de cantherio aſello in foſſa, ſive via cava. Plane ad eundem modum, ad quem ſupra demonſtravimus ex Quintiliano parœmias adferri ſolere. Fabulæ argumentum poſſumus cognoſcere ex natura & ingenio aſelli ſive muli, cum gravatus ſarcinis in via cava & anguſta occurrit alijs animalibus. Sciunt enim, qui experiendo didicere, tali caſu mulum vehementer ferocire, ipſisq; cum ſarcinis inſultando aperire ſibi viam quoquo modo. Igitur id agebatur ea fabula, quomodo aſellum ſive mulum clitellarium, ὄνον κανθήλιον, ſeu cantherium haberet ſibi obviam in foſſa eqvus aliudve animal, quod cum decedere non poſſet, ab eo fuerit protritum atq; conculcatum. Ad hanc fabulam alludebat Taurea, quaſi diceret; *minime* ego te ſequor in hanc viam cavam, ibique tibi occurro. Scilicet tu Aſellus es. Ἐς ὄνον καν θήλιον. *Scis*, quid doceat fabula illa: *Cantherium in foſſa* obviam habebat ſibi eqvus, & quæ ſeqvuntur. Non expecto, ut eadem arte me quoque obteras. Sic hunc locum multis hactenus tentatum explico, & cantherium accipio de aſello ſive mulo clitellario. Quemadmodum & equi alias ſic dicti, non à *carendo*, quod careant teſticulis, ſed *cantherio*, quod geſtent *cantheria*, Græce καν θήλια, hoc eſt clitellas. Quæ ſic dicta à κανθὸς, vel καν λὸς, quod in curvum ſeu in acumen junctum denotat, quoniam hæc erat ſpecies ſeu figura clitellarum. Quæ καν θήλια intellexit quoq; Ariſtophanes, cum dixit, vendere ſe ὄνον αὐτοῖς, καν θηλίοις, non vero aſinos prægrandes, quod Scholiaſtes putabat, cum ſint alij καν θήλιοι ὄνοι, alia ξύλα καν θήλια, quibus conſtant clitellæ, indeq; habent ſuum nomen. Plane ſicut ex hac cauſſæ quoque ἄντυγες ſunt dictæ. Philoxenus: *Clitellæ*, ἄντυγες. Nempe ἄντυξ lignum eſt incurvum, ut in rota, in ſella vehiculi, ſimilibusque rebus. Inde ἄντυξ etiam clitellæ. Sunt, qui & *aſtrabas* putent dictas. Scaliger ad Plauti Clitellariam: Ἀστράβα, *clitella*. Tamen aliter Iſidorus: *Aſtraba, eſt tabella, ubi pedes requieſcunt.* Firmat & Philoxenus: *Aſtraba*, σανὶς, ὑποπόδιον. Sic enim legendum ibi, non *aſtrama*, quod viri docti pridem docuerunt. Etiam Salmaſius ſic intellexit.

Verba

Verba ejus ex epistola de Cruce p. 521. *Videntur & olim hæ tabellæ suppedanei vice in mulis & asinis usum habuisse, sed & in equis, quibus feminæ vehérentur.* Itaque non multo post distinguit à clitellis: *Alij*, ait, *clitellas esse volunt. Sed clitellarij asini muliq; non sunt* ἀναβατικοὶ, *quia sarcinis tantum vehendis clitellæ aptæ sunt.* Quanquam vero ista bene sese habeant, tamen constat, non de sola istiusmodi tabella suppedanea in sella, sed & sella ipsa usurpasse. Probus in vita Virgilij, ubi agit de Bucolicis. *Hoc idem carmen Astrabicon* (scribendum est, *astrabicon*) *dictum est, à forma sedilis, quo advecti fuerant, qui illa cantaturi erant.* Vocat clare nominatimq; *sedile*, non *suppedaneum.* Imo statim subdit: *Sunt autem astraba vehicula, dicta* ἀπὸ τοῦ μὴ τρέφεσθαι, *quo titulo & Plautus fabulam inscripsit, in qua mulieres in ejusmodi vehiculis inductæ.* Ubi *vehicula* non sunt carpenta, vel id genus, sed ea ipsa, quæ paulo ante nominavit *sedilia*, sic dicta, quod insidentes eis vehebantur. Sed & Phavorinus convenit, quando ait: Ἀστράβη, τὸ σαγμοσέλλιον. Nam σαγμοσέλλιον appellat istiusmodi sedile, sive sellam, qualis σάγμα, non clitella, quæ non fuit ad sedendum comparata, verum saga, quæ & stratum vocabatur. Quod vere Probus addit, *astraba vehicula, dicta* ἀπὸ τὸ μὴ τρέφεσθαι, firmat Scholiastes Demosthenis, qui simul explicat genus καθήγρας εἰς ὕψος ἀνῆκον, ὥστε τοὺς καθεζομένους κατέχειν τὰ νῶτα, id est, *sedilis ejusmodi, quod surgebat in altum, ut contineret terga insidentium.* Scilicet quemadmodum & hodie in sellis feminarum, quibus ad equitandum utuntur, hemicyclus est, alta surgens supra ipsam sellam, & insidentis claudens tergum, ne ab averso equi latere possit facile decidere. Neq; debet aliter Hesychius exponi, quando ait: Ἀστράβη, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων ξύλον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι. Τίθεται δὲ ἐπὶ τῶν ἀναβολικῶν ὄνων. Stephanus sic vertit: Ἀστράβη *sella seu ephippium ligneum, quod manu tenent sessores.* At hæc versio vix potest stare. Primum enim ephippia non ad id sunt comparata, uti teneantur manu. Deinde manus nulla mentio apud Hesychium, tantum ait, κρατοῦσιν, hoc est *tenent*, occupatum nempe sessione, sicut occupari, & teneri sellæ solent. Etiam Etymologici hæc est sententia, quando ait: Ἀστράβη, ἐπὶ σκεύους εἴρηται ξυλίνου. *Astraba dicitur de instrumento ligneo.* Nam

exponit, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων τιθέμενον ξύλον, ὅ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι οἱονεὶ ἀσραφὴ τις οὖσα, ὥσθ' τὸ μὴ σρέφεσθαι & πίπτειν τὰς καθεζομένας, Ubi ἐπὶ τῶν ἵππων aliter intelligi non potest, quam de instrumento illo, quod ipsorum tergis est impositum. Pro sedili alias & Machon usurpavit apud Athenæum lib. XIII. c. 5. ubi de Gnathenio meretricula.

Εἰς Πειραῖα κατέβαινε πρὸς ξένον τίνα
Ἔμπορον, ἐρασθὼ ἐυτελῶ ἐπ' ἀσράβης.

Hic revera Gnathenium sedet in astraba, id est sella tali, qualem ante explicavimus. Ideo non multo post luctator quidam factus ei obviam in arctiore via: *Nisi decedas*

— Τὰ γύναια ταυτὶ καλαβαλῶ
Σὺν τοῖς ὀναρίοις φησὶ & ταῖς ἀσράβαις.

Affatur puerum conducentem eam, cum ancillis tribus, equitantibus in asellis, minaturque, subversurum omnes, cum asellis simul & astrabis, quod intelligi non potest, nisi de sellis. Dalechampius *clitellas* reddidit. *In Peiræum descendebat ad peregrinum quendam mercatorem & amatorem, sed comitatu viliore. Sedebat illa in clitella.* Et in annotationibus, ἀσράβη, *sella prælta, quæ lumbos tegit, clitella.* Quasi eadem sit sella, & clitella. Quæ judicio Salmasij sic differebant, quod in ista equitarent, in hac ferrent onera & sarcinas. Quanquam quæ *Astraba* Græce comœdia, eadem Latine Plauto *Clitellaria.* Quæ cum dicta sit à mulieribus super asinas equitantibus, ut ex Probo supra indicavi, ægre inveniam, cur negemus, & de sellis aliquando usurpatam clitellarum vocem. Illis præsertim mulierum, quas describit Probus, Græciq; ἀσράβας appellarunt. Quæ clitellæ tamen quoniam diversæ sunt ab his, de quibus isto loco agere decretum est, ne astrabæ quidem huc spectabunt. Nisi censeamus, aliquando denotasse veras etiam clitellas, quod videtur colligi ex astrabis equis aut jumentis, quæ fuerunt clitellaria. Et hæc quidem de clitellis animalium brutorum. Habuerunt & homines, ut apparebit ex sequentibus. Sed eas non *clitellas* appellabant, verum *ærumnulas.* Festus: *AErumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant. Quarum usum quia C. Marius retulit, muli Mariani postea appellabantur.* Putes,

Festum,

Festum loqui de sarcinis tantum viatorum, sed & ad alias pertinebant. Docet, quod *furcillas* explicat. Eæ namque, quibus quælibet feruntur onera. *Furcas* dixit Plautus Ac. II. Casinæ sc. 8.

*Sine modo rus veniat, ego remittam ad te virum*
*Cum furca in urbem, tanquam carbonarium.*

Lambinus ad hunc locum. *Furca ad tergum aptata gestabant carbones servi carbonarij.* Turnebus lib. XV. Adv. c. 3. *Furca aptati gestabantur carbones.* Sicut hic furcis gestantur carbones, ita alibi onera alia & sarcinæ. Festus iterum. *Muli Mariani dici solebant à C. Mario instituti, cujus milites in furca interposita tabella varicosius onera sua portare adsueverant.* Quam hic *furcam* nominat, in superioribus appellavit *furcillam* & *ærumnulam*. Est itaq; idem *furcilla* & *ærumnula*, *furca & ærumna*, instrumentum scilicet, quo homines gestabant onera sarcinasve. Allusit Plautus in Amphit. Act. I. Sc. 2. ubi consilio Jovis ait factum

*Vno ut labore absolvat ærumnas duas,*

Alcmena, duplicemq; edat partum. Nam *ærumnas* dixit eleganter, quibus concepti tenebantur filij, sicut onera & sarcinæ machinulis, cum præsertim fœtus in utero *sarcinæ* ac *onera* vocentur, ubi vel ex Phædro nostro intelligimus. Lambinus ita explicat: *Absolvat ærumnas duas, i. e. liberetur & solvatur ærumnis duabus. Ærumnas appellat labores & dolores partus, qui sunt graves & onerosi.* Nil tale dicit Plautus. Quid enim, si ærumnæ hic labores, quomodo labore labores exsolvuntur? Dicit, labore absolutas ærumnas. Ergo aliæ ærumnæ, alij labores. *Labores* vere illi dolores partus. Ovidius eandem Alcmenam faciens loquentem,

— *Nec jam tolerare laborem*
*Viterius poteram* —

& Mysis apud Terentium I. Andr. 5. de parturiente Andria: *Laborat è dolore.* At ærumnæ, quæ absolvuntur labore, quia sicut in machinulis sarcinæ, sic in utero fœtus constricti colligatique, ac propterea solvendi, sicut onus sarcinave solvitur, cum ærumna deponitur. Alludit igitur Poeta ad ærumnas veras, id est furcas, sive machinas, quibus onera gestantur. Quæ ærumnæ ita dictæ sunt

ab ἄιρω, sicut Festus docet hoc est *tollo*, quoniam tolluntur onera in ærumnas istas, quando sunt gestanda. Bene Scaliger eo loco, *ut ab* ἐλαμένη vel ἠλαμένη, *lamina & lamna, ita ab* ἀιρομένη, *ærumina, ærumna.* Ita Scaliger ad Festum, non Festus ipse, quod per festinationem Vossius in Etymologico notavit. Festus tantum ita: *Ærumnæ labores honerosos significant, sive à Græco sermone deducuntur. Nam* ἄιρειν *Græce, Latine tollere dicitur.* Dicit Festus, significare labores onerosos, non proprie, sed per translationem ab ærumnulis & furcillis, de quibus præmisit. Alias enim illud ἄιρειν sive *tollere* nulla quadrat ratione, nam quod Fungerus putat eo pertinere, quoniam labor onerosus *tollit ac conficit hominem*, in eo quidem frustra est, cum hoc nil commune habeat cum ærumnulis aut furcillis. Neq; Vossij commentum istud quadrat, qui à μέριμνα, quod *anxiam solicitudinem* significare ait, deducendum putat. Ærumna nihil tale primo proprieq; significabat, quod vel *ærumnulæ* vocabulum ostendit. Quomodo enim quæso diminutivum pertineret ad sollicitudinem, eamq; non mediocrem, sed anxiam? Ærumna igitur ab ἄιρειν, quia *tollit.* Nempe *tolli* debet onus, antequam gestetur. Quomodo Christus ad paralyticum Marci c. II. ἆρον τὸν κράββατόν σου. *tolle grabbatum tuum.* Et Planudes in vita Æsopi, de iis, qui gestare permittebant Æsopo, quicquid vellet, τῶν δὲ ὅπερ ἂν ἆραι βούλητο ἐπιτρεπόντων. & in fabula 20. de Sene mortem vocante, ὁ γέρων ἔφη, ἵνα τὸν φόρτον τοῦτον ἄρας, ἐπιθῇς μοι. Quia igitur ærumna onus tollitur, ideo ærumna dicta est, ut Festus docet. At, quid illud *sive* vult, apud eum. *Sive à Græco?* Non solet ita poni nude, sed habere aliud *sive*, quod ei respondeat. Id cum absit, puto locum esse mutilum, & aliqua non comparere. Censeo autem datam à Festo etiam denominationem seu originem ex Latino. Quod opinione mea fuit *fero.* Putavit enim à *fero* abjecta prima littera posse fieri *erumnam*, velut *ferumnam*, qua quid portetur. Et solebat scribi utraq; ratione cum per *e* simplex, tum per *æ* diphthongum. Ut hoc simili ve modo locus ille debeat expleri: *Ærumnæ, labores onerosos significant, sive à Græco sermone deducuntur, nam* ἄιρειν *Græce, Latine tollere dicitur. Sive à Latino, nam sunt erumnæ, ferumnæ, à fero,*

*ro, quia in eis onera feruntur cum labore.* Quanquam ego putem esse derivationem veriorem ab αἴρω. Nam hinc *æro* quoq; sive Phormio, qui significat genus vasis spartei, quod *sportam*, sive *fiscinam* vocamus. Donatus ad Phormionem Terentij: *Phormio non à formula, sed à Phormione sparteo, quem nos æronem dicimus.* Sicut *æro*, fiscina est ab αἴρω, quod consensu magno volunt eruditi, ita plane & *ærumna*, machina oneribus gestandis ab eodem αἴρω, quia generis utriusq; idem pæne usus in tollendis rebus, quæ portari debent. Differebat tamen æro ab ærumna, quod hæc esset fabrefacta ex lignis integris & solidioribus, ille vero contextus è viminibus aut sparto. Ille circa & in ambitum esset clausus, sicut solent corbes, ærumna vero minime, sed pauciſſimis constaret bacillis. Alias utrumq; genus arbitror aptari dorso consveviſſe, ac æronem eum ipsum esse, qui à meis popularibus ein Ruckkorb nuncupatur. Quod de specie formaq; dixi ærumnarum, constat vel ex eo, quoniam & furcæ nominatæ. Furca enim non est, in hoc quidem genere, nisi ex lignis seu bacillis solidioribus, in duo fissis cornua & patentibus. Sic ubiq; furca Latinis intelligitur, ut in vehiculo, in instrumento rustico, vel ad pœnas & supplicia destinato. Talis ergo fuit & ærumna. Festus & tabellam memorat in ea. *Milites*, ait, *in furca, interposita tabella onera portabant.* Fuit autem hæc tabella eo interposita, ut in ipsa ligarentur sarcinæ seu onera. Quomodo in cretella superius à notis exhibita in imo interposita est tabella eo fine. Quanquam cretella hodierna in eo videatur diversa à furca veteri, quod hæc lignis duobus cornutis constet, illa tantum uno, sitq; illa simplex, hæc vero duplex furca. Certe si, quod ait Festus, tabella ea fuit interposita, species furcæ veteris intelligi aliter vix poterit. Nam interposita est inter duo furcæ cornua immissa, ut in ea reponatur onus sive sarcina, cornibus superne continenda. Talis ergo fuerit ærumna vetus. Nam quæ nobis species illius exhibetur ex columna Trajani à Lipsio, ubi exprimit milites duos cum sarcinis, ea vero nil huc facit. Nulla ibi interposita tabella, nulla furcæ cornua. Nempe illa ærumnarum Marianarum consuetudo pridem castris fuit ejecta, proprer molestiam. Adde,

quod ibi milites sarcinas gerant ante se, tenentes sive perticas sive hastas, ad pectus reclinatas dextris. Non sic furcæ vel ærumnæ gestabantur, sed in dorso. Ita namq; supra vidimus & carbonarios fecisse. Neque caussa fuit alia, cur milites cum ærumnulis suis dicerentur muli. Muli nempe sarcinas & onera ferunt dorso. Quibus proinde ut sint similes & homines, necesse fuerit, ut & ipsi onera dorso suo subeant. Nam onus quidem unicum solumque facere similitudinem non potest. Hastæ ergo Lipsij vel perticæ nil ad ærumnas faciunt, aut furcas. Alia longe fuit species earum, sicut dixi. Cæterum quemadmodum ærumnæ furculæque pertinebant ad homines, ita clitellæ ad jumenta. Neque differebant multum specie ab ærumnis sive furcis, nisi quod furcæ essent simplices clitellæ duplices, furcæ paterent superne ad modum litteræ V, clitellæ vero inferne, ad modum litteræ Λ, quo aptari dorso jumentorum possent. Duplices dixi furcas, quod haberent ligna duo bifurcata parvulo distantia spatio, conjuncta tamen inter se ab utroq; latere, plane sicut hodieque fieri consveverunt. Hæc utrimque per dorsum dependebant, indeque dicta sunt clitellæ. Festus. *Clitellæ dicuntur non tantum eæ, quibus sarcinæ conligatæ mulis portantur, sed etiam locus Romæ propter similitudinem, & in via Flaminia loca quidem devexa subinde & acclivia.* Quia loca Romæ & in via Flaminia erant acclivia mox devexa, similitudinem clitellarum habere videbantur, quia & clitellæ declives à summo jumentorum dorso, quod furcæ clitellarum velut cruribus varicatis comprehendunt atque claudunt. Habuerunt alias & dependentes uncos. Docet unicus Horatij interpres vetus, loco supra indicato. *Clitellas*, ait, *sagmas sive sellas, quibus strati muli sarcinas & onera gestant, uncinis ligneis hinc inde dependentibus.* Facit uncinos illos ligneos, eosque dependentes à clitellis hinc inde, hoc est, ut existimo, ab utroq; latere. Intelligo hoc autem de non ita libere pendulis in loro tæniave, sed affixis ad extrema clitellarum, sicut hodieque fieri consvevit. Nam ad uncinos istiusmodi etiam nunc religantur

tur sarcinæ per funes, ut ne defluant. Quo *constringere sarcinas* dixit Plautus Trinum. A. III. Sc. 2.

— *Quid ego nunc agam?*
*Nisi uti sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem.*

*Religare* dixit Festus. *Furcillis religatas sarcinas viatores gerebant.* Quanquam sermo sit hoc loco non de jumentorum clitellis, sed hominum ærumnulis. Quod vero Hesychius in vocabulo καυθήλια sic quoq; dicit appellari τὰ τοῖς ὄνοις ἐπιτιθέμενα λύγια πλέγματα, h. e. texta viminea, quæ asinis imponuntur, huc non pertinet, sed ad genus aliud referri debet, quod & ipsum asinis imponi consvevit. *Fiscos* appellavere Latini, meminitque Phædrus noster lib. II.

*Muli gravati sarcinis ibant duo,*
*Vnus ferebat fiscos cum pecunia.*

Fisci ejuscemodi sunt πλέγματα λύγια, nam ex viminibus fiebant. Eratque usus istiusmodi fiscorum sive sportarum asellis ab utroq; latere suspendi solitorum sicut hodieque, sic olim creberrimus, non apud eos solum, qui faciebant iter, sed & agricolas rusticosq;. Qui & stercus in ijs deferri ad agros curabant, aut vineas in locis editioribus sitas. At clitellas nemo πλέγματα vocavit, quoniam fuere non plexæ, sed constructæ ex lignis firmis atque solidis. Quibus, ne asperitate sua læderent jumenta, subdere pulvillos fere solebant, farctos palea vel rebus aliis. Nam est σάγμα, quod clitellam notat, à σαγῇ, tomento, quo pulvilli replebantur, quod est σάττειν Græcis. A σάττειν est σαγὴ, inde σάγμα, pulvillus tomento repletus, clitellæ solitus supponi, unde ipsa etiam clitella sic est dicta. Alij centunculos subjiciebant, id est pannos viliores crassioresque, ac eos sæpe plures. Livius lib. VII. *Mulis strata detrahi jubet, binisque tantum centunculis relictis agasones armatos imponit.* Strata hic non στρώματα, sed clitellæ, quod jam alias est dictum. Quibus sublatis cum hic relinqui dicantur centunculi, necesse est fuisse antea in jumentis, ubi vero, nisi sub stratis illis, hoc est clitellis. Atque sic intelligendus & Frontinus lib. II. c. 4. *Ad implendam multitudinis speciem agasones lixasq;*

*lixasq; armatos simul ire jussit, jumentorumq; magnam partem instratorum cum centunculis.* Nam *instrata* hic accipio, quibus strata fuere detracta relictique soli centunculi. Sed cur tandem strata detracta? Docet Frontinus, quando addit, *ut per hoc facies equitatus objiceretur.* Nempe strata illa seve clitellæ longe ultra dorsum animalis eminebant, sicut hodieque cernimus in mulis. At strata equitum, ut ex panno simplici coriove, presse inhærebant. Quare si sedisset in clitellis, dolus facile fuisset deprehensus, cum sic visi essent altiores, quam solerent vulgo equites. Et hæc quidem species clitellarum à quibus deinde jumenta omnia, quæ ferebant, *clitellaria* sunt dicta. Ita habes asinos clitellarios, apud Catonem, R.R. c.10. *Asinos ornatos clitellarios, qui stercus vectent.* Item mulos. Columella lib. II. c. ult. *Arbores serendi caussa collo, vel mulo clitellario afferre.* Equos etiam clitellarios appellat Matthæus Parisius An. M CC XLV. *Dedit domino Papæ triginta palefridos, cum totidem equis clitellariis.* Græci talia jumenta nuncuparunt σαγμάρια. Suidas: σαγμάρια τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευήν. Hinc postea & Latinis *sagmaria.* Vegetius lib. III. c. 6. *Antiqui diligentissime præcavebant, ne & sagmariis clamore pavefactis milites turbarentur.* Hinc caballus sagmarius, & mula sagmaria apud Isidorum voce *sagma.* Equum sagmarium dixit Vopiscus in Aureliano. *Equum sagmarium suum defricet.* Recentes saumarium, vel summarium appellavere, quod jam supra notavimus. Iisdem Græcis etiam ἀστράβαι hæc jumenta. Pollux lib. VII. c. 33. ubi de animalibus operarijs: ὄνος, ἡμίονος, ἀστράβη. Hesychius: ἀστράβη, τὸ ἐπὶ τῶν ἵππων ξύλον, ὃ κρατοῦσιν οἱ καθεζόμενοι. οἱ δὲ καλὰ τὸ πλέον μὲν τὴν σωματηγὸν ἡμίονον ὅτι ἔλεγον; ἐνίοτε δὲ πάντα ἁπλῶς τὰ σωματηγοῦντα ὑποζυγοῦντα. Dicit, astrabam significare sellam equestrem, plerumq; vero usurpari de mulis, astrabas seu clitellas ferentibus: aliquando quoq; pro genere omni clitellario poni. Hoc enim apud Hesychium est σωματηγὸν, opponiturq; ἀναβατικῷ, de quo præcesserat, τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀναβατικῶν. Ubi ἀναβάλικοὶ ὄνοι, qui conscendi solent ab hominibus, æquitationis caussa, σωματηγοὶ vero, clitellarij. Ad eundem modum Eustathius ad Odyss. I. Ἀστράβαι φησὶν, οἱ καλα-

μόνας

μόνας σωμαλιηχθέντες. Nam σωματιηχθέντες hic σωματιηγοὶ, aut σωματιηχθέντα ὑποζυγίδια, ut Hesychius vocavit. Nisi velimus cum nonnullis apud ipsum scribere ὑποζύγια. Nam quod Salmasius in epistola de Cruce delet, quia ὑποζύγιοι non sunt σωματιηγοὶ, non putamus jure fieri. Equidem & Eustathius, ὑποζυγίαμοὶ ὑφ' ἁμάξαις ζευγνυμένοι, sed alij aliter,& pro ijs etiam usurpant,quæ non juncta sunt ad currum. Etymologus in hac ipsa voce. Ἀσφάβη· λέγεται δὲ αὐτὸ τὸ νωλοφόρον ὑποζύγιον. Quod hic νωτοφόρον ὑποζύγιον,id Hesychio σωμαλιηὸν σωμαλιηχθῆν, vel ὑποζυγίδιον vel ὑποζύγιον. Ἀσφάβαι Græcis etiã καυθήλιοι. Hinc καυθήλιοι ὄνοι, clitellis ornati, sicut supra pluribus monstravi. Romani Græcæ vocis imitatione appellarunt *cantherios*. Nec enim cantherij proprie, quibus adempti testiculi, sed quibus impositæ clitellæ. Unde Seneca de Catone ep. 87. *M. Cato Censorinus cantherio vehebatur & hippoperis quidem impositis,ut secum utilia portaret.* Lipsius cantherium hic exponit equum sectum. At hoc nil notabile in Catone, nam & alij his vehebantur. Varro lib. II. R. R. cap. 7. *In viis habere malunt placidos equos,propter quod maxime institutum, ut castrentur.* Video, ut castratis vulgo usi fuerint in viis. Id vero singulare,Catonem vectum καυθηλίῳ sive clitellario,in illis ipsis clitellis, quæ alias non ad equitandum, sed onera & sarcinas fuerunt paratæ, ac ne nudis quidem eis, sed impositis hippoperis super ipsas sedens sarcinas, quod hodieque, verum soli agrestes consueverunt. Ideo sequitur. *O, quantum erat sæculi decus,imperatorem, triumphalem, censorium, & quod super omnia hæc est, Catonem uno caballo esse contentum, & ne toto quidem, partem enim sarcinæ ab utroq; latere dependentes occupabant.* Cantherij ergo clitellarij, sicut καυθήλιοι ἵπποι. Jam ut equi mulive cantherij, sic plane & homines, quod ex Pomponio superius monstratum est. Quod ipsum quoq; docet,cantherios non ex exsectione dictos,quia careant testiculis & semine, quod voluerunt hactenus, sed ex καυθηλίοις seu clitellis, quas portare solebant. Nec enim qui ex hominibus cantherij sunt dicti, exsecti fuere. Maluerunt tamen homines vocare *gerulos*. Nam quod apud Plautum extat III. Mostel. Sc. 2.

— *Muliones mulos clitellarios*
*Habent, ego habeo homines clitellarios,*

Joco dictum est, ut apparet facile ex eo, quod præcedit: *Novitium mihi quæstum instituí.* Non *clitellarios*, sed *gerulos* appellavere. Horatius lib. II. ep. 2.

*Festinat calidus mulis gerulisq; redemptor.*

Commentator quidem vetus Cruquij: *Gerulisq;, h. e. sagmariis. Geruli qui portant necessaria ad fabricam.* Sed geruli non sunt sagmarij eo loco, qui à mulis nihil differunt, verum homines, qui dorso ferunt onera. Suetonius in Cajo, c. 40. *Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octava exigebatur.* Ubi Casaubonus: *Geruli sunt οἱ μισθῷ φέροντες, ut vocat Appianus IV.* Εμφυλ. *Attici* πρανίκας καὶ ὀφιδίνας *vocant Latini etiam bajulos & gerones, ut Cicero in epistola quadam ad Atticum.* Quæ sit Ciceronis hæc epistola, mihi necdum liquet. Nec *gerones* alibi occurrunt. At vero gerulos de hominibus usurpavit quoque Columella lib. X.

*Ære sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.*

Firmicus vocavit *laturarios*, prout recte verba ejus ex antiquis libris, emendavit Cl. Salmasius. *Operarios reddat, ac sempiternis laboribus deditos, & qui corpus suum ad opus aliquod locare consueverunt, laturarios, humeris ac dorso vitæ subsidia quærentes.* Ubi laturarij sic dicti, quod *laturas* facerent, id est onera gestarent humeris ac dorso. Philoxenus. *Latura*, φόρετρον. Hinc *laturas locare* apud Interpretem veterem Juvenalis Sat. III. quod is ipse vir doctissimus jam observavit. Appellarunt quoque *bajulos*. Ipse Tullius in Parad. *Vtrum potius de bonis est quærendum, quid bajuli atq; operarij, an quid homines doctissimi senserint.* Recte bajulos & operarios conjungit. Sunt enim *operarij* recentiori consuetudine, qui vetustioribus *bajuli*. Festus. *Bajulos dicebant antiqui, quos nunc dicimus operarios.* Atque ita supra operarij apud Firmicum à cupiendi, non de omnibus vel quibuslibet, qui opus faciunt. *Bajulatores* appellavit auctor vetus Glossarum. Αχθοφόρος, *gerulus, onera ferens, sarcinarius, bajolator.* Docet locus, vocatos quoq; *sarcinarios*, à sarcinis videlicet, quos ferebant. Dico, *sarcinarij*: nam *sarcinati* alij, illi scilicet,

cet, qui ex quacunque causſa gerunt ſarcinas, non ad hoc conducti, & profeſſione tales. Plautus Pœnuli A. V. Sc. 2. *Viden homines ſarcinatos conſequi.* Sarcinatos nominat nõ ſarcinarios aut bajulatores, verum ſervos militis, ſarcinas ipſius ad hoſpitium portantes. De bajulatoribus doceret quoq; Gloſſæ Savaronis ad Sidonij lib. VI. ep. 4. ita namq; habent: βαϛαταὶς, *bajolator, bajulator.* Sic ibi legendum. Nam *bajulatores* incuria typographi, pro *bajulator,* & eſt factum. Quod autem Voſſius in lexico bajulos & *nutritores* atque *pappas* ait dictos, fit confuſione bajulorum ut ſunt inter miniſteria domeſtica & pars familiæ, cum mercenarijs. Familiares illi ita dicti, quod aſſidue geſtarent pueros ac infantes, de quo videſis Laurentium Pignorium, cum mercenarij ad bajulanda onera conducerentur. Num hi ab ærumnis nominati quoq; *ærumnoſi* fuerint, haud dixerim. Quanquam non diſſvadeat, quod legitur in Petronij fragmento: *In capricorno erumnoſi naſcuntur, quibus præ malo ſuo cornua naſcuntur.* Græcis ἀχθοφόροι ſunt, item βαϛακταὶ. Gloſſæ: Βαϛακτὴς, *bajolator.* Atq; ſic legendum eſt in Gloſſis Savaronis, non ut habent editi, βαϛατκὴς. Βαϛακτὴς eſt à βαϛαγὴ, quod onus ſignat. Heſychius: βαϛαγὴ, βάρ☉. A βαϛαγῇ fecerunt *Baſtagam* Latinè. Inde titulus 20. lib. X. Cod. Theod. *De baſtagæ reparatione.* Ubi baſtaga non modo ſignificat onus, ſed & deportationem ejus. Indeq; veniunt *baſtagarij,* eadem memorabili titulo, qui ſunt Græce non βαϛακταὶ, quales ſupra dicti, verum βαϛαγὴς procuratores. Docet manifeſte ipſa lex, quando eis jubet præberi animal decimum, pro reparatione baſtagæ. Liquet enim hinc, non ipſos ea onera geſtaſſe, verum animalia. Unde nec huc pertinere poteſt, quod habetur in Corona pretioſa Meurſio citatum. Βαϛαγάρης, *bajulus,* ἀχθοφόρος. Non hic βαϛαγάρης, qui in lege *Baſtagarius,* quia hic jumenta oneraria regit, illa onera ipſe bajulat. Solebant vero iſti omnes onera geſtare tergo. Hinc communi voce Græcis νωτοφόροι. Suidas. Νωτοφόρ☉, ὁ ἐπὶ νώτῳ βαϛάζων. Loquitur non de jumentis ſolum, verum etiam hominibus. Heſychius: Νωτίϛαϑαι, ὁ μὴ ἵππῳ ζυγὸν, ἀλλὰ τῷ νώτῳ ἀχθοφορῶν ἄνθρωπ☉, ἵππ☉, ὄν☉. Aperte teſtatur, non de equo ſolum aſinove, ſed & homine uſurpari,

hosq; perinde, ut illos, si quando gestarent onera, id feciſſe dorſo. Quod confirmat Firmicus, quando de Laturariis, *dorſo vitæ ſubſidia quæſiviſſe* ſcribit in ſuperioribus. Dicebantur ex eadem cauſſa & νωτάρεις. Suidas. Νωτάρης, ὁ ἐπὶ νώτῳ ἄρων καὶ βαστάζων. Ubi nota illud ἄρων, ſupra nobis explicatum. Heſychio ſunt etiam νωτεῖς ſimpliciter. Νωτεῖς, οἱ ἀχθοφόροι ἡμίονοι, μὴ ἕλκοντες ζύγιοι. Sic lego illum locum non ἢ ἕλκοντες, quod præferunt excuſi. Nam ſunt alij ζύγιοι, alij νωτεῖς. Hi ſunt ἀχθοφόροι, hoc eſt, onera ferentes tergo, illi ἕλκοντες, hoc eſt, trahentes jugis. Pollux lib. II. c. 4. 37. Νωτοφόρον ἡμίονον, ὃν δὲ Ξενοφῶν λέγει, καὶ ὄνον. Καὶ νωτεῖς δὲ τούτους ἐκάλουν, ὡς καὶ τοὺς ὑπὸ ζυγόν, ζυγίους. Sed quid eſt, quod νωλοφόρους etiam σωματοφύλακας Heſychius exponit? Σωματοφύλακες, δορυφόρους, νωτοφόρους, καὶ ὁ βασιλικὸς φύλαξ. Non video, quomodo νωτοφόρους eſſe poſſit σωματοφύλαξ, cum repugnet ratio vocabuli. Suſpicor, omiſſa & trajecta quædam, ſcribendumque σωματηγὸς, νωλοφόρους. Σωματοφύλακες. δορυφόρους. Excidit σωματηγὸς, quia viſum fuit idem cum σωμάλιφος in ſcripto codice, quod proxime præceſſit. Νωλοφόρους certe nuſquam cuſtos corporis, ſed qui ſarcinas fert dorſo, homo, mulus, aſinus. Latinis hac de cauſſa dictus *doſſuarius* vel *dorſuarius*. Philoxenus: *Dorſuarius*, νωλοφόρος. Varro lib. II. R. R. c. 6. *Greges fere ſiunt mercatorum, ut eorum, qui Brundiſio aut Apulia aſellis doſſuariis comportant ad mare oleum.* Ut hic aſellos doſſuarios, ita capite 10. equas habet, ac jumenta alia. *Magiſtrum providere oportet, ut omnia ſequantur inſtrumenta, quæ pecori & paſtoribus opus ſunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum. Ad quam rem habent jumenta doſſuaria domini. Alij equas, alij pro his quid aliud, quod onus dorſo ferre poſſit.* Vides manifeſte doſſuaria, quæ onus ferre poſſint dorſo. Cæterum hæc doſſuaria jumenta, & præſertim muli varie ornati olim. Tintinnabula præſertim collo appenſa habebant. Phædrus noſter lib. 1. c. 8.

— *Celſa cervice eminens,*
*Clarumq; collo jactans tintinnabulum.*

Loquitur de mulo fiſcos ferente cum pecunia. Et hic quidem unum habuit; at Apulei ille plures, ubi & de cœtero ornatu. *Mephaleris aureis, & fucatis ephippiis, & purpureis tapetis, & frenis argenteis, & picti-*

*& pictilibus baltheis & tintinnabulis perargutis exornat.* Haufit uti cætera ex Luciano, qui ſic de eadem re. Καὶ σκεύή μοι ἦν πολυτελὴς. καὶ στρώματα πορφυρᾶ ὑπεβάλλομαι, καὶ χαλινὸς εἰσδέχομαι, ἀργύρῳ καὶ χρυσῷ πεποικιλμένους, καὶ κώδωνες ἐξήπτονλό μοι μέλος μουσικώτατον ἐκφονοῦντες. Memorat & ipſe ſtrata purpurea, frenos aureos, & tintinnabula muſicum ſonum edentia. Nam κώδωνες ipſius, Apulei *tintinnabula*. Atq; ſic exculti equi quoque, ſicut libro primo dixi. Magius de Tintinnabulis, c. 8. *Olim oblectamenti atq; ornatus gratia muliones atq; agasones equis mulisq; tintinnabula alligabant, quod & hodie paſſim fieri videmus.* Suvertius non tam ornatus cauſſa putat factum, quam quod ſono eo animalia delectarentur. Sic enim ait ad Magium: *Aſſiduo compertum eſt, mulos valde delectari tintinnabulorum ſonitu: quapropter muliones multijuga tintinnabula ad illorum colla ſuſpendere ſolent, quo facilius ſarcinarum labores perferant, ut Ovidius alibi canit.* Verum magis eſt, ut exiſtimemus factum, quo adventantibus alij occurrentes in tempore decederent de via præſertim cava vel anguſta ſono tintinnabulorum exaudito, propter cauſſas, quas ſuperius adduxi. Quanquam poſtea & alterum ſit obſervatum. Videturq; Phædrus noſter innuere, quando malum ſuperbũ facit jactantem illud tintinnabulum, velut gaudio & per oſtentationem. Phaleras aureas, quas inter ornamenta mulorum memorat Apulejus, puto eſſe clypeolos orbiculoſve, quales hodieq; in fronte ac temporibus ornamenti cauſſa ex ære inaurato, vel aurichalco habere conſveverunt. Heſychius in voce φάλαρα generaliter ἱππωκόσμια vocaſſe videtur. At Suidas propius & convenientius ſententiæ noſtræ. Φάλαρα, τὰς προμετωπίδας, τῆς ἀσπιδίσκους, τὸν κόσμησιν τὴν κατὰ τὸ μέτωπον τῶν ἵππων. Dicit phalaras vocare frontalia, clypeolos, ornamẽta qualia equi habeãt in fronte. Sicut equi, ſic & muli habuere. Tapetes quoq; hodie ſervãtur, ſummis enim inſternũtur ſarcinis, partim ut legãt, partim ut ornent. Ideo varias picturas habẽt intextas, quandoq; nomina, & inſignia illius, ad quẽ ſarcinæ ſpectant. Sed qui *pictiles baltheis*? An, quibus præcinguntur pectora, tæniis verſiculoribus ornatis, aut villis, ex lana ſericove? ut *pictile*, ſignet *pictum*, ſicut *fictile*, *fictũ*. Sane quomodo hic pictiles intelligi

telligi aliter debeant, haud video. Atq; ista quidem ornamẽta, non dossuariorum omnium, sed præstantiorum, quod per se cognoscitur. Usus fuit multiplex. Nam jumenta quidem serviebant agris reiq; rusticæ, si vehendum stercus, transplantandæ arbores, aut alia id genus facienda, quod ex Catonis & Columellæ verbis supra discere potuimus. Alias vehebant sarcinas quascunque, hominum quorumlibet. Primum magistratuum ac præsidum, cum irent in provincias. Quo respexit Cicero in Or. cont. Rullum, quando de Rullo, & magistratu ab eo Coloniæ deducendæ caussa constituto, quem prætoribus esse voluit similem: *Deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, præconibus, architectis, præterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili.* Habes ecce mulos in ministerio horum, sicut solenniter solebant esse in ministerio Prætorum. Sed in Pantagathi libro una voce auctius legebatur *mulis cantheriis*, quod cum Aldo & Grutero puto esse rectum. Sunt enim *muli cantherij*, ἡμίονοι κανθήλιοι, sic ad differentiam eorum dicti, quibus utebantur in vehiculis, alias *muli clitellarij*. Nec enim cantherij à carendo; verum κανθηλίοις, seu clitellis, ut jam supra demonstratum est, & hic locus satis comprobare potest. Eadem quippe ratio & muli cantherij, & cantherij equi. Et quia muli cantherij, inde liquet, quod ajebam, consveviſse sarcinas prætorum, maxime tabernacula, & supellectilem ipsius bajulare. Accipiebant autem mulos istos è publico. Livius lib. XLII. c. 1. *Magistratus mulis tabernaculisq; & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Fiebatq; hoc per privatos, qui accipiebant pecuniam ex publico, & ituros in provincias instruebant necessariis, interq; illa mulis quoque, quod ex vita Augusti apud Suetonium c. 36. est notum, & jam pridem expositum Sigonio lib. II. de Jure Provin. c. 1. Quanquam hoc abolitum ab Augusto, mox per sequentes Cæsares denuo restitutum, ut vel ex Lampridij Alexandro Severo cognoscitur. Qui simul docet, elapso administrationis tempore, ut cætera, sic hos mulos restituere coactos. *Judices*, ait, *exemplo veterum, ut & Cicero dicat, & argento, & necessariis instruebat, ita aut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas,*

*mulos*

*mulos binos, equos binos &c. reddituri, depoſita adminiſtratione mulas, mulos, equos &c.* Obſerva, quod hic mulas quoq; memoret in poſtremis, cum in præcedentibus ſolos nominarit mulos. Nam oſtendit, locum eſſe mutilum, & ſic explendum: *Phialas ſenas, mulas binas, mulos binos, equos binos.* Scriba negligentior rem eandem bis putavit poſitam, & ideo mulas omiſit. Vehebant quoq; muli, aſini, equi ſarcinas aliorum, iter facientium. Quomodo ſupra vidimus Gnathonij utenſilia, Athenas deportata aſellis. Seneca vulgatam hanc Romanorum iter facientium fuiſſe ait conſvetudinem ep. 123. *Omnes jam mulos habent, qui chriſtallina, & murrhina, & cælata magnorum artificum manu, portent, turpe eſt, videri, eas te habere ſarcinas, quæ tuto concuti poſſunt.* Mercium vero huc illudq; transportandarum iſtoc ſolenne vehiculum. Ibantq; juncti fere ſociatiq; plures, quod ſuperius jam monui. *Gregem* Varro nominavit illam ſociatorum jumentorum multitudinem lib. II. R. R. c. 6. *Greges fiunt fere mercatorum, ut eorum, qui è Brunduſino aut Apulia aſellis doſſuariis comportant ad mare oleum aut vinum, itemq; frumentum, aut quid aliud.* Nec hoc faciebant mercatores ſolum, ſed & alij, qui venale quid habebant. Ipſi agreſtes in aſinis circumvectare per plateas merces ſuas ſolebant. Innuit Virgilius Georg. 1.

*Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli*
*Vilibus aut onerat pomis: lapidemq; revertens*
*Incuſum, aut atræ maſſam picis urbe reportat.*

Paulo planius Apulejus lib. IX. Aſini, de hortulano loquens, cui ſerviebat: *Matutino me multis oleribus onuſtum, proximam civitatem deducere conſveverat dominus, atq; ibi, venditoribus tradita mercede, dorſum inſidens meum ſic hortum redire.* Item Lucianus: Ἀποδίδοταί με ἀνθρώπῳ κηπουρῷ τῶν τέχνων δεσπότης ἦν ἐωθὲν ἐπιθεὶς μοι τὰ λάχανα, ἐκόμιζεν, εἰς τὴν ἀγορὰν, κἠπαραδοὺς τοῖς ταῦτα πιπράσκουσιν, ἤγέ με πάλιν εἰς τὴν κῆπον. Præcipuus jumentorum ejuſcemodi fuit uſus in militia & bello. Nempe quicquid erat rerum neceſſariarum, non in vehiculis tam frequenter, quam clitellariis ejusmodi jumentis circumferre ſolebant. Inde *ſarcinaria* Julio Cæſari lib. I. Bel. Civ. c. 81.

ubi

ubi de militibus Afranij: *Ibi & inopia pabuli adducti, & quo essent ad iter expeditiores, omnia sarcinaria jumenta interfici jubent.* Sagmaria deinde vocarunt, vel equos, mulos, asinos sagmarios. Vegetius lib. III. c. 6. *Primi ergo equites iter arripiant, inde pedites. Impedimenta, sagmarij, calones vehiculaq; in medio collocentur, ita ut expedita pars peditum & equitum subsequatur.* Nempe sic & Græci appellabant. Suidas. Σαγμάρια τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον τέλσον, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν καὶ τὴν μελακομιδὴν τῶν ἐπιπηδείων. *Sagmaria id, quod nobis tuldum, quæ ferunt apparatum onerag; rerum necessariarum.* Verba hæc non sic intelligenda, quasi τέλσον quoque sit σαγμάριον, sed τέλσον est, quod ex omnibus sagmarijs conficitur. Itaque distinguit Leo quoque cap. 10, 7. Καὶ αὐτὰ τὰ σαγμάρια, καὶ τὴν λοιπὴν ἀποσκευὴν, ἅπερ καλεῖται ἀδρέστρατα (sic ibi est scribendum, non δίστρατα, quod habent editi) μετὰ αὐτοῦ τοῦ τέλσου καταλιμπάνειν. Interpres ita vertit: *Ipsa autem sagmaria, id est, sarcinas reliquosq; apparatus, quæ andresta vocant, cum ipso tuldo relinques.* Hic primum prave habuit in suo codice ἀνδρεστα, pro ἀδρέστρατα. Deinde sagmaria putavit sarcinas significare. At vero sagmaria non ipsæ sarcinæ, sed jumenta sarcinas portantia. Debuit igitur sic reddere: *Ipsa vero sagmaria, reliquumq; apparatum, quæ vocantur adestrata, cum tuldo ipso relinques.* Ubi nota, hæc sagmaria vocata etiam ἀδέστρατα. Ipse Leo paulo est: δεῖ παραλαβεῖν τὰ ἀδέστρατα (sic iterum est emendandum, pro ἀδρέστρατα) ἤγουν σαγμάρια. Quanquam videatur fuisse inter ista quoque differentia, sicut σαγμάρια significarent proprie jumenta clitellaria, ἀδέστρατα vero, cum sarcinis & oneribus jam essent gravata. Et hoc voluisse Leonem quando supra σαγμάρια καὶ τὴν λοιπὴν ἀποσκευὴν ajebat ἀδέστρατα vocata. Nam alias ἀδέστρατα sine jumentis nō intelliguntur, id quod liquet ex Mauritio nostro, qui l. V. Strat. c. 2. dicit esse ὑπὸ μικρῶν παλλίκων καλούμενα, hoc est regimini parvorū puerorū subdita, quod nisi de jumentis explicari utiq; non potest. Adde, quæ in notis nostris de eadem re locuti sumus. Ἀδέστρατα igitur sunt σαγμάρια cum suis oneribus, quæ una cum carris, & vehiculis, & similibus aliis efficiebant id, quod Græci novitij τέλσον, Latini alias *impedimenta*, nominarunt. Cæterum in his sagmariis vel sarcinariis habebant commeatum

maetum ſuum, item utenſilia, tum tentoriala, poſtremo arma quoque, qua de re non uno loco dixi ad Mauritium. Erãtq; illa ſic diviſa per exercitum, ut contubernia ſingula, vel bina unum haberent iſtiusmodi ſagmarium. Leo VI. 29. ἵππους σαγματαείους ἢ ὑποζυγίους, ἐὰμὲν ἐσδέχεται, καθ' ἕκαστον κοντυβέρνιον, εἰ δὲ μήγε, εἰς τὰ δύο κοντυβέρνια ἕνα. Ita editi. Sed pro σαγματαείους, mallem σαγμαείους ſcribere, pro ὑποζυγίους, ὑποζύγια in Barberino legit codice Cl. Holſtenius, manuq; ſua codici adſcripſit, quem ipſius munere poſſideo. In eodem ἕνα legitur poſt κοντυβέρνιον inſertum. Senſus hic eſt: *Equos ſagmarios, vel jugales, ſi poteſt fieri, ſingula contubernia ſingulos, vel ſi non ſingula, bina ſingulos habeant.* Interpres etiam hic minus fuit accuratus. Cæterum contubernia ſingula decem vel duodecim continebant milites, ut notum. Ergo ſinguli decem milites, vel viginti unum habebant ſagmarium, cujus uſus communis erat omnibus. Habebant autem non contubernia modo vel decuriæ, ſed etiam centuriæ aliquem, quem *centuriatum* nuncupabant. Vopiſcus in Aureliano: *Mulum centuriatum communiter curet.* Salmaſius ad hunc locum. *Mulus centuriatus erat communis toti centuriæ. Recte igitur* καὶ καλὰ λόγον *mulum communem communiter vult curari.* Quibus verbis intelligimus, ſagmarij illius uſum fuiſſe communem toti centuriæ, ſic ut ea, quæ ſpectarent non ad ſingulos, hoc enim pertinebat ad ſagmarium contubernij ſeu decuriatum, ſed ad totam centuriam geſtaret. Simulq; obſervatum, ut communis quoq; ejus eſſet cura, id eſt ordine ſinguli per totam centuriam ſagmarium illum ſuo quisq; tempore curarent. Erat autem mulus, ſagmarius centuriatus. Decuriatus equus videtur fuiſſe, ſupra enim Leo, ἵππους σαγμαείους, vel ut eſt in editis σαγματαείους, quod ineptum tamen puto, nominavit. Quanquam vix ſit dubium, quin & mulos adhibuerint. Nam mulorum mentio creberrima hoc fine. Ita ſupra vidimus ſtrata detracta mulis, quos non intelligimus alios, quam ſagmarios hujusmodi. Etiam camelos ita uſurparunt. Pollux lib. I. c. 10. ubi agit de his omnibus: Χρεία δ' εἰς τὸς πολέμους, σκευοφόρων μὲν ὄντων, ἐπισκευαζομένων δὲ θεῶν ὑφ' ἁμάξαις, ἡμιόνων δὲ πρὸς ἄμφω, καμήλων δὲ, ἐπισεσαγμένων τὰ σκεύη. *Ad bellum autem opus eſt aſinis, qui ferant ſarcinas,*

*nas, & bobus, qui jungantur ad vehicula, mulis vero, qui utrumq; faciant, camelis denique, qui portent utensilia.* Ita verto locum hunc, ab interprete minus clare redditum. De camelis dixi quoque ad Mauritium nostrum, qui & ipse facit mentionem aliquam eorum ad hos usus. Jam quoniam jumenta isthæc omnia in bellis sua præstabant ministeria, hinc & jure postliminij recepta. Cicero hoc nominatim docet de mulis in Topicis. *Postliminio*, ait, *redeunt hæc; homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet.* Mulus clitellarius non quilibet, sed qui sarcinas & onera gestavit in militia, captusq; fuit, hic intelligendus est. Ac de tali loquitur & Gallus Ælius apud Festum. Verba Festi hæc sunt: *Postliminio receptum Gallus Ælius in libro primo significationum, quæ ad jus pertinent, ait esse eum, qui liber ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit ex jure, quod constitutum est de postliminio. Item qui servos à nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos redit, redit in ejus potestatem, cujus antea fuit, jure postliminij. Equi, & muli, & navis eadem ratio est.* Ita lego & distinguo Galli verba. Liquet autem satis, sermonem esse non sic universum de mulo, sed de clitellario, eoq; qui gestavit sarcinas in bello, aut vehicula & currus traxit.

## Cap. III.
## De Ferculis.

*Fercula, unde. Fercula cænarum, triumphorum, funerum. Fercula cænarum qualia. Calepinus & Stuckius notātur. Cibi plures in uno ferculo. Ferculum componere, struere. Compositores, structores. Repositorium. Bayfius notatur. Plinius emendatur. Epulæ ingentes. Lampridius exponitur. Dapes ingentes. Emendatio Salmasij revellitur. Ferculi figura rotunda vel quadrata, item simplex vel duplex. Theca repositorij. Ornamenta ferculorum. Vrsinus refutatur. Repositoria non sunt mensæ. Quomodo illata mensis, missus. Fercula ovantium qualia. Livius explicatur. Fercula spoliorum in pompa triumphali. Ferculis impositi homines. Quomodo portata. Onuphrij picturæ falsæ. Ferculaludorum. Torrentius rejicitur. Dio explicatur.* ἅρμα ὅλον.

*Dio*

*Dio emendatur & explicatur. Pulpitum in scholis & theatris. Pompa quid. Cicero exponitur. Ferculi sunt nulli. Nizolius refutatur. Imagines motæ ab hominibus intus latentibus. Apulejus explicatur. Dij incedunt pedibus humanis. Portare Anubin. Signiferi. Noxij ad hoc negotium. Induere deos. Latere sub pompa. Seneca explicatur.* Πομπη. *Ferculæ funebria. Fericula. Fercula. Dio notatur & Casaubonus, & Argolus. Fercula pro muneribus & donis in funere. Feretra. Suetonius exponitur. Casaubonus denuo notatur, & Torrentius. Suetonij lectio vetus defensa. Lectum funebrem præibat imago defuncti per vivum hominem expressa. Ferre alicujus personam, induere. Persona imponitur. Plinius explicatur, Dalechampius rejicitur.*

VEnio ad genus aliud, quod gestari solet, non in dorso, ut liquebit postea, verum humeris ac dextris. *Fercula* vocarunt, à *ferendo*, quod ferantur. Nam ut ab *operio, operis*, est primo *opericulum*, & per syncopen *operculum*, sic plane & à *feroferis* est *fericulum* primo, & deinde *ferculum*. Erant vero talia primum fercula cænarum de quibus Suetonius in Augusto cap. 74. *Cænam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat.* Deinde fercula pomparum: quales primum pompæ triumphales, in quibus fercula. Suetonius iterum in Julio cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ ferculatrium verborum prætulit titulum; veni, vidi, vici.* Deinde pompæ ludorum sacrorum. Idem eodem libro, c. 76. *Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa.* Postremo & pompæ funebres, in quibus ipsis fercula quandoq;. Suetonius rursum in vita Cai. c. 16. ubi loquitur de matris ejus fratrisq; cineribus. *Per splendidissimum quemq; equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit.* Qualia fuerint omnia hæc fercula, nondum evidenter satis traditum à viris doctis opinamur. Ac de ferculis cænarum quidem valde sunt incerti. Fulgentius exponit missus carnium. *Ferculum*, ait, *missus carnium. Petronius Arbiter: Postquam ferculum allatum.* At alij accipiunt pro cibis ipsis. Stuckius in Antiquitatibus convivalibus: *Dapes sive cibi, qui appo-*

*nuntur, fercula Latine dicuntur. Ferculum, teste Nonio, est missus cibi, ita dictus, quod mensæ inferatur.* Unde habeat hoc Stuckius non satis scire possum, apud Nonium profecto ipsum nihil tale invenias. Quare suspicor, secutum Calepinum, qui similiter: *Ferculum, teste Nonio, missus cibi, ita dictus quod ad mensam inferatur.* Sed confundit Calepinus Nonium cum Fulgentio. Deinde missum cibi vocat, quod Fulgentio est missus carnium. Postremo missum cibi putat ipsum cibum. Ac ne videatur sine auctoritate hoc facere, subdit locum Juvenalis ex Sat. I. ubi Poëta:

— *Quis fercula septem*
*Secreto cænavit avus?* —

Nempe quia hic *cænari* fercula dicuntur, utique significare cibos arbitratus est. Atq; sic collegit ex hoc loco ille etiam, qui Forum Romanum concinnavit. *Ferculum*, ait, *dapes dicuntur.* Sed videlicet non observarunt, Poëtam figura receptissima posuisse fercula pro cibis, quæ in ferculis apponebantur. Quomodo & mensas usurpavit alicubi hac significatione, atque alij fecerunt. Nam & *tenuem mensam* Horitius, & *opimam mensam* Silius ita usurparunt. Quare fercula non magis erunt cibi dapesq;, quam mensæ, si quid proprie significarint, quæras. Fercula fuere tabulæ ligneæ latiores, quibus vasa plura ciborum una vice imposita inferri mensis solebant, ita à ferendo dictæ, quia eis ferebantur cibi, mensæ imponendi. Docet omnia egregie Petronius, quando ita loquitur. *Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro expectatione magnum, novitas tamen omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa in orbe disposita, superq; proprium convenientemq; materiæ structor imposuerat cibum.* Habes hic manifeste ferculum, nec nisi unicum, in eo tamen cibos duodecim, suis comprehensos patinis, pro signis duodecim, quibus ferculum fuit pictum. Ergo unum ferculum non unius tantum fuit cibi, vel unius patinæ, sed plurium. Atq; sic accipiendum est, quod habet Servius ad Æn. I, ex Catone; *& in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Item quod de Augusto memorat Svetonius c. 74. *Cænam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat; ut non nimio sumptu,*

*ptu, ita ſumma comitate*. Non tres patinæ hic ſunt intelligendæ, ſed tria fercula, ſingula patinarum plurium, per tres miſſus cænæ illata. Nam ſermo eſt non de cæna quotidiana, ſed convivio, in quo, quis credat Auguſtum tam opulentum eo præſertim tempore, quo luxria pars magnificentiæ habebatur, tria tantum genera ciborum voluiſſe apponi. Et igitur ea fercula Svetonius fuiſſe ait ſumptuoſa, *ſumptu* licet *non nimio*, ut ſunt ejus verba. Deinde habuit Petronianum illud ferculum cibos illos *impoſitos*, & quidem per ſtructorem, cujus fuit officium, cibos & patinas decenti ordine diſponere. Martiali hoc eſt *ferculum componere* lib. V. Sat. ubi ait:

*— Veniet, qui fercula docte*
*Componat, veniet, qui pulmentaria condit.*

Et *compoſitores ferculorum*, ordinatores, ciborum in eis collocatores. Servius ad Virgil. 1. *Struere, ordinare, componere, unde ſtructores dicuntur ferculorum compoſitores*. Atq; quoniam ſic ordine repoſitos habebat cibos ferculum, ideo & à Petronio *repoſitorium* eſt dictum. Nam repoſitorium nil aliud, quam ferculum, quod hic locus evidenter docet, in quo quod ante *ferculum*, ſtatim poſt *repoſitorium* vocatur. Bayfius accepit pro tripode, qua ſuſtineatur menſa. Verba ejus in opuſculo de vaſculis: *Repoſitoria, à reponendo dicta videntur, in quibus reponebantur menſæ, quæ fortaſſe inde trapezophora dicuntur*. Addit verba Plinij, quibus probet hanc ſententiam ex lib. XXXIII. *Iam vero & menſas repoſitoriis imponimus, & ad ſuſtinenda opſonia interradimus litera*. Sed eſt ſine dubio vitioſa ea lectio. Nam ſermo ibi eſt de vaſis argenteis, ad quæ nil profecto iſta verba. Quare nihil dubito emendanda eſſe ac legenda in hunc modum: *Iam vero & in menſas repoſitoriis imponimus*. Vaſa intellige argentea, de quibus ante loquebatur. Senſus optimus, & mutatio nulla, tantum revocatur *in* ex ſequenti voce, cujus prima littera totidem conſtans lineolis, abſorpſerat. Dicit, *imponi* vaſa illa argentea *in menſas*, & quidem cum *repoſitoriis*, in quibus ſcilicet diſponebantur plena cibis. Atq; ita conſveviſſe docet ipſe lib. XVIII. c. 35. quando ait: *Vaſa, quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitoriis re-*

*linquentia, diras tempestates prænunciat.* Vocat vasa cum esculentis, sudorem relinquentia repositoriis, quod non intelligitur, nisi steterint super illa repositoria. Quapropter repositoria, in quibus vasa cibaria reponebantur, ut cũ eis inferrentur mensæ, unde alia voce quoque fercula vocata. De ferculis hujusmodi agit & Lampridius, in vita Heliogabali, ubi ait: *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum.* Fercula non de patinis singulis accipienda sunt, sed pluribus, quia illud nihil foret memorabile, & igitur ea fercula dicuntur habuisse *epulas*, & quidem *ingentes*. Ubi quæri video, quæ illæ sint ingentes epulæ. Mihi sic videntur dici, quæ constarent non ex cibis minutis, sed integris, eisq; prægrandibus animalibus, ut bubus, apris, porcis, ac similibus. *Dapes ingentes* appellavit ante cap. 20. *Exhibuit & palatinis ingentes dapes, extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum, & fasianorum, & pavonum.* Corrigunt hic viri docti, & pro *palatinis*, *palatinas* substituunt, *dapes* vero delent, quoniam in Palatino Mſ. uno non comparet. Verum unus ille non obstare potest cæteris, cum præsertim ille ipse ex his cæteris, quamvis manu alia, ad scriptum *dapes* habeat. Nec admittit τὸ *refertas*, quod à *farctum* est. Farctæ namq; non dicuntur patinæ, sed epulæ ac dapes, quia erunt intus oppletæ ovis, extis, ac similibus, sicut aper Trimalcionis apud Petronium refertus fuit turdis, & porcus tomaculis ac botulis. Quanquam cum ingentes illæ fuerint epulæ, singula fercula iis singulis constitisse videantur, vel repositoria. Quomodo & in Fragmento Petronij legimus *repositorium, in quo positus erat primæ magnitudinis aper*; & aliquanto post, *repositorium cum sue ingenti.* Ubi simul habes illud *ingenti*, unde *dapes* atq; *epulæ ingentes.* Cæterum hæc repositoria seu fercula non unius erant formæ. Quod colligimus, quia id Trimalcionis tanquam contra consvetudinem vulgarem dicitur fuisse rotundum. *Novitas tamen*, ait, *omnium convertit oculos. Rotundum enim repositorium duodecim habebat signa.* Non nominatim Petronius vocasset rotundum, si hæc omnium fuisset figura. Et quadrata quoq; fuisse docet Fenestella,

ſtella, cujus poſtea adducemus verba. Deinde quædam fercula ſeu repoſitoria hujusmodi ſimplicia extitere, quædam duplicia, intusq; cava, ut uni eidemq; ferculo duplex numerus patinarum poſſet imponi. Tale namq; memoratur illud Trimalcionis apud Arbitrum. Verba Arbitri, poſt enarratos cibos in ſuperiori ferculo diſpoſitos per ſigna duodecim, de quibus ante, *Ad ſymphoniam quatuor tripudiantes procurrerunt, ſuperioremq; partem expoſitorij abſtulerunt. Quo facto videmus infra, ſcilicet in altero ferculo altilia, & ſumina, leporemq; in medio.* Ubi nota, rurſum dici *ferculum*, quod ante *repoſitorium*. Nam *alterum ferculum* nil aliud, quam pars inferior repoſitorij. *Thecam repoſitorij* nominavit in ſequentibus, quia erat operta ſuperiori ferculo, cibosq; habebat in ſe reconditos & clauſos, veluti in theca. *Rogo*, inquit Trimalcio, *me putatis illa cœna eſſe contentum, quam in theca repoſitorij videratis?* Habebant quoque ornamenta ſua hæc repoſitoria ſeu fercula, uti ex Petronio apparet. Iſtuc enim pertinent ſigna illa duodecim in repoſitorio. Trimalcionis expreſſa, ſive lignis diverſicoloribus, ſive lineis argenteis inter tabellarum commiſſuras inſertis. Sic enim conſveverant, quod nos docet Feneſtella, Plinio laudatus lib. XXXIII. c. 11. Verba Plinij: *Cornelius Nepos tradit, ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. Repoſitoriis argentum addi ſua memoria cœptum, Feneſtella dicit, qui obijt noviſſimo Tiberij Cæſaris principatu; ſed & teſtudinea tum in uſum veniſſe. Ante ſe autem paulo, lignea, rotunda, ſolida, nec multo majora, quam menſas fuiſſe. Se quidem puero quadrata & compacta, aut acere operta, aut citro cœpiſſe, mox additum argentum in angulos, lineasq; per commiſſuras.* Multa docet iſtis verbis de his ferculis. Primum materiæ intuitu omnia fuiſſe primum lignea. Quod formam attinet, eam primum extitiſſe rotundam, poſt factam & quadratam. Magnitudinem quoq; non multo exceſſiſſe magnitudinem menſarum, hoc eſt, ut ego accipio, non longiora multo, non latiora menſis fuiſſe. Quoad ornatum, eum quoq; initio fuiſſe exigium. Primum namq; operta acere vel citro, id eſt tabellis tenuibus ex iſto genere materiæ ac velut laminis exterius adglutinatis tecta fuiſſe, ſicut hodieque

capſa-

capsarij viliorem materiam pretiosiori operiunt. Post additas crustas ex testudine, qualis nobis quoq; sub vocabulo *Schildpædd* nota laudataq;. Tandem adjectum argentum ab initio in angulis, dixit enim postea quadrata facta, per laminas, ut existimo opertis, sicut annis superioribus librorum opercula, item cistarum anguli laminis æreis aut ferreis tegi consveverant, in commissuris vero tabellarum, quibus superne ornabantur, additas tenues ex argento velut lineas, quibus distinguerentur. Neque mihi dubium, quin istæ lineæ per commissuras ita fuerint ordinatæ, ut diversas exhiberent figuras stellarum, orbium, ac rerum aliarum, plane sicut in mensa Isiaca immissæ lineæ ejusmodi figuras deorum dearumq; exhibebant. Atque hæc jam fercula seu repositoria, non cibi, multo minus mensæ, quod Ursinus arbitrabatur. Verba ejus hæc sunt in Appendice Ciacconij. *Toties autem mensas, hoc est repositoria, quoties fercula & obsonia mutari.* Quasi fercula & obsonia sint idem, & fercula differant à repositorijs, & repositoria sint mensæ. Repositoria adeo non fuerunt mensæ, ut contra mensis imponerentur. Ideo à mensis supra Plinius distinxit, & majora dixit facta mensis, primo quidem non multum, at deinde plurimum, ut locus ille innuit. *Non multo majora*, dicit, *quam mensas fuisse*. Si non multo majora, quam mensæ, igitur non potuerunt mensæ ipsæ fuisse. Ac quoniam non alia repositoria, quam fercula, ideo & hæc à mensis distinguuntur. Plinius lib. XXVIII. c. 3. *Sternutamento revocari ferculum mensamve.* Sicut hic aliud mensa, & aliud ferculum, ita paulo ante aliud mensa, & aliud repositorium. *Bibente conviva mensam vel repositorium tolli* ait. Ferebantur autem hæc repositoria seu fercula modo à duobus, modo à pluribus, prout essent majora minorave. Ita facile res ipsa docet. Apud Petronium profecto sunt quatuor, qui superiorem tantum auferunt partem. *Ad symphoniam*, ait, *quatuor tripudiantes accurrerunt, superioremq; partem repositorij abstulerunt.* Si partem ejus abstulerunt quatuor, ergo duplo plures minimum intulerunt totum. Quoties autem ferculum ejusmodi inferebatur mensæ, toties missus unus dari dicebatur. Inde sæpe *missus* pro *ferculis*. Fulgentius supra: *Ferculum,*

*lum, missus carnium.* Atq; ita usurpavit Lampridius in Heliogabalo: *Habuit etiam istam consuetudinem, ut cœnas sibi exhiberet tales: una die non nisi de fasianis tantum ederet, omnesq; missus sola fasianorum carne strueret.* Non tamen ferculum est missus, si loquendum proprie, sed ferculi è culina in mensam dimissio atq; deportatio, quod parum observarunt. Venio ad fercula triumphalia. Hujus generis fuere primum, qualibus suspensas hostium à se devictorum vestes & exuvias gestabant, præsertim quas dux detraxisset duci, & opima spolia vocabant. Livius lib. I. c. 10. de ijs loquens. *Romulus cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator, haud minor, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit.* Habes nominatim ferculum, & in eo spolia ducis. Quale vero fuerit, Plutarchus docet vita Romuli, ubi ait: ὁ Ρωμύλος δρυὸς ἕτεμεν ὑπερμεγέθη, καὶ διεμόρφωσεν ὥσπερ τρόπαιον. *Romulus quercum miræ proceritatis recidit, & formavit ad instar tropæi.* Quia formam dicit habuisse tropæi, hinc liquet, fabrefactum ex stipite simplici, cui in capite appositum transverse lignum brevius, figura crucis. Ista namque fuit tropæorum forma apud veteres. Tertullianus in Apolog. c. 16. *In tropæis cruces intestina sunt tropæorum.* In tali ergo cruce lignea è quercu ferebat Romulus opima spolia. Livius ferculum vocavit, quoniam inferebat. Ferebat autem, ut opinor, erecta, sed paulisper tamen reclinata in dextrum humerũ. Hic enim ejus gestitantis habitus descriptus est Plutarcho, dicto loco. ὑπολαβὼν δὲ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὦμῳ προσερεισόμενον ὀρθὸν, ἐβάδιζεν. *Captum vero ferculum, dextroq; applicatum humero ac subrectum gerens incessit.* Discimus, gestasse ferculum non in dorso, sed in humero, nec tamen demissum jacensque, sicut hastæ gestantur, sed erectum. Nempe arma spoliaq; imposuerat, quæ obhærere aliter nequibant. Quia tamen propter pondus manu libera gestari molestum ac difficile constabat, ideo applicatum humero habebat. Atq; ad tunc modum spolia opima omnia deinde delata in Feretrij Jovis templum. Factitatum idem aliquando & in aliis spoliis. Ita namq; censeo accipienda verba Livij de Horatio, trigeminorum victore lib. I. c. 27. *Princeps Horatius ibat, tergemina spolia præ se gerens.*

*rens.* Sane quomodo præ se gesserit aliter, quam suspensa in ferculo, vix excogito. Neque sinit multum dubitare, quod sequitur de sorore ejus, cognovisse *super humeros fratris paludamentum sponsi.* Quomodo enim præ se ferens, & tamen super humeros, nisi quia ferculum, in quo suspensum fuit, humero habuit applicitum, & paludamentum ante arma cætera in humeros propendit. Præter ista fercula habuerunt & alia, quibus gestabantur signa atq; alia in pompa triumphali. De hujusmodi Suetonij sunt verba superius adducta ex vita Julij, cap. 37. *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, veni, vidi, vici.* Habe his aperte fercula pompæ triumphalis. Est autem pompa triumphalis illa spoliorum aliarumq; rerum ordine gestata multitudo. In hoc fercula cum titulis, hoc est, ut ego arbitror, cum tabulis, in quibus scripta rerum gestarum summa capita. Ideo Suetonius de uno illo titulo Julij Cæsaris, *non acta belli significasse, sicut cæteros.* Liquet enim, triumphum illum plures ejusce modi habuisse titulos, eosq; indicasse breviter acta belli ejus, & res gestas. Præter eos vero unum, quo contra consvetudinem non acta belli, sed celeritas confecti notabatur. Titulus ille non ipsum fuit ferculum, sed in ferculo præferebatur, eo plane modo, sicuti & res aliæ præferebantur, ut oppida, montes, castella, & id genus, interdum picta, interdum sculpta ligno, interdum queq; pretiosiori materia. Vellejus omnes illas res appellat *apparatum* triumphi. Verba ejus lib. II. c. 56. ubi agit de triumphis Cæsaris: *Quinq; egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africani ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.* Viri docti acceperunt de ferculis. Torrentius ad Julium Suetonij c. 37. ubi hæc adducit verba: *De triumphi ferculis, diversa factis materia loquitur,* ait. Et sic alij. Sed ferculum proprie loquendo non est apparatus, verum id, quo apparatus gestabatur. Ideo ferculum semper ex eodem fuit genere, ligno scilicet, non ita apparatus. Svetonius pro apparatu dixit instrumentum. *Triumphum,* ait de Cæsare, *egit diverso quemq; apparatu & instrumento.* Instrumentum triumphi, atq; apparatum velut rem eandem posuit, & illos titulos, imagines rerum diversarum,

& id

& id genus intellexit. Habuit enim Cæsaris triumphus præter titulos etiam imagines, quales dixi. Fabius lib. VI. c. 3. *Cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit.* Hic oppida eborea sunt in instrumento atq; apparatu Cæsaris, ut Svetonius vocavit. Fabius & ipse habuit in triumpho suo, verum lignea, quod fuit usitatius frequentiusq;. Hæc ergo oppida & tituli & imagines & alia id genus gestata in triumpho non nudis manibus, sed imposita ferculis, quo essent conspectiora. Neque ista inter se confundenda. Asconius in Verrina I. *Ferculis signa ante triumphantem vehi per pompam solebant.* Per signa simulacra oppidorum, arcium, & similium, præcipue vero illo in loco statuas & simulacra deorum, hosti erepta intelligit, quod ipse Ciceronis locus manifeste docet. Non autem dicit ferculaseu signa vecta, verum signa vecta ferculis, quia illis ferculis imponebantur. Neq; res inanimæ impositæ solummodo, sed ipsi vivi homines, clariores maximæ, ac nobiliores ex captivis. Jole apud Senecam in Hercule Oetæo v. 109. ubi loquitur de ijs, qui matura morte captivitatem evaserunt.

*Non captiva dabit brachia vinculis,*
*Nec pompæ veniet nobile ferculum.*

Respexit & Seneca Philosophus in de vita beata c. 25. *In alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam.* Videnturque hi ostentati cum catenis, & adpositis erectisq; ex ipsorum spolijs trophæis. Memorat hoc namq; in triumpho Tiberij aut Germanici Ovidius lib. III. ep. 4. ex Ponto, quem auguratur..

*Scuta, sed & galeæ gemmis radientur & auro,*
*Stentq; super vinctos trunca trophæa viros.*

Ita edidit vir eruditione juxta & humanitate singularis Nic. Heinsius, qui & in Notis exprimi per nummos istam consuetudinem bene observavit. Quærat aliquis, an & hæc fercula superioribus fuerint similia, illis inquam, quibus Romulus est usus. Equidem quod illa attinet, quibus portabantur tituli, non video, cur debea-

mus dubitare. Poterant fortassis & imagines aliquæ, aliaq; minutiora, præsertim ex ligno fabrefacta sic gestari. At de iis, quibus impositæ statuæ gravioris materiæ, ipsiq; vivi homines, quis possit credere. Videturque aliud docere Josephus, quando loquens de hoc genere non ferculis, sed pegmatis impositos fuisse ait. Verba ejus sunt de Triumpho Vespasiani. *Stupori erat pegmatum, quæportabantur, fabricatio tam magna, ut occurrentes timerent, ne qui subierant, gestare haud valerent, nam quædam in tabulatum tertium excreverant. Erat autem per singula pegmata captæ civitatis dux, ita ut captus fuerat ordinatus.* In Græco est, ὃν τρόπον ἑλήφθη, quod significare puto, positum fuisse ibi habitu captivi, injectis catenis, sicuti fiebat, quando capiebantur, hocq; respicere id ipsum, quod de captivorum habitu in ferculis superius notavi. Docet autem istis verbis Josephus, pegmata fuisse, quibus duces vivi fuerunt impositi, hoc est tabulata lata, structaq; in altum. Ea enim proprie sunt Græcis πήγματα, à πήγνυμι, quoniam ex lignis pluribus coagmentata, structaq; in altum. Fuisse quoq; non simplicia, sed habuisse plura tabulata, alia super alia. Deniq; cum essent magna ponderosaque, gestata quidem ab hominibus, sed bene multis, quod in altero genere minime fiebat. Igitur vocat πήγματα φερόμενα. Θαῦμα inquit ἐν τοῖς μάλιστα παρεῖχεν, ἡ τῶν φερομένων πηγμάτων κατασκευή. Quo planè constat, lata. Quomodo autem lata fuerint hæc pegmata, id non declarat. Verisimile, hoc factum humeris subjectis, suppositisq; asseribūs validis. Nisi quod extare tamen facerent supra humeros, & ipsa capita. Ita conjicio ex arcu triumphali ejusdem Vespasiani, sicut Lafreri manu sculptus apud me habetur. Equidem pictura est parum accuratè facta, quod doleo, exhibebo eam tamen, si fortassis lucis aliquod accedere inde argumento nostro possit.

Cerni-



Cernitur hic primum illud genus, quo geſtabant titulos. Plane namq; titulos interpretor illas duas tabulas, unam præcedentem arcam fœderis, alteram ſequentem, ſuſpenſas in ferculis, quæ intelliguntur hinc fuiſſe perticæ longiores, ſic geſtatæ, uti ſupra demonſtravi. Deinde cernitur & genus alterum, cui inſiſtit arca fœderis, cum lichnucho, ſublatum ſupra capita geſtantium, niſi malimus non tam eſſe arcam, quam ferculum ipſum, id cui impoſitus eſt lichnuchus. Habuit namq; arca ſuos à lateribus annulos, & per eos aſſeres trajectos, quales nulli hic comparent. Quicquid vero ſit de arca, illud plenum eſt, geſtaſſe genus hoc elatum ſuper capita. Non ergo accurate ſatis Onuphrius in triumpho ſuo iſta omnia vehiculis impoſuit, & velut in cumulum nullo ordine conjecit. Nam contra omnia exhibita ſolerter pulchreq; diſpoſita, velut i Joſephus docet. Cæterum an hæc pegmata quoq; nominarint fercula Latini dubium poteſt eſſe. Quanquam cum non pugnet ratio vocabuli,

præterea in re similima Seneca uterque ac Ovidius fercula nominarint, mihi dubitandum parum videatur. Erant quoque fercula ludorum sacrorum, sicut supra demonstravimus. Quæ illorum species extiterit, est dubium. Torrentius partem facit sacrorum vehiculorum sive curruum, qui dicebantur thensæ. Ita namq; habet vita Julij. *Est thensa, ut Grammatici volunt, vehiculum ipsum sacrum, ferculum vero vehiculi pulpitum, cui simulacra imponebantur.* Vellem ego nominasse aliquem Grammaticorum, qui ferculum dixerit esse pulpitum vehiculi, quod vocatur thensa; nam hactenus invenio neminem. Hoc quidem scio, pulpitum exponere, sed thensæ pulpitum vocare, id vero penitus ignoro. Quare suspicor hoc esse de ingenio Torrentio. Quia pulpitum vocari vidit, ipse de thensæ pulpito conjecit. Non profecto ita Acro, qui pulpitum exposuit. *Fercula*, inquit, *sunt pulpita, in quibus deorum simulacra reponebantur, quia in pompa Circensi hujusmodi simulacra deorum ferebantur.* Vocat pulpita, sed thensarum nullam facit mentionem, imo in ijs deorum simulacra dicit *lata*, quod non convenit, si ea pulpita in vehiculis reposita fuere. Quod enim est in vehiculo, non tam fertur, quam ducitur aut vehitur. Et qui dici fercula potuissent, nisi lata gestatave fuissent? Deniq; thensis separat disertim Svetonius in superius citato loco. Verba sunt clarissima. *Ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa.* Tanquam de duabus distinctissimisq; rebus loquitur. Atq; ad eundem modum Dio quoque, qui hinc capit lucem. Verba ejus sunt in lib. XLIII. Καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. Vertunt ita: *Statuam quoq; tunc eburneam Cæsaris, ac post thensam in Circensibus pompis cum deorum simulacris vehi jusserunt.* Satis apte, si rem ipsam cogitas, non si verba Dionis. Ἅρμα ὅλον quippe non est *thensa.* Thensa equidem hic intelligitur, sed ἅρμα ὅλον notat *integrum currum, integrum vehiculum.* Respiciebat nempe ferculum, in quo prius gestabatur illa Cæsaris statua eburnea. Id ait non fuisse ἅρμα

ὅλον,

ἅλων, sed vectabulum tantum aliquod, quo gestabatur. Postea demum accessisse & currum. Aliud ergo currus, aliud simulacrum per se circumgestatum, quod cum fieret per collocationem simulacri ejus super ferculum, ut Acro docet, manifestum sane, res fuisse distinctissimas, ferculum & currum. Erat autem minus quid honore atq; dignitate ferculum, quod liquet, quia primo loco decretum, ac post demum currus. Neq; aliter accipienda verba sunt Svetonij, licet ipse primo loco ponat thensam. Thensam enim præmittit tanqvam digniorem, non quod ante ferculum sit decreta. Imo decreto curru, ferculum sublatum, tanquam minus dignum, quod notandum, ne quis putet uno eodemq; tempore Cæsari & ferculum tributum, & thensam. Primum, ait Dio, decernebant ipsi tantum ferculum, quo gestaretur imago ejus eburnea. Postea crescente adulatione, illam ipsam imaginem imposuerunt thensæ, ut necessario ferculum fuerit sublatum. Ideo & lib. XLIV. ubi novissimos honores Cæsari decretos enumerat, solius currus, nullam ferculi facit mentionē. Ἐς τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον, ἐξίσου τοῖς τῶν θεῶν ἐσκομίζεσθαι. Καὶ ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. Ita habent editi, qvod vertunt: *In theatra etiam sellam ejus auream, coronamq; gemmis auroq; insignem (qui honor alias diis tribui solebat) inferri, atq; in circum etiam introduci à multitudine jusserunt.* Sed quis unqvam legit, sellam introduci à multitudine? & quid tandem est; *sella introducitur à multitudine?* quæ multitudo intelligitur? plebisne, an equestris, num promiscua omnis? Mihi non est dubium, quin Dio scripserit vel ὄχον, pro ὄχλον, vel quæ Lipsij est conjectura in libello de Vesta cap. II. ὄχον ὅλον, sicut supra ἅρμα ὅλον, quod prave connexum, deinde ὄχλον peperit. Ideo verba illa καὶ ταῖς ἱπποδρομίαις in Græcis à præcedendibus separantur distinctione majore, ut appareat novi quidpiam hic dici: & ipsa loquendi ratio hoc docet. Postremo sella nunquam Circumlata in pompa Circensi, solum ferculum & thensa. Svetonius manifeste: *Decerni sibi passus est sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum in Circensi pompa.* Solam thensam & ferculum nominat, non addit sedem auream. Quare locus ille rectius

rectius sic verteretur: *In theatra etiam sellam ejus auream coronamq; è gemmis auroq; sicuti consvevit diis, inferri: itemq; in Circum vehiculum induci decreverunt.* Liquet autem, sicut dixi, solius vehiculi hic fieri mentionem, nullam ferculi, quia tum cessaverat in Cæsaris imagine illius usus. Jam cum constet alia esse fercula, & alias thensas, nec ad has illa pertinere, aut ipsarum partem facere, quod Torrentius volebat, videndum erit, quali ergo specie fuerint. Acro pulpita appellat. Porro pulpita reperio duplicia apud veteres, alia in scholis, alia in theatris. In scholis erant cathedræ, de quibus stantes recitabant. Suetonius de Illustr. Grammaticis cap. 4. *Repeto quendam, Principem nomine, nonnullis diebus mane differere, post meridiem remoto pulpito declamare solitum.* Dicit differuisse de pulpito, id est de materia quacunq; informasse docuisseq; auditores, id enim differere, eaque est dissertatio, uti pridem in opusculo de stylo demonstravimus. At cum declamandum esset, pulpitum removisse. Unde constat, pulpitum fuisse locum recitantium & differentium, non declamantium, illudq; pulpitum apponi potuisse atque removeri, & sic non fixum, verum mobile fuisse. De tali agit Isidorus lib. XV. c. 4. *Pulpitum, quod in eo lector vel psalmista positus in publico conspici à populo possit, quo liberius audiatur.* Ostendit de hujusmodi pulpitis habuisse olim lectiones sacras, recitantesq; bene conspici potuisse, unde constat, fuisse eminentiora. Utrum vero tale quidpiam extiterit Circense ferculum, potest dubitari. Tertullianus profecto libro de Spectaculo c. 16. vocet *suggestus*, & similitudinem habuisse ait crucium. Verba ejus, ubi loquitur de imaginibus deorum, in circo circumferri solitis; *Omnes illi imaginum suggestus insignes, monita crucium sunt.* Quando vocat *monita crucium*, ostendit admonere nos crucis. Quomodo autem possint, nisi speciem illius aliquam habuerint? Et disertim ille eo loco hoc testatur. Jam si habuerunt crucis speciem, ad illa Grammaticorum pulpita quo pertineāt, non video. Theatrorum quoq; pulpita huc nihil facere videntur. Illa namq; tabulata sunt editiora, structa ante scenam, id est ædiculam theatralem, quæ à fronte velo claudi solet, ut inde velo illo sublato prodeant actores fabularum

rum in extructum istud tabulatum. Vetus Horatij Interpres à Cruquio editus ad Epistolam de Acta Poëtica *Per pulpita, per tabulas scenæ. Erant autem gradus, per quos ascendebatur in scenam.* Hæ tabulæ nil habent, quod nos possit admonere crucis. Et tamen Tertullianus suggestus imaginum hoc ait facere. Neque pulpita, quod sciam, alia occurrunt. Quid dicemus? Puto fercula Circensia quoq; non unius generis fuisse, alia quæ crucium referrent speciem, alia quæ pulpitorum. In crucibus puto lata simulacra leviora, in pulpitis graviora. Nam lata plane constat, & lata ab hominibus, & in humeris lata. Ita namq; docet Dionysius Halicarnasseus lib. VII. ubi pompam Circensem describit. Τελευταῖον δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες ἐπόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμεναι, μορφάς τε ὁμοίας παρέχουσαι ταῖς παρ' Ἕλλεσι πλατλομέναις. *Postremo circumlatæ in pompa imagines deorum, gestatæ humeris hominum, speciem habentes eam, quæ & apud Græcos formantur.* Non existimandum est, imagines eas ita latas nude in humeris, sed super fercula repositas, ita namq; svetum fuisse Acro docebat in superioribus. Si lata in humeris, & tamen crucium effigie fuerunt formata, necesse est, ut intelligamus, qualia tropæa, & triumphantium fercula fuere. Atque hinc fortassis est, quod Commodianus appellavit *ligna bifurci.* Plane namq; de hoc genere accipio, quod habet de Nemosiaco, id est bajulante simulacrum Nemesis:

*Succollat, quando libet, eam,* (Nemesin) *& quando deponit,*
*Vertitur à se rotans cum ligno bifurci,*
*Ac si putes illum afflatum numine ligni.*

At vero gestabantur graviora quoq; simulacra ex ebore, argento, auro. Quin imo vivi homines quandoq;, in speciem deorum adornati gestabantur. Julius Obsequens c. 130. *Puer in pompa victoriæ cultu cum ferretur, ferculo decidit.* Hic pompa non triumphi alicujus est intelligenda, sed Circensis. Nam eo quidem tempore, quo hoc factum, M. Lepido nimirum, & Munacio Planco consulibus, nullus fuit habitus triumphus, uti discimus ex Dione, qui annum eum describit lib. XLVII, memoraturus sine dubio, si quis habitus fuisset. Nempe *pompa* excellentiori notione Latinis illam

significat Circensem. In hac igitur Circensi pompa latus puer est in ferculo, cultus habitu victoriæ, quod fieri vix potuit, nisi genus alterum intelligamus, quod diximus. Fuitq; genus hoc vel nihil, vel perfecto parum dissimile illi, quod in pompa triumphali Josephum pegma nominare ostendimus. Nec abludit multum, quod exhibuit in Circensi pompa Onuphrius, sive habuit ex monumentis, sive, id quod verius existimo, ex ingenio confinxit. Sed quid est, quod ait Tullius Officiorum I. *Cavendum est autem, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur.* Possunt hic existimari tarditates in gressu ipsis etiam ferculis à Tullio tributæ, quod haud facile est intellectu. Ideo & Nizolius non fercula, sed ferculos, id est homines ferentes sive bajulos intelligendos putavit. Verba ejus: *Fortasse melius* (non, hoc ferculum, sed) *hic ferculis, ut bajulus diceretur. Nam non est dubium, quin hoc loco pro iis, qui vasa simulacraq; deorum, & id genus alia in pompa seu triumpho ferunt, accipiatur, non ut plerique omnes existimāt, pro epulis aut pulpitis, seu aliis quibusvis rebus: nam de incessu loquitur tardiore, qualis eorum solet esse hominum, quos id genus pompas ferre videmus.* Incessum tardiorem non putavit convenire ferculis instrumentis, sed ferculis hominibus id est gerulis sive bajulis, quos & ferculos existimavit dictos. Verum ferculos homines ad hunc diem non opinor observasse quenquam. Neq; opus, ut huc abeamus. Possunt enim fercula intelligi hoc loco ratione alia. Quod ut apte fiat, observandum, simulacra illa non fuisse omnia ejusdem generis, alia enim erant solida, & ex materia eadem confecta tota, ebore puta, ære, auro. Hæc portabantur vel in ferculis crucium speciem habentibus sublatis in altum, unde *suggestus imaginum* dixit Tertullianus supra, quoniam gerebantur in sublimi. Alia vero capite pectoreve tenus ex materia solidiori, cætera erant cava vestibusq; ornata, intra quas se abdere homo, motuq; suo simulacrum ipsum mobile ac animatum quasi reddere poterat. Ita simulacrum, ipsum incedere ac ambulare videbatur. Estque moris hujus vetustissimi servata hodieq; ratio nonnulla apud Aquisgranenses, apud quos quotannis simulacrum Caroli Magni à

latitante

latitante sub toga viro circumfertur in processione, uti vocant, solenni, sic ut ipsa viva incedere videatur. Initium illius rei sine dubio ab illa deorum circumgestatione, ac mox Cæsarearum imaginum prolatione simili, tempore ludorum Circensium desumptũ. Atq; sic solebant & in pompa Isidis, de qua Apulejus lib. XI. egregie. *Nec mora, cum dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt: hic horrendus ille superum commeator & inferum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis att, ollens canis cervices arduas Anubis, læva caduceum gerens, dextra palmam virentem quatiens. Cujus vestigium continuum sequebatur bos in rectum levata statum, bos omniparentis deæ fœcundum simulacrum, quod residens humeris suis proferebat unus è ministerio beato, gressu gestuoso.* Per omniparentem deam, Isidem intelligit, quæ sub bovis specie in pompa illa circumlata. Circumlata vero ab uno, quod notandum, & quidem residens in humeris, levata in rectum, velut ambularet, quod non intelligitur, nisi de eo, qui imaginem illam, humeris sustentatam intus regebat. Itaq; velut de bove viva, *sequebatur bos.* Idem & de Anubi intelligendum, nam & ipsum *attulisse cervices canis arduas* ait, *gessisse palmam, concussisse caduceum*, quod fiebat omne ab eo, qui intus latitabat. Unde deos illos ait *incessisse*, verum *pedibus humanis*, quia hominem bajulantem habitu suo contegebant. Neq; aliud est apud veteres, *portare Anubim*, quam hanc ejus effigiem indutam, ut nunc diximus, gestare in pompa Isidis. Lampridius vita Commodi cap. 9. *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret.* Spartianus vita Caracallæ, c. 9. *Mihi mirum videtur, quem ad modum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubim portaret.* Annotat hoc loco, rem fuisse singularem, quod Imperator ipse Anubim portaverit. Videlicet hoc fieri per ministros sacerdotum alias consveverat. Apulejus supra: *humeris suis proferebat unus è ministerio beato. Signiferos* vocarunt Imperatores Honorius & Theodosius l. 2. lib. XIV. t. 7. C. Theod. ex qua intelligimus, fuisse aliquando & in corpus certum ac collegium consociatos. Quin imo homines viliores, etiam pravi ac nocentes adhibiti, modo valentes essent, ac gestare de-

center valerent. Inde namq; Tertullianus: *Ipsos deos vestros sape noxij induunt.* Bene dicit, induunt. Nimirum *indui* vestimenta proprie dicuntur, quando applicantur corpori, hominesq; illa subeunt vel intrant, à δύω, quod est *subeo, ingredior.* Sicut ergo induuntur illa, ita pulchre vocabulo isto declarat & illa deorum simulacra induisse, neq; probos tantum, sed & improbos. Cum præsertim ipsa quoque vestimentis colerentur. Ita namq; colligi licebat ex victoriæ cultu, quam supra Obsequens nominavit. Similes victoriæ leguntur & in pompa sacra Ptolemæi apud Athenæum lib. V. c. 7. *Proximæ*, ait, *fuere victoriæ cum alis aureis, thymiateria ferentes, tunicis vestitæ animalium figura depictis.* Atq; ita res se habuit in cæteris ejusmodi simulacris, quorum vestimenta quoniam superinducta vel injecta simul habebant sibi, qui gestabant, ideo *induere deos* Tertulliano dicebantur. Qui similiter & alibi: *Qui vivus cremebatur, Herculem induerat.* Habebant autem sic injecta sibi, ut eis tecti conspici non possent, quod apud Senecam, *sub pompa latere.* Verba extant ep. 24. *Non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quid mihi gladios & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te frementem? tolle istam pompam, sub qua lates, & stultos territas. Mors es, quam nuper servus meus, quam ancilla contemsit.* Dicit, mortem, ut se faciat terribiliorem, conspiciendam se præbere non sua facie, sed sub persona carnificum, gladiorum, ignium, sicut solent in pompa sæpe viliores homines latere sub personis deorum dearumq;, quando ipsas circumferunt, ac se reddere venerabiles. Putare namq; spectatores simpliciores, hic Jovem, ibi Æsculapium incedere, verum si dematur pompa, si tollantur, si relegantur vestimenta, sub quibus latent, sæpè minutum aliquem homuncionem, sæpè noxium deprehendi. Atq; hæc jam illa fercula, quibus ne fiamus similes tarditate in gressu, Cicero cavendum ajebat. Nempe qui gestabant, ut magis repræsentarent majestatem dijs convenientem, incedebant tarde, sicut hodieq; in Carolum Effigie observare memini, cum versarer Aquisgrani. Hoc Cicero putabat parum viris convenire. Viri nempe uti gradu debent. Dij non gradiuntur,

non

non movent pedes, verum fluunt, cum appropinquant, quibus qui gestabant eorum simulacra, similes se volebant facere. Calasiris apud Heliodorum lib. III. Æthiop. *Dij & numina venientia ad nos, & à nobis recedentia in alia animalia rarissime, in homines autem ut plurimum sese transformãt, ut visum in somnij esse opinemur, nobis imponentes. Quamvis igitur profanos homines latuerint, tamen quin à sapiente cognoscantur, effugere non possunt, sed ex oculis notari possunt, cum continuo obtutu intueantur, & palpebras nunquam occludant,* καὶ τὸ βαδίσμαλι πλέον, ὁ κατὰ διάςησιν τοῖν ποδοῖν, ὃ δὲ μᾶλλον θεσιν ἀνυομένω, ἀλλὰ καθά τινα ῥύμλω ἀέρεον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιςον τερμόνλων μᾶλλον τὸ ἐπεῖχον ἢ διαπαρευομένων. *Et magis etiam ex incessu, qui non ex divaricatione pedum, neq; transpositione existit, sed ex quodam fluxu aëreo, & vi expedita findentium magis auras, quam transeuntium.* Hæc Calasiris doctrina, de incessu deorum, quam ut probet auctoritate aliorum, addit, Ægyptios ob hanc caussam formasse deos junctis pedibus, non divisis instar gradientium. Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αιγύπτιοι τῶ πόδε ζευγνώτες ὡς ὥσπερ ἑνῶντες ἱςᾶσιν. *Quamobrem statuos quoq; deorum Ægyptij ponunt, conjungentes illis pedes, & quasi unientes.* Atq; sic videmus in tabula, sive mensa Isiaca Pignorio illustrata, quem hoc inobservatum transmisisse miror. Item in ipsis Isidis icunculis, quæ insuuntur cadaveribus, atq; passim habentur apud talium studiosos. Postremo ne Homerum quidem ignorasse ait, verum docuisse illis versibus:

Ἴχνια γὰρ μελόωι θεν ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ ἔγνων ἀπίοντ᾽. Ἀείγνωτοί τε θεοίπερ.

Quod ita vertit Bourdelotius.

*Namq; pedum crurumq; simul vestigia pone,*
*Perfacile agnovi remeante, auresq; secante.*
*Dij quoq; cognosci possunt, certoq; notari.*

Quia ergo dij non credebãtur ambulare commotis & diductis pedibus, unoq; ante alterum per vices positis, ut solent homines, sed junctis immotisq; potius fluere, idcirco, & qui simulacra eorum gestabant in pompa, hoc imitabantur, quod in hominibus virisq; Cicero inconveniens putavit. Et hæc expositio verborum ejus, nemini, quod sciam, evidenter satis tradita. Nec repugnat, quod

in verbis præcedentibus *greſſum geſtuoſum* Apulejus in bove Iſidis notaverat, id enim privatim pertinebat ad bovem, cujus ſpeciem præ ſe ferre debebat is, qui ſub pompa latebat. Sub *pompa* dico, exemplo Senecæ, atq; ipſam imaginem bovis intelligo. Ita namq; ſolebant, Græcos imitati, ut opinor, quibus ſimiliter πομπὴ res quælibet, quæ in pompa transvehitur. Caſaubonus ad lib. V. Athenæi, c. 7. Πομπὴ *ſignificat res ſingulas in pompa transvectas, ſive, ut Latini loquuntur, ſingula pompæ fercula. Sic intellige de ſecunda pompa:* ἔπειτ' ἡ τοῖς βασιλέων γονεῦσι καλωνομασμένη. *Sequebatur Luciferi ſimulacrum, ferculum divis parentibus regis & reginæ ſacrum. Deinde auctor multas* πομπὰς *in unum cogit, & ait,* μετὰ δὲ ταύτας αἱ τῶν θεῶν ἁπάντων, οἰκείαν ἔχουσαι τῆς περὶ ἑκάστων αὐτῶν ἱστορίας διασκευήν. *Quæ ita erant vertenda: Poſt has ſequebantur deorum omnium pompæ (hoc eſt imagines) ornatu eo, qui hiſtoriæ cujusq; illorum conveniebat.* Per ornatum hiſtoriæ illorum convenientem intelligit Athenæus talem, qualem ſupra in Iſide ac Anubi notavimus. Ad eundem enim modum Jupiter cum corona & ſceptro, Saturnus cum falce, Neptunus cum tridente, cæteri cum alijs id genus inſignibus incedebant, amicti de cætero veſtimentis ſplendidiſſimis. Quomodo in Antiochi pompa factum, de qua idem Athenæus capite præcedenti. Πάντων τῶν παρ' ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, προσέτι δὲ ἡρώων εἴδωλα διήγετο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσαις. *Omnium, quotquot apud homines vel creduntur, vel dicuntur eſſe dij aut dæmones, atq; adeo heroum ſimulacra geſtabantur, alia inaurata, alia ſtolis aureis induta.* Qui ergo dicitur apud Senecam latere *ſub pompa*, is dicitur latere ſub ſacra imagine, proprie vero ſub veſtimentis illis imaginis, ſub quibus tectus, gerebat movebatq; imaginem ferculo innixam, quod incumbebat ejus humeris. Videturq; conſuetudo hæc fuiſſe nota etiam antiquiſſimis temporibus, memorataq; ac reprehenſa in Judæis ipſis à Propheta Iſaia c. 46. ubi ait: *Confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis conducentes artificem, ut faciat deum. Et procidunt, & adorant, portant illum in humeris geſtantes.* Procopius profecto ad hunc locum: Φασὶν ὡς ἐν ταῖς τῶν δαιμονίων πομπαῖς ἐκκομίζοντες ἱερεῖς τὰ ἀγάλματα φερόντες ἐπ' ὤμων τὰς πλα-

τείας

τέλας ἀχθοφορᾶντες διήρχοντο. *Facere hoc dicit, sicut in pompis dæmonum sacerdotes deferunt imagines gestantes in humeris, & per plateas bajulantes incedunt.* Venio nunc ad fercula funebria. Habebant enim aliquando fercula & in funeribus. Ac primum quidem ijs deportati peregre defunctorum cineres, si fuissent in auctoritate summa constituti. Sic enim de cineribus matris fratrisq; Cai imperatoris Svetonius c. 16. *Per splendidissimum quemq; equestris ordinis medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit.* Ita habent libri. Quanquam alij exhibeant *fericulis*, quod non existimo contemnendum. Sic enim requirit ratio analogiæ, uti ab initio est dictum, neq; insolens Svetonio, hujusmodi attendere. At *forulis*, quod in nonnullis legitur, huc facit nihil, ac ne scriptum quidem ita puto, verum *forculis*. Nempe utroq; modo & *ferculis* dicebant, & *forculis*, quomodo *adversus* & *advorsus*, *advorto*, & *adverto*, atq; alia id genus. Sed quæ hæc fericula, seu fercula funebria? Casaubonus ait, fuisse instrumenta, in quibus cineres erant. *Fercula*, inquit, *appellat pompatius, ut dicam cum Tertulliano, instrumentum, in quo cineres erant, cum inferrentur in Mausoleum, ob similitudinem aliquam ferculorum triumphalium.* At vero ferculum dici, cui quid insit, hactenus non puto lectum esse. Ac repugnat ratio vocabuli, quod non signat rem, quæ aliam contineat vel concludat, verum in qua alia gestetur. Cineres non ferculis includebantur, hoc enim reperimus nusquam, verum urnis. Scholiastes Lycophronis: *Mos erat, peregre mortuos cremare, cineremq; ipsorum urnis inclusos in patriam perferre.* Adde reliquos, qui de funeribus scripsere. Neq; dubitandum de cineribus matris fratrisq; Cai. Svetonius expresse, paulo ante allata superius: *Ad transferendos matris fratrisq; cineres festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret, aditq; venerabundus, ac per semel in urnas condidit.* Non condidit in fercula, sed in urnas, sicut moris fuit. Quando igitur sequitur, duobus intulisse ferculis, non dicitur duabus urnis, sed hoc indicatur, urnas istas collocatas super fercula fuisse, atq; illatas Mausoleo, id quod singulare fuit. Agrippina certe ipsa mariti sui cineres gestat in ulnis. Tacitus III. An. 1. *Postquam duobus cum liberis feralem urnam*

*urnam tenens egressa navi.* Alij in humeris. Idem statim post, de iisdem cineribus & urna. *Igitur tribunorum centurionumq; humeris cineres portabantur.* Nulla ferculi hic mentio, quod fit in deportatione cinerum superius dictorum. Ergo hoc peculiare fuit, voluitq; sine dubio divinis pæne honoribus afficere matrem fratremq; per imitationem ferculorum, quibus in Circensi pompa dici circumferebantur. Dio lib. LIX. fecisse putat more triumphantis, quia fuit indutus prætextam, cum funus duceret. Τὸ ἱμάτων τὸ πεπόρφυρον ἐνδὺς, καὶ ῥοδδούχοις τισὶν, ὥσπερ ἐν ἐπινικίοις κοσμηθείς. *Prætextam amictus, ac lictoribus ornatus, tanquam in triumpho quodam.* Verum quomodo hæc ad triumphum possint referri, non video, quoniam omnia pietate singulari fieri, Cajus credi voluit. Magis est, ut credamus imitatum eos, qui deducere pompam Circensem solebant. Nam & illi splendidissime vestiti fercula & thensas comitabantur, sicut in sequentibus dicemus. Unde Casaubonus quoq; rectius fecisse credi potest, si in verbis præcedentibus pro *ob similitudinem aliquam ferculorum triumphalium, ferculorum Circensium* scripsisset. Qui ne illud quidem mihi probat, quod hęc Cai fercula existimat fuisse pæne eadem cum tropæo in funere Julij. Verba ejus ita habent, paulo post superius allata. *Svetonius vocem tropæum non multo aliter usurpat extremo libro primo in funere Iulij.* At ego nihil video, in quo conveniant tropæum illud & hæc fercula. De tropæo sic Svetonius: *Intra lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput tropæum, cum veste, in qua fuerat occisus.* Hic tropæum notat perticam, cum transverso baculo in summo, defixam ad lecti caput, quali in pertica etiam spolia hostilia suspendi solebant. At fercula Cai non fuerunt perticæ, sed palpita extructa. Deinde Julij tropæum suspensam habuit vestem, in qua fuit occisus. At fercula Cai urnas non suspensas, veram impositas. Equidem tropæa illa, quoque fercula vocata, sicut supra demonstravi, tamen alia illorum species, alia horum, de quibus hic est sermo. Nisi putamus illud voluisse Casaubonum, Svetonium in funere Julij illud instrumentum Pompatius appellasse *tropæum*, sicut hic Pompatius usurpavit *ferculum*. Quicquid de hoc sit, Cai fercula

non

non alia fuisse mihi videntur, quam qualia in Circensi pompa fuere usitata, & à Grammaticis plutei explicantur. Itaq; gestata non ab uno, verum pluribus, quod innuit Svetonius, quando ait, intulisse cineres per *splendidissimum quemq;* ordinis equestris, quod accipi, nisi de pluribus, non uno tantum aut duobus, nequit. Præter hæc fercula habuerunt & alia in funeribus, quorum mentionem facit Statius lib. VI. Theb.

*Portant inferias, arsuraq; fercula primi*
*Grajorum, titulisq; pios testantur honores*
*Gentis quisq; suæ* —

Argolus in Notis ad Onuphrium hic sermonem esse putat de Pheretris, sed sine dubio est falsus. Nam intelliguntur *munera* præferri solita, ut Svetonius appellat in vita Julij cap. 84. Hæc enim simul cum mortuo cremabantur injecta igni, non pheretra (sic enim legendum apud Argulum, pro *pharetra*, quod vitio typographi nunc habetur) Ideo quoq; Statius *arsura fercula* dixit in superioribus, quod ad pheretra non pertinet. Fuerunt autem ea munera non modo lances plenæ thure, de quibus Meursius in Funere c. 22. locum hunc accepit apud Statium, sed & rerum aliarum, vestium, armorum, ornamentorum; nec sequebantur lectum funebrem, sed præibant. Svetonius dicto Julij loco: *Præferentibus munera sufficturus dies non videbatur.* Dicit aperte, *prælata* illa munera, cui autem, nisi lecto funebri mortuoq;, nam de alio intelligi non potest. Mox & munera enarrat. *Turba*, inquit, *quicquid ad donum aderat, congessit: Deinde tibicines & scenici artifices vestem, quam ex instrumento triumphorum ad præsentem usum induerant, detractam sibi atq; discissam injecere flammæ, & veteranorum militum legionarij arma sua, quibus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræq; ornamenta sua, quæ gerebant, & liberorum bullas atque prætextas.* Hæc munera in funere Julij confuse quidem ingesta, in alijs vero lata ordine, ac ut discimus ex Statio, imposita ferculis peculiaribus, quo conspectiora, splendidioraq; omnia evaderent. Id enim Statius voluit verbis allatis, indeq; partem non exiguam constitit nomenq; habuit suum, quod *pompa funebris* appellabatur. Silius voca-

vit *feretra*, quæ Statius *fercula*. Ita namq; ait lib. X. ubi agitur de funere Pauli.

*Non conjunx native aderant, non juncta propinquo*
*Sanguine turba virûm: aut cessis de more feretris*
*Præcedens prisca exsequias decorabat imago.*

Quanquam Silius non agat de muneribus cremari solitis, sed imaginibus familiaribus ex cerâ factis, quæ & ipse ante lectum funebrem in ferculis gestabantur, vel ut ait Silius, in feretris. Quin imo videntur aliquando non defunctorum modo, sed & viventium gestasse imagines, præsertim virorum principalium ac magnorum, ut splendidius esset funus: easq; imagines habuisse non in perticis longioribus solidas, sed super vivos homines, intus latitantes, ut in pompa Circensi solebat. Sic enim accipienda puto verba Svetonij, quæ habentur in Vespasiani vita cap. 19. *Et tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit.* Vespasianus. *In funere Favo archimimus personam ejus ferens, imitansq;, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus & pompa constaret, ut audivit HS centies, exclamavit, centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Casaubonus ait, morem hunc servatum in funeribus divitum virorum ac insignium, videlicet ut præirent scurræ ac mimi, adducitq; super ea re Dionysij Halicarnassensis testimonium, qui sic habet lib. VII. *Quia etiam in illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & Satyricos choros, qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant. Præcipue vero infortunatorum virorum funeribus.* Sed Dionysius hic agit de ijs qui saltabant, habituq; Satyrorum cum pellibus caprinis & similibus erant ornati. Svetonius de mimo, qui ferebat personam Vespasiani, quod ad Satyros nil pertinet. Nec enim ferebat ita, ut repræsentaret Satyros, sed ut imitaretur *facta ac dicta vivi.* Quanquam hic Torrentius ex quodam libro veteri legendum putat *viri*, non vero *vivi*. Nam ait, *imperitus quispiam, quia funeris fit mentio, vivi, substituit.* Verum ego censeo locum longe aliter accipiendum, quam fecisse Torrentius videtur. Existimavit, ut opinor, Torrentius, sermonem esse de funere aliquo, quod cujus fuerit, indicare

Sveto-

Svetonius omiserit. At mihi sermo esse de ipsius Vespasiani funere videtur. Itaq; retineo *vivi*, ut sit sensus, expressisse Favum illum, & imitatum esse facta & dicta non *viri*, quod hic nimis frigidum, nec facile sic absolute de incerto ignotoq; ponitur, sed *vivi* Vespasiani. Sic enim conveniens erat, quia personam ejus ferebat. Scilicet receptum erat, ut lectum funebrem præirent non imagines familiæ solummodo, sed imago ejus quoq;, qui efferebatur. Dio de funere Augusti lib. LVI. *Imago autem ejus cerea, habitu triumphali conspiciebatur. Hanc à palatio ducebant consules designati. Altera aurea ex curia, tertia in curru triumphali ducebatur.* Sicut ergo hic in funere Augusti anteibat Augusti imago, ita plane & in funere Vespasiani. Sed gerebat Vespasiani imaginem Favus, qui simul omnia facta dictaq; vivi exprimebat. Debebat nempe similem se exhibere vivo, sicut hodieq; videmus fieri in funeribus magnatum & nobilium. Anteferunt loco imaginum vexilla cum insignibus avorum atq; proavorum. Sequitur cataphractarius, equo insidens, pulcherrimè ornatus, qui vivam mortui referre debet effigiem. Consvetudo ista tota ex Græcis Romanisq; funeribus translata est ad nostra. Nam & in illis ita defuncti præcedebat imago, interdum nuda simplexque, interdum animata expressaq; dictis factisq; per eum, qui latens in ferculo gestabat. Quomodo in funere Vespasiani factum, unde quoque Favum tulisse personam Vespasiani. Svetonius ajebat. Nam *ferre personam* alicujus mea sententia hic significat gestare effigiem in ferculo, atq; gestu corporis ac oratione exprimere eum, qui ejusmodi effigie significatur. Neq; dubito, quin hæc locutio sit propria translata deinde ad personas quaslibet, & personarum functiones. Quomodo & *imponere personam* usurpatur, item *induere personam*. Nam *induere personam* dicitur, sicut supra *induere deos* à Tertulliano demonstravimus usurpari. *Imponere* vero, sicut imponere imaginem humeris, de quo pariter est actum. Quando igitur Svetonius de Favo ait, tulisse personam in funere, de persona Vespasiani debet intelligi præcedente lectum funebrem, quam ferebat Favus, sicut quandoq; ferri personæ ac imagines deorum solebant in ludis Circen-

sibus, ac velut vivam exhibebat gestu ac oratione. Pertinebatque huc, quod sequitur apud ipsum, quæsiviſſe, quanti constaret funeris pompa, item petijſſe, dari sibi centum sestertia, & vel in Tiberim se abjicerent. Hoc enim conveniens erat funebri negotio, & sepulturæ jam jam peragendæ, & cupiditatem priſtinam Vespasiani infamia quadam perstringebat, de qua ab initio Svetonius testabatur. Ut proinde liqueat, non *viri*, quod putabat Torrentius, apud eum legi oportere, verum *vivi*, ut sit sensus, fuisse hanc consvetudinem Romanorum, ut ante funera magnatum irent, qui gestarent simulacra defunctorum, non muta & immobilia, sed à ferentibus animata per gestus, facta, dicta, quæ conformia essent factis dictisq; eorum, cum adhuc essent vivi. Dico, hanc fuisse consvetudinem, quoniam expresse Svetonius hoc factum testatur, *ut est mos*, quod à nemine hucusq; puto esse obsservatum. Ad postremum sunt & fercula funerum Plinio memorata lib. X. c. 10. ubi de milvis; *Notatum in his, rapaciſſimam & famelicam semper alitem nihil esculenti rapere unquam ex funerum ferculis*. Sed hæc fercula, qualia jam ab initio nobis exposita, plena cibis, quæ in tumulis defunctorum dijs manibus apponebantur. B. Augustinus serm. XV. *Miror, cur apud quosdam infideles hodie tam pernitioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Delechampius de cœna funerali accepit. *In funeribus*, ait, *cœna lauta apparabatur, quam ad rogum delatam cum defuncto cremarent*. At hoc alienum est huic loco. Nam si cremarunt, quid fuit mirum, si ex ea milvi nihil rapuerunt? Itaq; non de ista cœna sermo est, sed cibis postea repetitis vicibus tumulo imponi solitis, ut dixi. Quo respexit & Tertullianus in de Resurrectione Carnis, ubi ait: *At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, cum ipſos defunctos atrociſſime comburit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit*. Malè referunt ad cœnam funeralem, quod apparet, quia manifeste ait primum combustos, & post demum nutritos. Et servatur hodieq; consvetudo illa apud Moschos, neque Suecis veteribus, alijsq; populis Septentrionis ignorata fuit.

Cap.

## Cap. IV.

# De Sellis cathedrisque.

*Sella gestatoria, portatoria. Fertoriũ. Sella procurata. Aurelianus exponitur. Barthius & Chimentelius notantur. Fertulum. Savaro rejicitur. Sessio bajulatoria* Διφρος. *Alius est à lectica, & quæ illa differentia. Sella alta. Lubinus alijq; notati & juvenalis explicatus. Sella differebant à cathedris. Cathedræ mulierum. Sedere inter cathedras. Cathedræ longæ. Scamna. A Vossio dissensum. Varro explicatur. Gradus & scalæ differunt. Subsellia. In his sedent. Sella feminarum mollior. An clausa.* Διφρος καλαστηρ *à quo inventus. Est virorum.* Καλαστηριον *quid. Quomodo clausa muliebris sella. Suetonij locus examinatur. Adoperta sella. Sella triplex. Plinius exponitur. Sella laxior, angustior. Sella num acceperit duos. Sella & sedes differunt. Locus Taciti exponitur. Lipsius revellitur. Gestantur etiam qui sunt in curru. Sellula. Sella pellicea, ossea, eborata, argentata. Lampridius corrigitur. Pellis. Chimentelius notatur. Sella bracteata. Cervical in sella. Lecticarij, sellarij, cathedrarij. Bini sellam portant. Lubinus & Gonsalius notantur. Aliquando plures. Hexaphoron. Late vehi, quid. Lecticarii donati uxoribus. Conductitij lecticarij. Sella aditer infirmioribus, mulieribus, delicatis. Sella ad custodiam pudoris. Impudentiores conspiciendas sese dabant, quod pravis temporibus habitum civile. Sellam meretrices aperiebant prosedæ, sellariæ. Sellæ virorum. Sellæ patronorum. Lubinus & Chimentelius rejecti. In sellis legebant, dormiebant. Sellæ in viis publicis commoditatis & occultationis caussa. Noxii sellis deportati. Arcus sellæ. Chimentelius & Pignorius rejecti. Sellæ debilium. Marcellinus exponitur. Sellæ ad exercendum corpus.*

TErtium vehiculorum genus, quod gestari solet, *sella* est, ad differentiam aliarum *gestatoria* vocata. Plures enim sellæ apud veteres fuerunt. Aliæ stabiles ac fixæ, aliæ mobiles quidem, sed tamen domesticæ: Quædam proferebantur etiam in publicum, ut peculiari opere vir egregius, Val. Chimentellius docuit, quo marmor Pisanum *de honore bisellij*, pulcherrimè illustravit. Et il-

lustraturus erat pluribus, nisi præmatura mors dignum longiori vita intercepisset. Dum enim ista scribimus, nuntium de erepto eo bonis artibus ac litteris accipimus ingratum. Inter eas ergo sellas, quæ proferri solebant etiam in publicum, gestatoria est. Svetonius in Nerone. c. 26. *Interdiu quoq; clam gestatoria sella delatus in theatrum.* Cælio Aureliano *sella* est *portatoria* lib. I. c. 1. istis verbis: *Ante cibum præterea erit adhibenda gestatio, portatoria scilicet sella, sine vehementi motu.* Eidem etiam *fertoria.* Sic enim habet lib. I. c. 5. *Levem & delectabilem adhibeat gestationem, ut fertoria sella, vel cathedra.* Dixit & *fertorium* in neutro. Verba ejus lib. I. c. 1. *Adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis, fertorio, vel sella procurata.* Quærunt eruditi, quæ hoc loco nominetur *sella procurata?* Barthio Adversar. lib. XLI. c. 25. est, ad id commode instructa, & necessarijs omnibus curata. Chimentellio, prompta, provisa, curata. Mihi contra videtur sella nulla unquam *procurata* dicta. Nam apud Aurelianum illud *procurata* non ad sellam puto referendum, verum longius præcedentem *vectationem.* Dicitur *vectatio procurata fertorio vel sella,* quæ hoc genere vectabuli instituitur. Quomodo *somnia procurata mola salsa* Tibullus lib. I. eleg. 5. sensu licet alio, usurpavit. Nam *procurare* hic compositum, pro simplici *curare.* Jam vero usitatum *curare corpus cibo, curare corpus somno.* Possumus igitur pari ratione dicere, *procurare vectationem fertorio,* quod hic viri docti cogitasse non videntur. Porrò Savaronem video ad lib. I. ep. 12. Sidonij notare, Asconium pro *fertorio* usurpasse *fertulum:* Verba ejus: *Ditiores portabantur in lectica, quæ sella portatoria Cælio Aureliano, & fertulum Asconio III. in Verrem.* Verum eo loco nil de sella invenias apud Asconium. Nec de *fertulis* ibi agitur, sed *ferculis,* qualia in triumphis usurpari solebant, quod jam in superioribus monstratum est. *Ferculis,* inquit, *signa ante triumphantem vehi per pompam solebant.* Pro *ferculis* in suo codice Savaro legit *fertulis,* & accepit de sellis vel lecticis. Sed nec ibi *fertulis* legitur, nec si legeretur, ulla ratione capi de lecticis sellisve deberet, quippe quorum usus nullus unquam ad gestanda in triumpho signa fuit. Ergo melius fortasse, quod Savaro idem tradit

ex

ex Aureliani lib. I. c. 15. dici quoq; *sessionem bajulatoriam*, nam Aurelianus ipse quidem nunc ad manus nobis non est: & potest *sessio* non de sella tantum accipi, sed & cathedra & scamno, cum & in his gestari solerent. De cathedra notum ex superioribus. De scamno legimus apud Celsum lib. II. c. 14. *Gestationum vehementior est in alto mari navi, vel lectica, aut scamno.* Græci sellam, qualem hic exponimus vocarunt διφρον, uti liquet ex Dionis Cassij lib. LX. verba postea proferemus. Erat autem nen eadem cum lectice, quod Savaro censuit, sed plurimum diversa. Distinxeruntq; veteres clarissime. Svetonius in Domitiano c. 11. qui solus sufficit: *Habitabat cum patre una, sellamq; ejus ac fratris, quotiens prodirent, loctica sequebatur.* Diversitas hæc in eo primum, quod in sella sederent, sicut verbum ipsum docet, contra cubarent in lectica, quod jam Lipsius notavit. Deinde, quod sella esset altior, lectica longior; sic enim necesse erat, postulabatq; in altera quidem habitus sedentis, in altera vero habitus cubantis jacentisve. Respexisse huc existimo Juvenalem Sat. III. v. 135. cum sic canit:

*Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,*
*Et dubitas alta Chionem deducere sella.*

Sellam albam explicant Lubinus, atq; alij, qua meretrix, cui nomen Chione, alte vehebatur per urbem ac superbe. Chimentellius primo sellam intelligit non gestatoriam, sed *ubi maneret amasios*: quam putat dictam *altam*, ut *lupam demonstaret non tam curti assis, aut vulgaris indicaturæ*, sed difficilem, magnoq; pretio comparandam. Sed qui explicari possit *alta*, propter magnum pretium, qvum Chione, charis illis atq; difficilibus opponatur? Præcedit nempe apud Juvenalem

*— Alter enim, quantum in legione Tribuni*
*Accipiunt, donat Caluinæ, vel Catienæ,*
*Vt semel atq; iterum super illam palpitet —*

His adulteris magno precio comparandis opponit Chionem, scortum precij minoris, ut vulgatum, & in sella per plateas ostentare, mercesq; venalitias proponere solitum. Ut proinde sella ejus alto modo eo, quo volebat Chimentellius, accipi haud queat.

Deniq;

Deniq; ipsa ratio loquendi valde dura est, si *sellam altam* usurpatam pro meretricula ingentis pretij diceremus. Sed nec *alta sella* propriè *superba* est, quod Lubinus putabat, verum revera exstructa & ædificata in altum. Scilicet, ut dixi, quoniam in ea sedebant, idcirco extrui altius necesse erat. Videturq; in sellis æstimatum, si essent altæ, tantoq; habitam splendidiorem quamlibet, quanto altior existeret: tantoq; vulgatiorem, quanto esset humilior, aut depressior. Quo respectu quoq; potest fieri, ut *altam sellam* cum epitheto Juvenalis dixerit, intellexeritq; non vulgarem, sed splendidiorem, qua se circumferri Chione juvenum alliciendorum gratia voluerit. Non autem à lecticis solum, sed & cathedris diversæ sellæ fuisse videntur. Cælius Aurelianus sanè suprà indicato loco: *Levem & delectabilem adhibeat gestationem, ut fertoria sella, vel cathedra.* Tanquam res distinctas ponit. Similiter lib. II. cap. 1. *Gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, sive cathedra.* Quæ harum inter se diversitas extiterit, haud liquet. Chimentelius fertoriam communem & vulgarem, cathedram honestiorem atq; instructiorem fuisse existimat. Sed hæc nuda est suspicio, nec in verbis quidquam allatis, quibus queat confirmari. Potius conjecerim cum Lipsio, sellas communes fuisse sexui utrique, cathedras pertinuisse tantum ad mulieres. Nam quod legitur apud Juvenalem Sat. I. v. 64.

— *Cum jam sexta cervice feratur*
*Hinc atq; inde patens, ac nuda pæne cathedra*
*Signator* —

Id cum Scholiaste veteri de lectica mallem explicare, qui sic ait: *Sexta cervice; lectica, faciente luxuria, à sex hominibus portabatur.* Quod si tamen, quoniam repugnat nomen cathedræ, quod à κάθημαι, *sedeo*, cathedram sic proprie vocatam quis hic putet intelligendam, ne sic quidem alia, quam muliebris erit. Nempe sermo est de falsario, qui ut luxum ac mollitiem posset alere, per subsignationem adulterini testamenti hæreditatem alienam involavit. Itaq; non fuit inconveniens, quod ei cathedram attribuit Poeta. Indicavitq; eo, quia *multum* ait *retulisse de Mecænate supino.* Cum præsertim

sertim viri molliores uti sellis muliebribus haud abnuerint. Svetonius in Othone c. 6. *Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Quæ hic *sella muliebris*, ea opinione mea apud Juvenalem *cathedra*. Igitur & *mollis cathedra* eidem Juvenali, quia fuit molliter pro delicijs & mollitie feminarum parata. Sic enim loquitur de Hippia mœcha famosissima Sat. VI. v. 90.

— — *Famam contemserat olim,*
*Cujus apud molles minima est jactura cathedras.*

Cathedra profecto alias ubique, nisi ubi fit respectus ad molliti-em muliebrem, de solis usurpatur feminis. Phædrus noster lib. III. cap. 9.

*Hi speculum (in cathedra matris appositum fuit)*
*Pueriliter ludentes forte inspexerant.*

Italocum hunc legendum dixi ad auctorem ipsum. Liquet autem, eam cathedram in usus muliebres fuisse comparatam. Atq; ideo *feminea* est *cathedra* apud Martialem lib. XII. non quod esset etiam virilis, sed quod feminæ illa uterentur. Epigramma est ad Candidum, ubi agit de homine molli:

*Hunc qui femineis noctesq; diesq; cathedris*
*Incedit, tota notus in urbe nimis,*
*Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro*
*Ore tener, latus pectore, crure glaber*
*Vxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret,*
*Non est quod timeas* —

Sensus est, eum mollem delicatumq; vectum cum mulieribus in suis cathedris. Aliæ sunt cathedræ domesticæ, ut sic appellem, quibus considebant pariter feminæ, sed domi suæ, nec confundendæ cum prioribus, quod fere facere video doctos. Talis illa Martiali memorata lib. V. ep. in Cotilum, quam Rigaltius accipere de priori non debuit. Verba ejus, postquam quæsiviisset, quis sit bellus homo appellandus?

*Inter femineas tota qui leve cathedras,*
*Desidet, atq; aliqua semper in aure sonat.*

Sermo hic non potest esse de cathedris gestatorijs, quia dicit *inter* cathedras. *Inter cathedras* enim *sedere* dicitur is proprie, qui sedet in medio earum, qui cathedras illas habet circa se, quod intelligi hoc loco, nisi de domesticis, non potest. Has cathedras ad cæterarum differentiam Juvenalis appellavit *longas*, quia gestatoriæ magis erant altæ. Verba ejus extant Sat. IX.

-- *Et strata positus, longaq; cathedra*
*Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.*

Scholiastes vetus *scamna* explicavit. *Cervicalibus*, inquit, *stratum scamnum dicit*. At vero scamna Vossius in Etymologico dicit *alta* fuisse *editaq;, ut scandere opus esset*. Verum quomodo hoc demonstrare valeat, haud video. Nam Varronis quidem locus, quem adducit, longe diversum testatur. Verba sunt in lib. IV. de L.L. *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, scabellum, in altiorem, scamnum, duplicata scansio gradus dicitur*. Non hoc loco dicit Varro, scamna sic fuisse alta editaq;, ut scandere opus esset, verum in lectos altos editioresq; ope scamni scandisse. Facit lectos triplices alios humiles, alios altiores, alios altissimos, ut conscēderent in humiles, adhibuisse ait *scabella*, quæ sunt scamna minora & humiliora. Ut verò in altiores, adhibuisse *scamna*. Ut deniq; in altissimos, adhibuisse *gradus*. Dicit autem gradus in eo fuisse diversos à scamnis, quod illi duplicem haberent scansionem. Et sine dubio hinc gradus dicti sunt. Duplicem enim scansionem faciunt duo illi gradus, è quibus constabant, qui ἁπλῶς gradus dicebantur. In quo differebant à scalis. *Scalæ* habebant gradus plures, id est tabellas, alteram alteri certis intervallis in altum impositas, quibus insistentes enituntur sursum. At vero *gradus* non habebant, nisi duas. Contra scamna nonnisi unam tabulam ejusmodi, sicut hodieq; videmus in ijs, quæ meis popularibus *Schæmel*, Suecis *Pall* vocantur. Jam si unum tantum istiusmodi habuerunt gradum, non profecto alta fuerunt, ut opus esset scandere, sed humilia prorsus. Itaq; & *subsellia* sunt dicta, quod Vossius ipse notavit. l. 2. lib. III. Cod. Theodos. de Contr. Empt. *Vt etiam si subsellia, vel ut vulgo ajunt, scamna vendantur*. Subsellia non fuerunt alta, sed minora

sellis.

sellis. Varro lib. IV. de LL. *Vt subsipere, quod non planè sapit, sic quod non planè erat sella, subsellium dicebatur.* Vides, subsellium non fuisse planè sellam, sed minus aliquid, & humilius. Idem ergo & de scamno judicandum. Ideo & scamnis appositis in sellas adscendebant, hoc est subsellijs. Isidorus lib. XX. c. II. *Scamna sunt, quæ altioribus lectis apponuntur, dicta à scandendo, hinc & scabella, qui lectis parvis vel sellis ad adscensum apponuntur.* Scabella dicit, sive scamna parva apponi sellis, & subsellia intelligit. Subsellia enim scamna, & sæpe scamna parva, id est scabella; dicta scamna, quia super ijs adscendebant in lectum, subsellia verò, quia erant simul sellæ minutæ humilesque, ac in ijs sedebant. Nam in subsellijs sedisse, notum. Sveton. in Claudio c. 23. *Medium inter Consulum sellas, Tribunitio subsellio sedisse.* Expresse dicit, *sedisse*, simul sellis Consulum opponit subsellium tribunitium non profecto altius, qui enim possit tribunus in minori dignitatis gradu constitutus? sed humilius. Et quia idem fuit scamnum, cumq; scamno eadem cathedra domestica mulierum, hinc colligitur, & cathedram illam non fuisse pari altitudine cum sella consulari, multoq; minus gestatoria, quam existimo fuisse altiorem. Alia proinde ista cathedra, & alia, quæ sellam gestatoriam significat. Non tamen quamlibet, sed femineam, ut dixi. Sed quæ differentia inter sellam muliebrem, & virilem? Ego certi nihil ad hunc diem reperi. Structuram non oportet multum fuisse diversam, quia idem utriq; nomen; quia viri quoq; interdum vecti sellis muliebribus. Ornatus quoq; tam distinctus esse vix potuit, quod tamen aliquibus video placere. An putamus sedem in his molliorem, quoniam conveniebat feminis; & est *mollis cathedra* apud Juvenalem Sat. VI. quam cum sella feminarum diximus fuisse eandem? Nam quod *mollem* dictam censet Turnebus propter pulvinaria, eo non probare possum, quia hæc in sella omni fuisse videntur. Feminarum verò mollis ideo, quia sedebant non in tabula, sed corio duplici, farcto tomento, loris binis pluribusve substratis suspenso, sicut hodieq; solet, mollioris sessionis grata. Sunt, qui feminarum quoq; putant clausam fuisse, non & virorum. Et huc trahunt illud Svetonij de Othone cap. 6.

*Tunc abditus propere muliebri sella in castra contendit.* Ac profecto legimus & apud Juvenalem Sat. 1.

*Ostendens vacuam & clausam pro conjuge sellam.*

At quando dicunt, talem Græcis δίφρον καλάσεγον appellatam, hanc suam sententiam evertunt. Δίφρος enim καλάσεγος Claudiani est inventi, quod fatentur ipsi ex Dione, non in usus mulierum, sed virorum. Dio ita habet lib. LX. de dicto Claudio. Δίφρῳ καλασέγῳ πρῶτος Ρωμαίων ἐχρήσατο. Ergò δίφρος κατάσεγος magis ad viros pertinet, quam feminas; inventa quippe à viris, & ab ijsdem usurpata. Sed κατάσεγον non puto denotare clausum & opertum, verum superne tantum tectum. Pollux lib. I. c. 9. Τὸ ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν, ὄρος, σέγη, καὶ ὀροφὴ. καὶ ὑπόσεγόν τε καὶ ἄσεγον, ἢ κατάσεγον. Ostendit verbis apertissimis, σέγην dictum apud Græcos, quod esset non à lateribus, sed supra caput, indeq; κατάσεγον nuncupatum. Δίφρος igitur κατάσεγος non propriè sella est undiquaq; superne ac à lateribus operta, sed solummodo in summo. Quale proinde genus invenerit Claudius, viriq; deinde alij transtulerint in suos usus. At fœminarum revera fuerunt clausæ, hoc est opertæ etiam à lateribus. Ideo in eis secrete habitas vel in publico Tertullianus dixit in de Pallio c. 4. *At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & caliandrum, ipsas quoq; jam lecticas, & sellas, queis in publico quoq; domestice ac secrete habebantur, ejeravere.* Si in sellis, quod Tertullianus ait, domestice ac secrete habitæ mulieres, hoc est, ita vectæ, tanquam domi essent, ac à turba omni separatæ, undiquaq; tectas eas fuisse apparet. Igitur & distributor apud Juvenalem licet sellam videat, de sedente in ea conjuge illius, qui petit sportulam, non est certus, sed proferre ipsam caput petit. Postquam enim maritus, simulans videlicet, licet vacua esset sella, conjugem in ea sedere, ad distributorem: *Gallamea est, citius dimitte.* Tum distributor; *Profer Galla caput.* Quibus verbis simul existimo constare, sellas illas non fuisse clausas latis specularibus ac vitris, sic enim vel per vitra conspici potuisset, nec prolatione capitis fuisset opus, verum velis linteis coriisve, sicut hodieq; receptum nobis in vulgaribus vehiculis. Potuerunt

runt tamen vela illa coriave removeri, quod necesse fuit, ut proferret caput, imò sic convolvi, ut sella videretur nuda, planè sicut hodieq; fit in vehiculis. Hoc enim Juvenalis voluit alio loco, ubi de subsignatoris falsi cathedra, quem eandem esse dixi cum sella muliebri; *Fertur*

*Hinc atq; inde patens, ac nuda pæne cathedra.*

Benè *hinc atq; inde*, nam superne quidem tecta erat, in utroque vero latere dimota habebat vela convolutaq; ac suspensa. Hoc enim propriè *hinc* & *inde*. Addit tamen pæne, credo, quod à fronte saltem obducta illa vela manerent. Feminarum ergò cathedræ sellæve vulgo fuerunt clausæ undiquaq; corijs, nisi quod per foramen exiguum diem fortassis admitterent. Virorum vero superne tantum tectæ, de cætero patentes. Neq; alia fortassis causa est, cur Otto sella muliebri usus fuerit: Contra Galba projectus è sella. Tacitus Hist. l. cap. 41. *Juxta Curtium lacum trepidatione ferentium Galba projectus è sella ac provolutus est.* Si sella Galbæ fuisset clausa, sicut muliebris esse solebat, projici & provolvi nequivisset. Nam projicitur, quod ad anteriora jacitur: provolvitur, quod ad anteriora volvitur. Hoc non potuisset fieri obstante sellæ claustro, & objectis parietibus in sella Galbæ. Sed si talis sella fuit virorum, quid ita Svetonius in Augusto cap. 54. *In consulatu pedibus fere, extra consulatum sæpè adoperta sella per publicum incessit?* Num *adoperta* hic est *clausa?* Atqui talis feminarum fuit, non virorum. An ἀλόφῳ κατάστεγῳ exponi debet? At hæc sella demum à Claudio inventa. Ut hoc dubium solvat Lipsius, pro *adoperta* putat *adaperta* legendum, *quasi*, ait, *sella quidem usus Augustus, sed aperta non tecta* lib. I. Elect. cap. 19. Probat emendationem hanc & Casaubonus, verum *adapertam* non *apertam* explicat, sed *aliqua ex parte apertam. Nam*, ait, *adaperire est ὑπανοίγειν.* Sed quæ aliqua ex parte tantum est aperta, ea aliqua ex parte non aperta, ut perinde sit, sive *adoperta* legas, sive *adaperta*. Nam & *adopertum* ratione simili, quod parte quapiam opertum. Quare malo hic apertam

intelligere non ex parte, sed per omnia. Quomodo apud Plinium legas lib. XXXII. c. 95. *Ius traditur alvum & vesicas exinanire, interanea distringere, omnia adaperire.* Sed quæ hæc adaperta vel aperta sella? num quæ aperta ex parte? jam quid est aperta ex parte? quæ pars illa? Num, quod ait Lipsius, quæ non tecta? quæ vero est non tecta? num, quæ non clausa? ita enim Lipsius intellexisse videtur. Mihi ea est, quæ non καλάσιγ@, id est tantum supernè nullum habebat. Nempe mea opinione triplex sella fuit: una nec superne, nec à lateribus operimento clausa, sed aperta tota, nihil differens à sellis cæteris, nisi quod asseribus immissis posset gestari. Talis Augustea. Alia, quæ superne tecto fuit munita, de cætero aperta & ipsa. Talis Claudij, & post eum communiter virorum. Alia undiquaq; cooperta clausaq;. Talis fœminarum. Augustea verè aperta fuit, quia nihil habuit operimenti. Cæteræ non idem. Quo respectu & Antyllum credo de his sellis gestatorijs prodidisse, quod sint aliæ apertæ aliæ coopertæ. Sic enim ex eo Hieronymus Mercurialis lib. III. Artis Gym. c. 11. *Sellam duplicem fuisse tradit Antyllus, alteram, in qua jacebant, alteram, in qua sedebant, quæ vel cooperiebatur, vel aperta sinebatur.* Ita Hieronymus, nam ipsum quidem consulere non licuit. Sed si muliebris sola clausa undique, quid ita proditur de Plinio, quod sella uti Romæ voluerit hybernis mensibus, ne impediretur in legendo scribendoq; à cœli inclementia. Nec enim convenire, nisi clausæ undiquaq; videtur, ut excludat frigus. Verba Plinij junioris leguntur lib. III. ep. 5. *In itinere quasi solutus cæteris curis huic uni* (studio litterarum) *vacabat. Ad latus notarius cum pugillaribus & libro, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studij tempus eriperet: qua ex causa Romæ quoq; sella veheretur.* Videtur dicere, vectum sella suum avunculum, ut ne cœli quidem asperitas eriperet ei studij tempus, atq; sic necesse esse, ut munita contra illam asperitatem credatur. Verum ego locum aliter opinor explicandum, videlicet de sola Plinij diligentia, nullo habito ad asperitatem cœli respectu. Vectum sella, non propter cœli asperitatem, sed ne sibi ullum studij eriperetur tempus, quod nempe fuisset

fuisset ereptum, si ambulasset pedibus, quia legere tum haud licuisset. Habemus ergo sellam aliam virilem, aliam muliebrem; illam tectam superne tantum, hanc undiquaq;. Fuit autem utraq; vel laxior, vel angustior. Digniores ac potentiores sella utebantur laxa. Inde Seneca de Constantia c. 14. *Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quam ornatas aures, quam laxam sellam.* Itaq; non unus semper solusq; in sella, licet frequentissimum hoc esset, aliquando enim & duo, si quidem Lipsium audimus. Qui sic ad An. Taciti II. c. 33. ubi auctor de Narcisso: *In eodem gestamine sedem poscit sumitq;. In eodem gestamine, id est, gestatoria sella, quæ à Claudio deducta in vulgi usum. Apparet, in uno gestamine plures sellas fuisse, ut hic vides in Narcisso, qui eodem gestamine sellam poscit sumitque.* In quibus tamen verbis non intelligo, quid velint sellæ plures in eodem gestamine. Nam si gestamen ipsum sella, quomodo in sella una, sella plures? Sed nec sellam poscit Narcissus in eodem gestamine, quod hic ait Lipsius, verum sedem. Differunt porrò plurimum inter sese *sella, & sedes. Sella*, integra & tota est fabrica, *sedes* una illa tabula, cui insident, quamq; occupant, qui sella utuntur. *Sedile* quoq; appellarunt. Chimentellius benè c. 24. *Sedile propriè ea pars, quam sede premimus, quomodo in Actis D. Marci vocatur, quæ Henr. Valesius profert ad Eusebij Hist. Ecclesiasticam VII, 19. In cujus cathedræ sedili, &c. planitie scilicet illa lignea, omni exuta fulcrorum, pedum, ornatu aut instrumento.* Sicut sedile pars sellæ, ita & sedes, eadem enim ratio utriusq; est vocabuli. Quare qui in sella poscit sedem cum alio, non sellam aliam in ea poscit, verum locum, ubi queat sedere. Sedet, quod *gestamen, sellam* explicat, non caret omni dubitatione. Sermo enim ibi non est de Narcisso tantum atq; Claudio, id est duobus in gestamine eodem, verum L. Vitellio quoque, & P. Largo, id est quatuor, quod ipsum quoq; Chimentellio recte observatur. Porrò quatuor in sella una consedisse non est verisimile, quoniam structura ejus altior, quam longior, ut dixi supra. Quare mallem de vehiculo accipere cum rotis; nam lecticam cogitare prohibet, quoniam in ea jacebant, Narcissus verò *poscit sedem.* Neq; obstat vox *gestaminis*, quoniam

*gestari*

*gestari* dicuntur, etiam qui utuntur vehiculis. Martialis lib. I. ep. de Regulo

-- -- *cum mole sub illa*
*Gestatus bijugis Regulus esset equis.*

Hic *equi bijugi* sunt bigæ, quibus Regulus *gestatus* dicitur. Similiter *gestatio* de vehiculo usurpata Cælio Aureliano lib. II. cap. 1. *Tum gestatione corpus movemus pro virium modo fertoria sella, sive cathedra, tum longiore vehiculo.* Celsus lib. II. *Genera gestationum plura, sed tamen leviſſima est navi, acrior vehiculo.* Quanquam ergo genus aliquod sellarum laxius extiterit, non id eo factum videtur, ut geri simul in eadem sella possent duo, sed ut, qui gerebatur, spacium haberet amplius, & hoc ipso majorem, potentiorem, gloriosiorem sese exhiberet. At quorum fortuna exilior, ij sella utebantur arctiore. Talis opinor, quam appellat *sellulam*, & Vitellio clam fugienti tribuit Tacitus III. Histor. c. 85. *Vitellius capta urbe, per aversam palatij partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur.* Dicit, *defertur*, unde patet, agere de sella gestatoria: quam vocat *sellulam*, quia fuit vulgaris, ut facilius lateret, ac minuta. Cæterum hæ sellæ sua habebant ornamenta, quædam pretiosiora, quædam minus pretiosa. Inde *sella* alia *pellicea*, alia *ossea*, alia *eborata*, alia *argentata*. Lampridius in Heliogab. c. 4. *Semiramica facta sunt senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, quæ sella veheretur, & utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.* Τὸ *Semiramica* hic vitiosum est, quod liquet ex appositio *ridicula*, quod sine dubio τῷ *Semiramica* interpretatio, ex glossa recepta in textum, ac si expungendum. Pro *Semirame* mallem cogitare quid de *simiis*, quia illi propriè ridiculi, ac iccircò legere *simiatica*, vel quid tale, quod ostendat senatusconsultis istis simiarum more imitatas viros, illas de mulierum conventu senatores. Nisi cum Salmasio malumus *Symiamira*, ut intelligamus Symiamirica, sic à matre Heliogabali Symiamira vocata. Cæterũ *pellicea* quæ hic vocatur *sella*, opinione mea inductam pellibus, hoc est corijs significat, estq; maximè vulgaris. Nisi quis existimet, habuisse pellibus propriè sic dictis, hoc est hirtis & villosis corijs obductas. *Pellis* enim propriè, ut est

detracta

detracta pecori seu animali, cum pilis, lanis, villis; cum corium, cui ea sunt adempta, coriarij alutarijve opera. Isidorus lib. XI. cap. 1. *Pellis, mox detracta, subacta jam corium dicitur.* Vult, differre pellem à corio, quod illa sit, qualis est in vivis animalibus, cum pilis scilicet, lanisve. Cum præsertim sellis quoque aliis insternerent, ipso auctore Homero, qui sic Odyss. T.

Εὐρυνόμη φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐπ' ἀμφί.

*Eurynome affer sellam & pelles super eam.* Quo in loco dubitare non debebat eruditus Chimentellius, utrum pellem pro pulvillis concinnatis & consutis, an per schema, quod appellant ἓν διὰ δυοῖν, sellam pelliceam aut coriaceam intellexerit. Nam posterius revellit evidenter illud ἐπ' ἀμφί. Unde & Eustathius, καὶ κῶας ἐπ' ἀμφὶ βάλλεται ἤγουν τίθεται. quod significat, pellem fuisse superinjectam, nempe ut in ea sederent. Prius quoq; pugnat cum simplicitate veteri consvetudineq;, de qua etiam apud Romanos intelligimus ex Festo, quando tribuit novæ nuptæ, item Servio ad Æn. IV. ubi ait; *Sellas duas jugatas ovili pelle, superinjecta poni mos est.* Sicut autem pellicea sella est contecta vel inducta pellibus, sic *ossea* contecta vel inducta ossibus. Ita namq; docet ratio vocabuli, quod significat vel ex ossibus integre constructum, vel sic exterius appositis vestitum, ut mere osseum videatur. Quomodo habemus *cultrum osseum*, apud Columellam lib. XII. c. 45. *Illud verò, quod multi faciunt, ut ea dividant ossea cultro, & semina eximant, quod putent ex eis pomum vitiari, supervacuum est.* Item *stylum osseum* apud T. Quintium Attam in Satyra

*Vertamus vomerem inceram, mucroneq; aremus osseo.*

Osseum utroq; loco, quod ex osse mero totum est constructum. At hoc fieri vix potuisse videtur in sella, quoniam esset major, quam ut ex ossibus construeretur. Quare potius existimo, ut osseam accipiamus respectu exterioris faciei, quæ inducta vestitaq; ossibus fuit. At verò *sella eborata* ea videtur, quæ distincta ebore, ornatus gratia. Quomodo sunt *lecti eborati* apud Varronem: *Cum in eborato lecto, ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum.* Et *eborata vehicula* apud Plautum Aulul. II. Sc. 1.

*Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram*
*Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.*

Loquitur de vehiculis eburatis sive eboratis feminarum, quas libenter acciperem de sellis quoque, cum & ipsæ sint vehicula, & si alia, ebore ornari consveverint. Eboratum enim verè proprieq; quod ornatum ebore. Sosipater Charisius in Instit. *Eboreum, & eboratum, & eburnum ita placuit distingui, ut eboreum sit ex solido ebore confectum, eboratum extrinsecus ebore ornatum, eburnum à similitudine eboris aptatum.* Ad eundem modum *argentata sella*, quæ ornata & exculta argento. Sic enim & apud Livium *argentati milites*, qui habent arma exculta cælataq; argento. Verba extant lib. IX. c. 40. *Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis lineæ candidæ.* Quem hic vocat *argentatum*, mox explicat *cælatum argento.* Subdit enim: *horridum militem esse debere, non cælatum auro argentoq.* Uti *miles cælatus argento* aliter intelligi non potest, quam de eo, cujus arma argento cælata, hoc est ornata atq; culta. Nam *cælatum* proprie de imaginibus extantibus ac pro minulis usurpatur, quod jam pridem viri doctissimi demonstrarunt. Sic arma argento cælata erunt, quæ stellas, rosas, lunulas, & alia id genus ex argento habent exterius apposita, ex quibus *argento cælatus miles* Livio est dictus, qui eidem quoq; *argentatus.* Aliæ sunt *sellæ bracteatæ*, quorum meminit Sidonius VIII. ep. 8. *Licet tu deductum nomen à trabeis, atq; eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos.* Nam hæ non imaginibus solummodo & icunculis vel sigillis appositis decoratæ, sed totæ metallo tectæ. Bracteæ nimirum laminæ malleo ductæ. Glossæ: πέταλον, *bratteum, lamina.* Sic ibi scribendum, non *blatteum.* *Bratteum* porrò dicebant pro *bracteum.* Quomodo & *brattea*, pro *bractea* habetur in Philoxeno. *Brattea*, πέταλον. Hinc *bratteatum* seu *bracteatum*, quod cum intus generis sit alterius, extra & in superficie laminas habet ex metallo. Sic *bracteata sella* apud Sidonium, bracteis obducta ex auro, quæ iccircò & *aurea*, nam de Consulari loquitur, quod optime Savaro annotavit, addiditq; locum Claudiani, qui hoc docet in IV. Cons. Honorij eo versu:

*Porta-*

*Portatur juvenum cervicibus aurea sedes.*

Quæ Claudiano *sedes aurea*, ea Sidonio *gestatoria bracteata*. Et hæc quidem ornamenta. Quo verò veherentur mollius, cervical fere habebant ad caput, mulieres præcipuè. Vidit Lipsius quoq; ex hoc versu Juvenalis, qui legitur Sat. VI. v. 351.

*Vt spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,*
*Conducit comites, sellam, cervical amicas.*

Cervical vocat proprie, quia pertinebat ad fulciendas cervices. Scholiastes vetus eo loco. *Cervical, pulvinar, super quod caput inclinet.* Quibus verbis simul discimus, mulieres præsertim in his sellis sedisse non erectas planè, sed nonnihil tergo & cervicibus seu capite reclinato in pulvinar. Sedisse tamen sicut supra monui. Et testatur Scholiastes idem, quando paulò ante ad vocabulum *sellam*, notat, *in qua gestatur sedens.* Gestabantur autem opera servorum, qui communi voce cum ijs, à quibus lecticæ ferebantur, dicti *lecticarij*, quod & ipsum Lipsio est observatum, itemq; Chimentellio. Quod verò putant, nunquam appellatos & *sellarios*, dubitationem habet. Saltem in Glossario antiquo legas. Δίφρος, *sella.* διφροφόρος, *sellarius.* Ergo in frequentiore quidem usu alterum, quia vox *sellarij* ambigua, & de equis potuit intelligi, scortisve: non tamen solum semperq; usurpatum. Quia imò & *cathedrarios* dixere. Sidonius lib. 1. ep. 11. *Solus Curio meus cum advesperasceret, per cathedrarios servos vespillonibus tetriores domum raptus ac reportatus est.* Quando ait, *vespillonibus tetriores*, ostendit, alias fuisse cultiores, quomodo & qui proprie sic dicebantur, gerebantq; lecticas, ut deinde dicam. Erant autem vulgo bini numero, qui gestabant. Unde Juvenalis Sat. IX. v. 142.

-- -- *Et duo fortes*
*De grege Mæsorum, qui me cervice locata,*
*Securum jubeat clamaso insistere Circo.*

Lubinus agi putat de lectica, nam exponit *duos servos lecticarios, qui me humeris suis in lectica portent ad ludos.* Sed lecticam ullam à duobus solitam portari non opinor, & probabo postea. Igitur assentior Lipsio, qui accepit de hoc nostro genere. *Nam sellis*, ait,

*deferebantur in circum sive in theatrum, & in iis etiam persedebant,* probatq; testimonio Svetonij, quod puto esse verum, & attendi etiam à Gonsalio debuisse, qui similiter de lectica accepit. Aliquando tamen auctus ille numerus, sumptiq; quatuor. Imo legimus & sex in sella, præsertim muliebri, credo, quod esset ponderosior, quia tecta undiquaq; clausaq;. Juvenal. lib. I.

— *Cum jam sexta cervice feratur*
*Hinc atq; inde patens, ac nuda pæne cathedra,*

Martialis genus hoc *hexaphoron* vocavit, ostenditq; ingens laxumque fuisse, lib. 1. epigramm. in Cæcilianum.

*Cum tibi non essent sex millia Cæciliane*
*Ingenti late vectus es hexaphoro.*
*Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinumq;*
*Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.*
*Quid tibi pro meritis & tantis laudibus optem?*
*Di reddant sellam Cæciliane tibi.*

Non potest esse dubium, quin hexaphoros sit sella, ideo enim optat, ut sellam dij reddant Cæciliano, quam nempè habuit vectus hexaphoro. Est autem sella hæc hexaphoros, quia ingens. Nec opinor numerum majorem ullam habuisse. Quanquam non ponderis & magnitudinis solum gratia, sed & ex fastu ac superbia haberent multos. Quod nos docet Seneca de Constant. c. 14. ubi de muliere: *Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam?* Vides, in muliere ab imperitis spectatum, quot lecticariis, paucioribus nempè pluribusve sella ejus gestaretur. Erant porrò sic dispositi hi lecticarij, ut, sive bini essent, sive plures, pars una dimidia gestaret à dextro, pars altera à sinistro latere. Scilicet in collo, sive humero gestabant. Inde Juvenalis supra allato loco de cathedra, quod *sexta cervice feratur.* Item de Mœsis: *Cervice locata securum jubent insistere circo.* Si in cervice sive humero, fieri non potest, quin gestarint eo modo, sicut dixi. Atq; huc respexisse puto Martialem, quando supra *latè vectum* scripsit Cæcilianum. Nam late vehitur, opinione mea, cujus vehiculum latum, cujus bajuli, qui vehunt, latè incedunt,

quod

quod utrumq; fuisse in Cæciliani sella intelligitur. Erant autem isti geruli, ut & hoc addamus, vel proprij, vel conductitij. De propriis apparet ex JCto Ulpiano, qui propterea legalis ait contineri. l. 49. ff. de Legat. III. *Legato continentur mancipia, puta lecticarij, qui solam matrem familias portabant.* Vult, mancipijs legatis vel præcipuè lecticarios contineri. Scilicet hos comparare uxoribus suis mariti, præsertim indulgentiores solebant. Quo respexit Tertullianus libro ad Uxorem: *Vnde nisi à diabolo maritum petant bonum exhibendæ sellæ.* Maritus bonus exhibendæ sellæ non is solum, qui parare sellam potest nudam, sed & qui servos lecticarios ad eam gestandam. De conductis testis Juvenalis est, quando de Ogulnia Sat. VI.

*Conducit comites, sellam, cervical, amicas.*

Agit quidem proprie de sella, quam & ipsam conducto habuisse apud veteres intelligimus ex hoc loco; non tamen de sella nuda, sed & servis bajulis sed lecticarijs. Ideo Poeta idem Sat. IX.

*-- Et duo fortes*
*De grege Mœsorum, qui me cervice locata*
*Severum jubeant clamoso insistere Circo.*

Cervicem locatam intelligit pro mercede, pro qua Mœsos istos conduxerat. Scholiastes vetus eo loco: *Et duo fortes, lecticarios ait, quorum laturas locem, & securus Circenses spectem.* Ubi *locare laturas* est *pecunia conducere.* Quomodo apud Varronem in præfat. lib. II. de R.R. *locare, qui adducant frumentum,* est *conducere.* Verba ejus: *Igitur quod nunc intra murum fere patres-familiæ correpserunt relictis falce & aratro, frumentum locamus qui nobis advehant, qui saturi fiamus, ex Africa & Sardinia.* Et de sellis quidem hæc sufficerint. Venio ad earum usum. Primus fuit, ut qui pedibus valerent minus, ope illarum adjuti, facere possent iter. Tacitus de Galba lib. I. Hist. cap. 35. *Nemo scire, & omnes affirmare, donec inopia veri & consensu errantium victus, sumpto thorace Galba, irruenti turbæ neq; ætate neq; corpore sistens, sella levaretur.* Hic Galba debilior ætate imponitur sellæ, ac in castra rapitur. Post accessit

ambitio & fastus, maximè in mulieribus, noluerunt; amplius ambulare pedibus, sed vehi sellis. Inde *maritus bonus exhibendæ sellæ* apud Tertullianum, uti supra vidimus. Et apud Ulpianum sellæ inter ea, quæ mariti suis uxoribus emunt comparantve. Unde l. 49. ff. de legat. III. inter legata contineri ait *jumenta, vel lecticam, vel sellam, vel burdones.* Quanquam aliqui præbuerint, non tam, ut augerent fastum, quam ut custodirent earum pudorem, ac consularent modestiæ, si quando prodire in publicum cogerentur. Quo intuitu Tertullianus de pallio, uti de matronis agit minus pudicis. *At nunc in semetipsas lenocinando quo planius adeantur, & stolam, & supparum, & crepidulum, & calliandrum, ipsas quoq; jam lecticas & sellas, quis in publico quoq; domestice ac secrete habebantur, ejeravere.* Noluerunt hæ uti sellis amplius, quia intra eas nimis tectas, nimis clausas se putarunt. Atque ita similiores sese fecerunt meretricibus, quam matronis. Fuit alias usus earum apud matronas longe creberrimus, & diuturno tempore servatus, quod ostendit, vel Heliogabali edictum è Senatu muliebri publicatum, cujus mentionem fecimus in superioribus. Ut non satis videam, quomodo ejuraverint, temporibus Tertulliani, qui Heliogabalum tempore non exiguo anteceſſit. An hoc voluit, noluisse sic in ijs esse clausas tectasq;, sicut primis temporibus, & à modestioribus est factum, sed sustulisse coria velaque, ac conspiciendas sese præbuisse? Nam & hoc fecisse constat liberatiores. Unde Seneca de tali: *Non, quam margaritæ suffocent quam in patente sella circumlatam per urbem populus ab omni parte æque, ac maritus inspexerit.* Quin imò rusticitas est habita in marito, & argumentum exagitationis, si quis hoc negasset uxori. Seneca idem lib. 1. Benef. c. 9. *Rusticus, inhumanus, ac malevolus, & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & vulgo admissis inspectoribus vehi undiq; perspicuam.* Illud *prostare in sella* nihil aliud significat, quam conspiciendam se præbere, formæq; ostentatione ad amorem sui alios allicere. Quod feciſſe meretrices videntur, si quando uterentur sellis. Habuisse inquam sellas non clausas tectasq; matronarum consvetudine, sed apertas. Quod significare

ficare Juvenalem arbitror lib. III. v. 135. uti de Chione meretrice.

-- -- *At tu*
*Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,*
*Et dubitas alta Chionem deducere sella.*

*Ducere de alta sella* non opinor aliud significare, quam de sella, in qua aperta planè, patenteq; circumgestata præbebat se inspiciendam per vias publicas, ad congressum invitatam abducere. Quin enim & sellis circumferri sese meretrices voluerint, eo minus dubitare possum, quia usæ etiam lecticis inveniuntur. At exponunt alij de sella non gestatoria, sed qua sedebat meretrix ante stabulum cellamve meretriciam expectabatq; quæstum atq; conductores. Ita namq; consveviſſe colligunt ex Plauti Pœnulo A. I. Sc. 2. ubi ob hanc causſam *prosedæ* nuncupantur. Verba Plauti:

— *An te ibi vis inter istas versarier*
*Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias*
*Miseras, schæno delibutas, servilicolas sordidas?*
*Quæ tibi olent stabulum, statumq;, sellam & sessibulum merum.*

His in verbis nominatim mentio fit sellæ, cui videlicet prosedæ illæ insidebant. Commentator vetus Juvenalis hac de causa, quæ *prosedæ* Plauto, *sellariam* nuncupavit. Ita namq; scribit ad prædictum locum: *Deducere sella: inde sellariæ dicuntur. Vnam meretricum à sella sua abducere conductam cunctaris cum alij adulteri emant.* Sellariam hic accipio nō lupanar, & locum sellis meretricum cōsitum, ut Chimentellius, sed meretricem, sic à sella nuncupatam. Quanquam alias sellaria genēris alterius fuisse videatur, ea nempè, quæ merebat in sellario. *Sellarium*, ac in plurali *sellaria* fuit locus à Tiberio excogitatus, ubi sese constuprabant mutuo in sellis. Torrentius ad Svetonij Tiberium cap. 43. *Sellaria appellata sellæ ipsæ ad libidinem dispositæ.* Ab hoc sellario, vel his sellarijs *sellarij* viri, & *sellariæ* feminæ, quæ ibi sese mutuo inibant. Nam & de virisaccepit Lipsius, quod habet Tacitus lib. VI. Annal. c. 1. *Tuncq; primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum, & spintriarum ex fœditate loci & multiplici patientia.* Nam sic ibi notat de Turnebo, & Svetonio. *Non tamen satis explicant, cur sellarij dicti à fœditate loci.*

*loci*. Ergo Lipſij judicio non ſolum feminæ ſellariæ, ſed & ſellarij virij; juvaturq; à Svetonio, qui in ſellarijs Tiberij memorat non *puellarum* modò, ſed *& exoletorum greges*, itemq; *monſtroſi concubitus repertores*. Dicit autem Tacitus ſellariorum vocem ante Tiberium fuiſſe incognitam, neq; tum uſurpatam de alijs, quam qui ſella tali, qualem paulò ante dixi, merebant. Ut ſic dubitari poſſit de Interpretis antiqui apud Juvenalem explicatione. Nam ſi ſellariam intellexit proprie ita dictam, ea accipi de Chione non poteſt, quippe quam de ſella Juvenalis putavit deducendam. Si vulgarem meretriculam, in ſella expectantem ante lupanar amaſios, non apparet, cur ſellam eam Juvenalis tam ſignanter appellarit altam. Neq; poſſunt ſeſe ſatis explicare cæteri, qui cum ipſo locum accipiunt de ſella vulgari, qua ſolebant conſidere. Non fuit ea tam alta, ut notari hoc epitheto à Poëta debuerit. Nam quod Chimentellius exiſtimat pro *alta* legi poſſe *arcta*, ſine cauſſa & neceſſitate dicitur. Deniq; revera fuiſſe altam etiam id docet, quod deduci debuit de ſella. Nam deducitur verè proprieq;, quod de loco altiore ducitur. Quomodo habemus apud Cæſarem III. Bel. Civ. *deducere de roſtris conantem concionari*. Et apud Virgilium Ecl. VIII. *Deducere cœlo lunam* ſimilima locutione. Si ſella hic intelligenda vulgaris eſſet, qua proſedæ utebantur, non *deducenda* erat Chione, ſed *abducenda*. Quare manet ſella ejus alta, & propter hoc ipſum non vulgaris ſeſſoria, ſed geſtatoria, quæ & hoc intuitu vocata poteſt eſſe alta, quia geſtabatur alte, in cervicibus nimirum atq; humeris ſuccollantium, habebatq; ipſam alte repoſitam. Nam & de lectica, quæ cum ſella convenit hactenus, Seneca epiſt. 81. *Idem de iſtis omnibus dicas, quos ſupra capita hominum ſupraq; turbam delicatos lectica ſuſpendit*. Sicut qui geſtabantur in lectica, eminebant ſupra capita hominum, ita planè & qui ſella, ut nil mirum ſit, ſi deduci ea Chione debuerit. Deduci ſella inquam, non ſedentaria, ſed geſtatoria, qua hinc colligo fuiſſe uſam, & cum ea meretrices alias. Ad quas alluſerit & Seneca, quando de matronis in ſuperioribus *proſtare in ſellis* voluiſſe ſcribit. Nam de ſedentarijs, quod putabat Chimentellius, non agere, vel inde conſtat, quia ijs dicit

*vehi*.

*vehi.* Nec enim in his vehuntur, verum gestatoriis. Sicut autem per ambitionem festumq; meretrices, feminæ, matronæ, sic interdum viri quoq; vecti sella. Istuc pertinet, quod Cæciliano exprobrat Martialis lib. I. Epigr.

*Cum tibi non essent sex millia Cæciliane,*
*Ingenti latè vectus es hexaphoro.*

Spectabat tamen sicut apud matronas, sic apud viros aliquando ad dignationem. Quo respexit Juvenalis, quando ait Sat. VII.

*Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi*
*Octo, decem comites, an post te sella, togati*
*Ante pedes* --

Agit de Patronis caussarum eo loco, quos non absurde colligas hinc, usos esse istis sellis, existimationis & auctoritatis gratia. Lubinus accipit de sella sedentaria, *Post te sella*, inquit, *in qua sedeas, si collibitum fuerit.* Quemadmodum & Chimentellius p. 135. Sed videntur tueri nostram opinionem illi servi octo, qui hic nominantur, & à Lubino ipso explicantur lecticarij. Possumus enim æque facile intelligere de servis ad gestandam sellam, quam lecticam necessarijs. Cum vix consentaneum videatur, eidem & lecticam dare, & cum ea simul sellam. Gestatoriam profesto hoc in loco intellexit & Lipsius, non sedentariam. Observavit alias hoc idem & in Consularibus Consulibusq; Chimentellius, vir eruditissimus. *Indicare non desino*, ait, *hanc sellam opertam* (inventam à Claudio) *Consulibus deinceps & Consularibus fuisse adhibitam, postquam Claudius primus usurpavit.* Addit testimonium Dionis, qui post ea, quæ inventam sellam hanc à Claudio docebant, addit: καὶ ἐξ ἐκείνου ἴσως ὅτι οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπάλευκότες διφροφορούμεθα. *Inde & nunc non Imperatores, sed nos quoq;, qui consulatum gessimus sella (operta) vehimur.* Alij non tam dignationem spectabant, quam usum. Nam & legere in his solebant. Docet exemplum Plinij majoris, de quo junior III. epist. 5. *Qua ex caussa* (ut ne ullum ipsi studij tempus eriperetur) *Romæ quoq; sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem, Poteras, inquit, has horas non perdere.* Dicit, non ipsum modo usum sella, quo posset, dum negotiorum

tiorum cauſſa de loco uno fertur in alium per urbem, librum legere, ſed & nepotem ſuum eo animaſſe, ne ſi ambularet, horas eas nihil agendo perderet. Delicatiores etiam dormiebant in eis, quod cognoſcimus exemplo Gallæ, de qua maritus apud Juvenalem Sat. 1.

— *Noli vexare, quieſcit.*

Proferre caput eam diſpenſator, ſeu diſtributor ſportulæ voluerat. Sed quia ſella erat vacua; fingit maritus eam intus dormire, ſicut nempe crebro faciebant. Porrò quia iſtis omnibus fuerunt apta, ideo non intra urbem modo, ſed & extra illam adhibebant in viis atq; itineribus. Svetonius de Othone. *Tunc abditus propere muliebri ſella in caſtra contendit.* Tacitus XIV. An. c. 4. *Satis conſtitit, extitiſſe proditorem, & Agrippinam, auditis inſidiis, geſtamine ſellæ Bajas pervectam.* Aliquando hoc agebant ideò præcipue, ut latere rent. Quomodo videmus in Othone paulo ante. Svetonius de Nerone cap. 26. *Interdiu quoq; geſtatoria ſella clam delatus in theatrum.* Item de Vitellio cap. 16. *Continuo igitur abſtruſus geſtatoria ſella, Aventinum & paternam domum clam petijt, ut inde in Campaniam fugeret.* Videatur idem ſpectaſſe, qui & fontes, vel quacunque cauſſa ſupplicio afficiendos includebant ſellis. Nam & hoc receptum fuit. Tacitus de Epichari liberta lib. XV. An. cap. 57. *Poſtero die cum ad eosdem cruciatus retraheretur geſtamine ſellæ, (nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat) vinclo faſciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit cervicem, & corporis pondere conniſa, tenuem jam ſpiritum expreſſit.* Dicit quidem Tacitus, hoc factum, quia inſiſtere nequibat, ſed & alterum attendi potuit, cum ad illud quævis obvia ſuffeciſſet cathedra, hæc vero ſella clauſa fuerit; quod intelligitur ex eo, quia ſibi ipſi, dum ad cruciatus geſtatur, vitam adimit laqueo. Nec enim hoc potuiſſet, ſi geſtantes potuiſſent obſervare. Sed & *arcus ſellæ* hoc demonſtrat. Namque arcus ille non pars reclinatorij in apſidem curvata ornatus cauſſa, quod volebat Chimentellius p. 116. ſed qui ſuſtinebat tectum ſuperne in ſella operta clauſaq;. Ideo ei tanquam

quam supra caput extanti fasciam laqueumq; indit Epicharis: ideò pondere corporis connititur, deorsum nempe, hoc enim vult pondus, non antrorsum, quod Chimentellius putavit. Marcellini quoq; locus est, qui hoc idem confirmare videtur. Verba ejus lib. XXIX. *Quibus* (incantamentis) *injudicio recitatis, uti non lex, non religio, non æquitas veritatem à mendaciis dirimebat, indefensi bonis ablatis, nullo contacti delicto promiscue juvenes alijq; membris omnibus capti ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur.* Equidem doctissimus Pignorius in de Servis p. 136. existimat, hinc posse colligi, quod sellis raptarentur *rei tormentis afflicti* ad supplicium. Facit cum eo etiam Chimentellius. Ego diversum censeo. Nulla enim toto loco isto tormentorum mentio. Imo contra ne quidem instituta quæstio dicitur, cum veritatem æquitas à mendacio non dirimeret, indefensique rei ducerentur. Nam quod Marcellinus ait, *captos membris omnibus*, aliud significat, constrictos nempe vinculis, sicuti solebat, de quibus supplicium erat sumendum. Unde vetus formula: *l. lictor, colliga manus.* Sic per translationem Ciceroni captus membris, cujus membra morbi vis captiva velut tenet in vinculis. In Orat. pro Rabirio. *Confectus senectute, præditus morbo, mancus, & membris omnibus captus atq; debilis.* Quare verò magis cõsentaneum, ut credamus ductos sellis, ne adspectu suo commovere quenquam possent. Sellis inquam *gestatoriis*, non *gestoriis*, ut Lipsius Marcellini loco scripsit. Deniq; in sellis hisce per gestationem exercebant corpus, valetudinis vel conservandæ, vel reparandæ gratia. Primi generis sunt isti, de quibus Seneca de Brev. vitæ, c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se, & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt.* Licet hi enim per mollitiem ac voluptatem gestarentur sellis, videri tamen volebant caussa valetudinis per exercitationem servandæ istoc facere. Quia sic receptum fuit apud alios, & præscriptum à Medicis. Ad secundum genus spectant, quæ leguntur apud Cælium, & à nobis allata sunt in superioribus. *Adhibenda igitur vectatio pro viribus ægrotantis fertorio, vel sella procurata.* Atq; ita locis alijs; quibus

fere ostendit, conducere gestationem hanc concussionemq; molliorem in dolore capitis, in epilepsia, si ferri queat, in mania, in paralysi, quemadmodum ex eo docuit & Hieronymus Mercurialis lib. VI. Artis Gymnasticæ cap. 10. Solebantq; in hoc genere modo rectas clausasq; habere sellas, modo retectas apertasq;, prout morbi ratio postulabat, sicut idem ex Antyllo observavit. Atq; ista quidem sunt, quæ de sella nobis occurrebant.

## Cap. V.
## De Lecticis.

*Lecticæ num digniores sellis. Lipsius rejicitur. Suetonius exponitur. Num excogitaverint Bythini. Lipsius & Scholiastes Iuvenalis refutati. Cicero corrigitur & explicatur. Catullus aliter, ac fit à Lipsio, exponitur. Lecticæ Persis notæ.* Φορεῖον. Φορίον. *Gestatorium. Notæ Indis. Curtius corrigitur. Notæ Macedonibus & Syris. Quando Romam venerint. Gellius à correctione prava Lipsij liberatus. Species lecticarum. Lipsius denuò rejectus. Asseres lecticæ ad gestandum. Gellius contra Lipsium expositus. Plumæ ac rosæ in pulvinis lecticarum. Pedes lecticarum ex ligno, argento, auro. Lectica operta coriis, cum fenestra in latere. Num & vela habuerit. Ausidius Bassus explicatur. Lipsius bis revellitur. Sindon lecticaria. Torrentius notatur. Lectica dormitoria. Aperire lecticam. Propertius explicatur, & à correctione Lipsij liberatur. Consuta lectica. Svetonij lectio vulgaris defenditur. Ornamenta lecticarum. Aureæ lecticæ, angustæ, laxæ. In lecticis cubabant. Cubile pro lectica. Portabantur super humeris. Suspensa lectica. Gonsalius notatur. Martialis exponitur. Sella plicatilis.* ὀκλαδίας. *Faldistorium, faldistolium. Lecticarij longi, Liburni. Lubinus notatur. Scholiastes Iuvenalis emendatur. Geruli Lyburni. Lectica Lyburnata. Lecticarij formosi cum vestimentis pulchris. Senecæ lectio contra Lipsium defensa. Canusinati. Coloris rufi. Quatuor ad lecticam, vel sex. Hexaphoros. Cicero liberatur à glossa. Octophoros. Gonsalius denuò notatur. Petronius exponitur. Lecticarij dicti non ij soli, qui ad lecticas adhibiti. Quidam qui gestant alios humeris. Succollare.*

Φορια-

φοριοφόροι. *Plutarchus emendatur. Habuerunt emptos, vel acceptos dono, vel conductos mercede. Castra lecticariorum. Liberti gestant lecticas. Operæ togatæ. Prosequi lecticam. Elephanti ad lecticas. Lecticarum usus promiscuus viris feminisq;.* Φορεῖα γυναικεῖα. σαμφόδια. *Viri infirmiores fere usi lecticis. Hieronymus Mercurialis notatur. Octophoros lectica mulierum fere, nisi fortè viri essent in itinere. Lecticis vectipueri. In lectica plures simul. De locis binis Ciceronis suspicio. Concursare. Lecticarum usus in itinere vetus, serus in urbe. Olim promiscuus, mox matronis honestis solum concessus, nec semper. Mamertinus explicatur contra Chimentellium, & distinctus. In lecticis legebant, scribebant, dormiebant, occultabant sese, ducebantur ad supplicium, vehebantur ægroti, vel alias infirmi. Vtebantur eis etiam ad recuperandam valetudinem.* Λεκτίκιον. *Lecticæ militares pro ægrotis vel sauciis.* ὑπολαμβάνειν, περιέχειν. *Interpres Plutarchi castigatus. Lecticæ lucubratoriæ. Sumpodia Græciensia. Lectica funebris. Dio exponitur.* Λάρναξ. *Arca. Funera lecticis tectis nonnunquam elata. Cicero & Gellius exponuntur.*

POst Sellas de Lecticis aliquid dicendum. Nempe operosiores illis sunt, & sumptuosiores. An & digniores? Negat Lipsius I. Elector. c. 19. *Sella*, inquit, *postquam recepta in usum, dignior habita lectica. Ex Suetonij unico, & ideo notando loco in Domitiano cap. 2. Ob hæc correptus, quo magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamq; ejus ac fratris, quotiens prodirent, lectica sequebatur.* Contra censet Casaubonus, cui jure merito adstipulamur. Nimirum non hic agitur de sella qualibet, qua gestabantur, sed curuli, *de qua*, inquit Casaubonus, *si intelligas, non de vulgari sella, plane ruit* ὁ συλλογισμὸς. Sanè admoneri debuit Domitianus, sicut auctor est Svetonius, & ætatis suæ, & conditionis, hoc est, nec maturum adhuc esse annis, & privatum sorte. At hoc fieri qui potuisset, si sellæ præcedentium patris fratrisque fuissent vulgares? Nec enim in vulgaribus illi soli gestabantur, qui in dignitate constituti essent publica, sed & alij, quod supra demonstratum est, Quare supereſt, ut discrimen fuerit non inter sellam & lecticam,

quale dicit Lipsius, sed lecticam atq; sellam curulem. Fuit autem lectica, sicut sella, gestatorium vehiculum, excogitatum primo, uti censet Lipsius, à Bithynis. Colligit hoc autem ex Catulli verbis hisce, quæ leguntur Epigr. 10.

*At certè tamen, inquiit, quod illic*
*Natum dicitur esse, comparasti*
*Ad lecticam homines* -- --

*Apparet*, inquit, *eum dicere, lecticas natas in Bithynia & inventas.* Addit, facere huic sententiæ, quod ait Cicero lib. V. in Verrem, morem fuisse Bithyniæ regibus lectica octophoro ferri. Equidem ex isto Ciceronis loco idem colligit & Scholiastes vetus Juvenalis ad Satyræ I. ver. 121. *Lecticarum usum*, ait, *primi dicuntur inveniisse Bithyni. Cicero: Nam una haud mos est Bithyniæ regibus vehi lectica, id est octophoro.* Verba Ciceronis, sicut citat Scholiastes, nil huc faciunt, imò potius contrarium ostendunt. Neq; magis juvant, sicut vulgo leguntur, & laudantur Lipsio: *Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus, vehi lectica.* Nec enim si Bithyniæ regibus ille mos fuit, ideo & inveniisse necesse est, quod liquet ex Romanis, quibus ipsis postea hic mos fuit. Et tamen in Ciceronis illo loco inveniisse Scholiastes videtur, in quo sententiam fundaret istam. Nempe scriptum olim fuit apud Ciceronem: *Nam unus ut mos est Bithyniæ Regibus.* Quia Cicero illis regibus dixit morem illum esse unum, is accepit de unico & solo, atq; ita illos solos initium huic mori ac consvetudini feciisse putavit. Pro illo *unus ut* ineptus scriba conjunctim fecit *unus ut*, inde natum *una hut*, & post *una haut*, vel *una haud* apud Scholiastem. Atq; sic legendum apud Ciceronem ipsum videtur, non ut hodie mutilate editur, vel propter Scholiastem dictum, qui ex verbis, sicut nunc se habent, nunquam in sententiam, quam proponit, potuisset adduci. Non inquam, *nam ut* omissa necessaria voce, sed *nam unus ut* substituendum. Quanquam & si legas isto modo, nihil valide hinc asseratur; potest enim unus ille mos intelligi non exclusive, quasi apud alios non fuerit, hoc enim falsum apparebit ex sequentibus, verum eminenter,

ter, quod ante alios eo sint gavisi. Neque magis clara sunt Catulli verba. Scaliger profecto exponenda putat sensu longe alio. Nec enim illud *natum* ad *lecticam* refert, sicut facit Lipsius, sed de pecunia intelligendum ait, per comitem Consulis negotiatione quæsita in provincia. Non pigebo locum totum, licet longiorem adscribere, quoniam declarat evidenter, Lipsium non satis intellexisse Catullum. *Diversum*, ait, est *æs natum in provincia ab eo, quod dixit, quantum provincia profuisset ære. Comites proconsulum duplicia commoda in provincia, percipiebant: alterum ex negotiatione sua, quod hic more Græcorum argentum natum dicitur. Nam id illis est* τὸ γινόμενον ἀργύριον. *Alterum ex provincia illis obveniebat opera magistratus ipsius, quod lucellum vocabatur, ut alibi docebimus ex Cicerone. Quod ergo dicitur, & quantum mihi profuisset ære, hoc est, ecquid lucelli mihi obvenisset ex Bithynia. Hoc vero, quod natum dicitur, hoc est, quod quæsivisti negotiatione tua. Notum ex Sallustio in Iugurtha, quæ sint negotiationes togatorum, ut ipse vocat.* Hæc Scaligeriana longè doctissima ostendunt abunde, nil nos ex hoc loco pro Bithynis posse allegare, si de lecticarum auctore quæstio instituatur. Ac profecto pridem alibi, quam Bithynia, credo, cœpit innotescere, usus lecticarum invaluit. Legimus enim apud Persas etiam ætate Artaxerxis. Timagoram profecto is lectica donavit, sicut auctor est Plutarchus in ipsius vita, quod ostendit, usum ejus satis tum in Persis notum receptumq; fuisse etiam inter viros. Idem repetitur à Plutarcho in vita Pelopilæ, ubi de Timagora: καθέβαινεν ἐπὶ θάλασσαν, ἐν φορείῳ κομιζόμενος. Hic φορεῖον nihil aliud, quam lectica, quod apparet ex collatione loci supra dicti, ubi τὰς κομίζουσας φορεῖς commemorat, id est homines ad gestandum destinatos, quales hic de sella nequeũt intelligi, haud tum nota, verũ de lectica. Philoxenus: *Lectica*, φορεῖον. Scribitur & φοεῖον in Glossario Cyrilli. Φοεῖον, *lectica, feretrum*. In Onomastico Argentoratensi *gestatorium* exponitur. *Gestatoriũ*, Φορεῖον. Sed gestatorium & de sellis usurpatur. Ideo generatim Glossæ veteres Mſ. Savaroni laudatæ: *Gestatorium, instrumentum, quò quis portatur*. Pro gestatorio Tacitus dixit *gestamen* lib. II. Anal. c. 33. & de rheda similive vehiculo accepit, sicut alibi ostẽdimus.

mus. Φορεῖον tamen fere semper apud veteres *lectica*. Quam non Persæ solum, sed & Indi cognitam habuere. Illa namq; Rex Indorum gestabatur. Curtius lib VIII. c. 9. *Quum rex sese* (ita mallem, pro *sane*, quod habet editio Blancardi) *in publico conspici patitur, thuribula argentea ministri ferunt, totumq; iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat.* Quin & hodie consvetudo illa manet apud ipsos, quod testantur, qui nobis regiones illas descripserunt. Ab extremis illis Orientis gentibus, luxu fere diffluentibus, res est translata ad viciniores. Nam & Macedones usurparunt postea, memoratq; Athenæus in pompa Antiochi lecticas plures, in quibus feminæ gestabantur. Verba ejus lib. V. c. 5. Ταύταις δ' ἑξῆς ἐπόμπευον ἐν χρυσόποσι μὲν φορείοις ὀγδοήκοντα γυναῖκες, ἀργυρόποσι δὲ πεντακόσιαι καθήμεναι πολυτελῶς διεσκευασμέναι. *His proximæ fuerunt octoginta feminæ in lecticis pedes aureos habentibus, & aliæ quingentæ in lecticis cum pedibus argenteis, magna impensa cultæ ac exornatæ.* Non est dubium, quin sermo sit, non de vehiculis carpentisve, sed lecticis, quia pedes non sunt, nisi in lecticis, uti ex sequentibus constabit. Fuit porrò hic Antiochus ex Seleuci posteris, qui post Antigonum Regnum Syriæ tenuit mortuo Alexandro Magno. Unde constat, Syris quoq; notas lecticas fuisse. Inde forsitan in Cappadociam Bithyniamq; inde Romam pervenerunt. Quando hoc sit factum, incerto est. Lipsius temporibus Gracchanis putat, quoniam sic legitur apud Gellium: *His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: & cum ignoraret, qui ferretur, per jocum interrogavit, num mortuum ferrent.* Verba hæc leguntur lib. X. c. 3. in quibus pro *ex Asia*, sine cunctatione *in Asiam* Lipsius existimat scribendum. Nos tamen subsistimus cunctamurq;, cum quo pacto flagitet hoc sensus, quod existimabat Lipsius, haud videamus. Annon enim missus esse Romam potuit ex Asia à Præside Provinciæ vel Prætore? Cum præsertim nominetur adolescens, qui necdum magistratum ullum caperet. Tales enim mitti à Romanis in provincias minimè solebant.

Et

Et est verisimile, habuisse lecticam illam secum ex Asia, ubi usus tum earum fuit frequentissimus, atq; ita spectaculum ridiculum præbuisse bubulco imperito. Cæterum quæ forma lecticarum fuerit, abunde satis traditum à Lipsio putamus lib. I. Elect. c. 19. Facit autem, duplices, alias tectas, alias verò apertas. Apertarum speciem simplicem, *asseres nimirum aliquos compactos, qui tapetem pulvinum oblongum possent, in quo homo singularis porrectus jaceret.* Quos hic vocat asseres, probat mox auctoritate Juvenalis Martialisq;. Verum illi alij fuerunt, nec qui constituebant lecticam ipsam, sed adjuncti, ut per eos posset gestari, ut deinde indicabo. Quare mallem tabulas vocare, quæ compactæ speciem habebant lecti funebris. Lectus funebris monstratur nobis in monumento M. Antonij Antij Lupi, tali specie, quod Lipsius ipse fatetur.



Jam verò lecto funebri lecticam similem ipse facit Lipsius, & confirmat joco Martialis lib. II. epigr. in Zoilum, quando ait:

*Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,*
*Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila.*

Neq; fuit causa, potior, cur bubulcus ille apud Gellium interrogaret, *num ferrent mortuum*, lectica primum visa. Scilicet lecticam vidit esse illi similem, quo mortui efferebantur. Igitur non facta esse potuit tam ex asseribus, quam tabulis quadratis longioribus, quemadmodum in lecto funebri videmas. Asseres, quorum meminerunt veteres, non pertinebant ad structuram ipsam lecticæ, sed gestationem. Svetonius clarissime in vita Caligulæ cap. 58.

*Ad primum tumultum lecticarij cum asseribus in auxilium accurrerunt.* Lipsius rectissime: *Ex hoc loco non vane quis suspicetur, asseres eos exemptiles fuisse, & facile in lecticam reponi potuisse aut tolli.* Si reponi potuerunt aut tolli, non profecto ipsa ex eis constructa esse debuit lectica. Atq; ita intellexit & Torrentius. Sic enim habet isto loco. *Asseres fuerunt ligna illa, quibus innixam domini lecticam humeris subibant. Iuvenal. Sat. III. ferit assere duro Alter. & Sat. VII. longo premit assere Medos. Martialis etiam: Vt canusinatus nostro Syrus assere sudet.* Ergo alia lectica, & alij asseres in lectica. Lectica lectus ipse; asseres, ligna quibus portabatur, unde Juvenalis appellavit *duros* & *longos*, item *premi* eis dixit Medos, quando nempè habent humeris impositos: quomodo & Martialis Syros eis *sudare*, subeuntes scilicet. Scholiasti Juvenalis nuncupantur *amites*. Nam Poetæ illud *assere duro*, sic exponit: *Amite lecticæ, lecticarios significat.* Sic distinguo illa verba, & asteriscum tollo. *Asserem* dicit esse *amitem lecticæ*, ibiq; Poetam agere de lecticarijs. Porrò amites propriè baculi furcati, quibus retia sustinentur. Scholiastes vetus Cruquij ad Horatij Epod. c. 2. *Ames proprie est furcula, ex qua rete suspenditur ad capiendas aves.* Porphyrio eodem loco: *Amites hodieq; appellantur furculæ, quibus retia in venatione vel aucupio suspenduntur.* Num hujusmodi & asseres lecticarij? Vix opinor; ita enim subjectos lecticæ ac suffulcientes eam tenuisse manibus necesse sit. At contra in humeris colloq; gestasse inferius patebit. Ideò existimo fuisse rectos simplicesq;, per lecticæ latus utrumq; collocatos in annulis fortasse, sic, ut possent eximi, multum ante lecticam prominentes antrorsum retrorsumq;. Nisi forte in lecticis gravioribus præter illos asseres interdum adhibuerint & furculas, quo facilius portarent. Lipsius eos asseres in vinculis aliquibus reponit, hucq; trahit verba Gracchi apud Gellium superius indicato loco. Sic enim post allata habent: *Vbi audivit, lecticam deponi jussit: stuppisq; quibus lectica deligata erat, usq; adeo verberari jussit, dum animam efflavit.* Verum asseres eos vinculis è stuppa, id est funibus cannabinis ad lecticam religari solitos vix credimus propter cæterum lecticarum istiusmodi ornatum, quo cum funes

parum

parum utiq; conveniunt. Deinde ne quidem deligati eis vinculis hic dicuntur asseres fuisse, sed lectica ipsa. Quare magis censeo significare funes, lecticæ subjectos, in quibus reponi pulvinus solebat. Hoc enim conveniebat mollitiei, nec ignotum erat vulgo in lectis dormitorijs. Quod vel Cato docet, quando etiam in villa requirit *lectos loris subtentos quatuor* lib. de R.R. c. 10. Nec fortassis alia est caussa, cur pulvinum illum *pensilem* vocarit Juvenalis Sat. 1. quam quod esset non in tabula repositus, sed suspensus funibus. Verba ejus hæc sunt:

*— — Vehatur*
*Pensilibus plumis, atq; illinc despiciat nos.*

Scholiastes ibi: *Pensilibus plumis: lectica, plumis strata.* Pensile profectò κρεμαστὸν, quod non convenit, nisi in id, quod in libero pendet aëre. Sic plumæ pensiles erunt liberæ, sine tabula subjecta solis funibus sustentatæ. Quanquam plumæ debeant intelligi non nudæ, sed infertæ sacco, unde Cicero *pulvinum* dixit. Verba ejus sunt in Verrem V. *Lectica octophoro ferebatur, in qua erat pulvinus perlucidus, rosa fartus.* Ubi nota, homines delicatulos pro plumis, rosas etiam adhibuisse hisce in lecticis, sicut nempe alias in lectis dormitorijs, quod alij notarunt. Pulvinum memorat & Seneca in de Consolat. ad Martian. cap. 16. *Equestri insidens statuæ in sacra via celeberrimo urbis loco Clœlia, exprobrat juvenibus nostris pulvinum ascendentibus in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus.* Pulvinum Lipsius hic accipit de lectica, vel pulvino in lectica, nec repugno. Puto tamen & de sella posse accipi. Cæterum lectica pedes etiam habebat, numero quatuor, ut ex lecto funebri, superius de picto colligas. His insistebat, si deponeretur. Pedes hi vulgatiter ex ligno. Docet Lipsius ex Catullo.

*Fractum qui veteris pedem grabati*
*In collo sibi collocare posset.*

Ditiores inducebant argento, quod demonstrat exemplo Athenionis Philosophi, cui Athenæus lib. V. c. 10. tribuit φορεῖον ἀργυρόπουν, id est *lecticam cum pedibus argenteis.* Addo ego, habuisse etiam ex auro, ex eodem Athenæi loco, verbis, quæ superius adduximus,

in quibus occurrunt φορεῖς non solum ἀργυρόποδες, verum & χρυσόποδες. Sed de ornamentis postea loquemur. Videamus lecticas opertas sive tectas. Mentio earum apud Ciceronem Philipp. II. *At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.* In his omnia eadem, quæ in apertis, ait Lipsius, nisi quod majorum deliciarum fuerint, contraq; aspectum hominum, sive injurias aëris clausæ undiq; ac munitæ. Munitæ autem pelle & velo, opere arcuato. Martialis.

*Lectica nec te tuta pelle velog;*
*asseret.* Possumus intelligere hic pellem dictam proprie, vel corium, sicut & in sella, quanquam plus in corium inclinem. Scriptor vetus apud Suidam: πλέγμα ποιήσαντες, φορείων τύπῳ γυναικείων, δέρμασι βοείοις ἐπιπλάσαντες ἀκατεργάστοις. *Fecerunt contextum simile lecticæ muliebri, coriisq; bovinis inelaboratis induxerunt.* Si hæc coria fuerunt ἀκατέργαστα, id est *inelaborata*, rudia, qualia detracta bovibus, ergò pelles. Quanquam auctor ille pelles hic respexerit per festinationem captas, ut opinor, non quales alias in lecticis communiter fuerunt. Nec de his existo quidem loco valide colligeretur, nisi aliunde constaret de ipsis. Opus arcuatum probat Lipsius ex verbis Taciti, quæ leguntur lib. XV. An. c. 57. ubi memorat Epicharin libertam *fasciam in modum laquei ad arcum sellæ* restrinxisse. Sed est ibi sermo non de lectica, verum sella, ut & in superioribus est indicatum. Tamen & lecticam opere arcuato tectam superne fuisse, haud negaverim, cum operiri aliter vix potuisse videatur. Nec fortassis aliter intelligendum πλέγμα Suidæ memoratum, quam de tecto bacillis aut viminibus arcuato, & inducto pellibus. Nam à lateribus quidem habuere fenestras, per quas possent prospectare. Docet Lipsius ex his Juvenalis, Sat. III.

*Namq; facit somnum clausa lectica fenestra.*
Quanquam hic de una tantum sermo sit fenestra, non pluribus, contra quam intellexisse Lipsius videtur. Neq; puto plures habuisse. Hæ fenestræ vulgo sine vitris fuisse videntur, at in lecticis muliebribus occlusæ vitris lapideve speculari. Unde Poëta idem Sat. IV.

*Magnæ*

*Magnæ si misit amicæ*
*Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.*

Scholiastes ibi: *Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.* Loquitur ambiguè, ostendit tamen, ita claudi consveviſse non sellas solum, verum etiam lecticas. Cæterum si clausæ specularibus aut vitris, aperta fuisse videtur, quæ his specularibus carebat. Ac fortassis, ut in sellis, ita quoq; in lecticis alia est tecta, alia vero clausa. Quod enim de velo ait Lipsius, eo tectas fuisse fenestras, neuter docet ex adductis ipsi locis. Aufidius Bassus in de morte Ciceronis: *Cicero paulum remoto velo, postquam armatos vidit: ego vero consisto, ait: accede veterane, & si hoc potes saltem rectè facere, incide cervicem.* Hic vela cerno, fenestras video nullas. Dicit quidem Lipsius de Cicerone: In lectica & quidem tecta interfectum. At de tecta nominatim hactenus non observavi quenquam agere. Igitur & superne tectam facilè largimur, clausam tamen specularibus aut fenestris difficulter possumus intelligere. Sanè si hoc modo clausa fuisset, non fuisset satis, removeri velum, sed & aperiri fenestram. De fenestra verò nemo loquitur. Quare clausa illa quidem vitreis fuisse non videtur, verum solis velis à lateribus instructa, quæ obtendi removerive possent, pro arbitrio. Vela *plagulas* appellavit Svetonius in Tito cap. 10. *Deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis cœlum.* Nullam hic fenestram aperit, sed solis plagulis dimotis cernit cœlum. Aliæ sunt *plagæ*, quarum Nonius facit mentionem, nec confundere cum his Lipsius debuit. Verba ejus: *Plagæ, grande linteum, tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam Sindonem dicimus.* Sindon lecticaria non est hoc loco, qua lecticæ occluduntur fenestræ, quod putavit Lipsius, sed qua obvelantur lecti. Docet vox toralis, quæ planè hoc significat, quod dixi. Nonius: *Torale & toralium stragulum est.* Glossæ Philoxeni: *Torale*, περίκλειστον. Vidit & Torrentius ad indicatum Svetonij locum. *Plagulæ*, inquit, *non totum illud lecticæ tegmen, sed quibus fenestra lecticæ obtegitur.* Rectè plagulas à plagis secernit, quoniam res diversissimæ fuerunt;

Quanquam plagulas feneſtris, quales quidem ipſe hic intelligit ex vitro ſpecularibusq; , fuiſſe obtentas fruſtra credi jam oſtenderim. Sed nec illud placet, quod hic tegmen quoddam facit lecticæ. Quis enim id legit hactenus, vel ubi fuit? Nempe non diſtinguit geſtatoriam lecticam à lectica dormitoria ſeu cubiculari. Dormitoria tegmen habuit ejusmodi, non geſtatoria. Dormitoria fuit ea in qua lectus reponi ſolebat; ſponda vulgo nuncupata, licet ſponda eſſet ex tabulis ligneis, hæc ex herbis. Varro: *Lectica, quod legebant, unde eam facerent, ſtramenta atq; herbas, ut etiam nunc fit in caſtris. Lectos, ne eſſent in terra, ſublimes in his ponebant.* Hic lectica non eſt, qua geſtantur, ſed qua cubant ſomni cauſa. Ea quondam facta ex ſtramentis, tortis videlicet conſutisque, mattæ inſtar, inq; ipſa lectus, qui torali ſternebatur vel integebatur. Nihil tale fuit in lectica geſtatoria. Non plagas habebat, verum plagulas, obductas lateribus. Sive autem plagulas has removerent, ſive attollerent feneſtras, *aperire lecticam*, ut opinor, dicebantur. Sic accipio Propertium, quando ait lib. IV. el. 9.

*Colla cave inflectas ad ſummum obliqua theatrum,*
*Aut lectica tuæ ſudet aperta moræ.*

Verba Cynthiæ ſunt ad Catullum. Vult, eum lecticæ nulli moram injicere, donec aperiatur, ut cum ea, quæ recumbit intus, poſſit confabulari. Cave, ait, ne lectica ſudet *moræ tuæ*, hoc eſt, propter moram tuam, quam tu injicis. *Sudet* autem propter lecticarios, multo cum ſudore ſuſtinentes lecticam, propter moram per confabulationem tuam injectam. Ita locum hunc expono, & ſi confabulandum eſſet, prius aperiendam lecticam hinc obſervo. Lipſius pro *ſudat*, exhibuit *ſidat*, indeq; correxit:

*Aut lectica tuæ ſit adoperta moræ.*

Sed non video, quid iſta ſibi velint. Explicavit quidem Lipſius hoc modo: *Nolo*, inquit Cynthia, *collum flectas ad ſummam caveam, ubi feminæ: nolo etiam lectica per viam te moretur clauſa, ne curioſe inſpicias, quæ aut qualis vehatur.* At ſi clauſa, quod vult Lipſius, & adoperta, qui morari potuit, quippe quæ ne quidem inſpici dabatur? Docet ſatis Ovidius lib. II. de Remedio amoris.

*Forte*

*Forte aderam juveni. Dominam lectica tenebat:*
*Horrebant sævis omnia verba minis.*
*Iamq; vadaturus, lectica prodeat, inquit.*
*Prodierat. Visa conjuge mutus erat.*

Hic non videt nec agnoscit conjugem in lectica clausa, donec prodijsset. Ergo quamdiu non aperitur, neminem morari lectica talis valet. Nec enim an omninò aliquis in ea vehatur, sciri potest. Non igitur de clausa vel adoperta sermo apud Propertium, sed aperta, eo, sicut dixi, modo. Ut verò ne aperiri quidem posset, consutam aliquando legimus. Svetonius Tiberij c. 64. *Nurum ac nepotes nunquam aliter post damnationem, quam catenatos, obsutaq; lectica, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam vel consistere.* Libri veteres, ut Torrentius observat, habent *obsitaq;*, non *obsutaq;*, quod significaret *cinctam, circumdatam.* Verum quia *obsitum* sic absolute non usurpant, verum addunt vel *milite*, vel *custodia*, vel alia quacunq; re, illud *obsutaq;* puto esse probum. Nempe quæ si *obsuta lectica* non intelligebant, qui pro ea *obsitam* scripsere. *Obsuta* est *consuta*, suturaq; junctis plagulis corisve ita clausa, ut nec intus nec exterius possit aperiri, nisi rupta sutura. Et hoc voluit Tiberius, ne cuiquam nurus nepotumq; tristis facies moveret animum, ne quem ipsi ad commiserationem sui & auxilium possent implorare. Invenimus autem has lecticas etiam ornatas, sive apertæ forent, sive non apertæ. Pedes aureos, argenteosq; supra memoravimus in illis. Ipsas quoq; cultas bracteis est verosimile. Talis Antonini apud Herodianum lib. V. cap. 8. Τὸν Αλέξανδρον, συγκαθεζόμενον αὐτῷ ἐν τῷ βασιλικῷ φορείῳ, ὅπερ διὰ χρυσοῦ πολλοῦ καὶ λίθων τιμίων πεποικίλτο. Politianus hæc sic reddidt: *Alexandrum secum in vehiculo Imperatoris considente, quod erat auro multo gemmisq; exornatum.* Ambigue. Nam & lectica inter vehicula. Scholiastes vetus Horatij lib. I. Sat. 2. *Lectica, vehiculum.* An intellexit currum? Atqui semper alij vel lecticam explicant, vel sellam. Appianus lib. IV. B.C. ubi agitur de Ciceronis proscripti fuga imminenteq; cæde. Οἱ θεράποντες ἐς φορεῖον ἐσθέμενοι τὸν Κικέρωνα, ἄνθις ἐπὶ τῷ θαλάσσῃ ἤγον. Plutarchus de eadem re in vita Ciceronis. Τὰ μὲν δεόμενοι,

μενοι, τὰ δὲ βία λαβόντες ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν. At hoc Brutidius Niger ita explicat Latine apud Senecam in Suasor. *Elapsus interim altera parte villæ Cicero, lectica per agros ferebatur.* Quæ Græcis φορεῖον, ea huic *lectica.* Onomasticon Argentoratense. *Lectica*, φορεῖον. Philoxenus similiter. *Lectica*, φορεῖον. Ad eundem modum legas & in Glossis Benedicti. Glossæ Græco-Latinæ; φορίον, *lectica, feretrum.* Itaq; vix dubito, quin lectica sit intelligenda in Herodiano. Cum præsertim Antonino huic, id est Heliogabalo conveniat. Equidem & Lampridius de eo c. 29. *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis.* Sed & hic non carpenta solum ac id genus alia cum rotis, verum etiam lecticæ sellæve poterunt intelligi. Auream lecticam usurparunt Indiæ reges. Curtius lib. VIII. c. 9. *Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat.* Atq; sic ornatas habuisse intelligimus eos, qui in eminentiori dignitate fuerunt constituti. Reliqui vulgaribus minusq; cultis utebantur. Qui fortassis & angustiores habuere. Inde namq; nomen etiam *lecticularum*, quod angustæ forent. Tacitus Hist. III. c. 67. *Simul ferebatur lecticula parvulus filius, veluti in funebrem pompam.* Usurpavit & Tullius modestiæ gratia, quod ipsum ostendit, minus arrogantes superbosq; lecticas habuisse minores. Verba ejus lib. VII. ep. 1. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta & tuere, ut facis, ut nostras villas obire, & mecum simul lecticula circumcursare possis.* At elatiores habuerunt laxas. Inde ludus Martialis lib. II. in Zoilum.

*Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit*

Cæterum qui lecticis hisce utebantur, cubare in illis resupini fere solebant, contra quam fiebat in cathedris sellisve, uti supra monui, Lipsiusq; docuit ex Ovidij lib. 1. de Arte.

*Interea, sive illa thoro resupina feretur;*
*Lecticam dominæ dissimulanter adi.*

Cui nunc addo Ciceronem, qui similiter in III. Verri de Verre: *Artagathum & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat.* Et quoniam cubabant, inde apud Senecam *cubile* pro lectica. Verba ejus lib. III. de Benef. c. 28. *Quo tandem ab istis*

*gerul-*

*gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus.* Cubabant autem in pulvino plumis farcto, quod superius ostensum est. Lecticam portabant servi per asseres ante dictos, impositos humeris vel cervicibus. De asseribus testatur Martialis:

*Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet.*

De humeris & cervicibus Plinius in Paneg. c. *Ante te principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu usum pedum amiserant. Illos ergo humeri cervicesq; servorum super ora nostra vehebant.* Dicit, *super ora nostra*, quia lectica eminebat supra homines ambulantes vulgo, & præsertim is, qui in ea ferebatur. *Supra capita* dixit Seneca, qui & *suspensum lectica* vocavit, quod in alto super humeros bajulantium esset collocatus. Verba ejus ep. 81. *Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraq; turbam delicatos lectica suspendit.* De cervicibus cognoscimus, præterea ex Luciano, qui sic in Cynico: κελεύετε τὺς ἀνθρώπυς ὥσπερ ἁμάξας τὰς κλίνας τοῖς τραχήλοις ἄγειν. *Iubetis homines, ut lecticas tanquam currus ferant in cervicibus.* Et ex Juvenalis Sat. VI.

*Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*

Scholiastes ibi: *Vehitur, id est, in lectica.* Unde constat, sic lecticam ferri solere. Quare falsus est Gonsalius ad Arbitrum, qui putavit *lora à collo pendentia ponderi minori cum labore sublevando interdum superaddita* p. m. 103. Locus Martialis, quem hoc fine laudat, nihil tale dicit. Extat lib. II. epigr. in fictum divitem.

*Quem grex togatus sequitur, & capillatus,*
*Recensq; sella, linteisq; lorisq;.*

Sermo hic est primum non de lectica, verum sella, de qua itidem haud constat, gestatoria ne sit intelligenda, num vero sedentaria. Deinde lora illa non dicuntur facere ad gestationem, sed spectare ad sellam; propter ipsa linteaq;, sella nominatur recens. Deniq; hæc lora Lipsius de vinculis accepit, quibus inserantur asseres, non pendentia à collo gerulorum, sed colligata in lectica. Quare lora nil huc faciunt. Ostendunt potius, ut arbitror, structuram sellæ plicatilis, quæ linteo, in quo sedebant, subtenta lora habuit, quibus sustinebatur, sicut hodieq; in ijs videmus. ὀκλασίας Græci appella-

runt, uti pluribus à Chimentellio est monstratum. Neq; fuit aliud *faldistorium*, quod ipse vocat *genus sellæ humilioris, & plicatilis, sine reclinatorio aut suppedaneo* p. m. 89. Disputant de eo eruditi, atq; in diversas eunt sententias. Ego nullus dubito, quin pro *faldistorio*, legi *faldistolium* oporteat. Sic enim tota integreq; erit Germanicum, à *falde, falte*, quod hodieq; *plicam* denotat, & *stol*, quod est etiam nunc *sella*. Tale *faldistolium*, seu δικλασίας in summo habuit lora, & super ea corium seu linteum, quæ quia fuerunt recentia, sellam recentem apud Martialem demonstrarunt. Unde nil ex eo de loris à collo gerulorum dependentibus Gonsalius colligere debebat. Servi porrò ad negotium hoc capti longiores ac proceri. Sic colligimus ex verbis Juvenalis antea adductis, ubi nominatim *Syros longos* in lectica memorat. Simili ratione habet Sat. VI.

— *Ingenti curret super ora Liburno.*

Dubitat Lubinus, an de lectica, num vero lecticarijs debeat accipere, imo *Liburnum* dictam lecticam putat. Verba ejus ad hunc locum. *Liburnum magnam lecticam dicit, quasi navem, & ejus bajulos liburnos. Est enim navis species à Liburnis populis. Vel intellige de lectica & grandibus è Liburnia servis lecticariis.* Ego vero liburnum de lectica nusquam scio usurpatum. Puto autem Lubino imposuisse Scholiastem veterem, qui sic habet isto loco: *Liburno, à lectica magna Liburnatos & Getulos Liburnos. Ipse, tarde venisse Liburnos, in secundo libro.* Verba hujus *à lectica magna* ita intellexit, ac si τὸ *Liburno* explicarent. Ideo *liburnum* dixit esse *magnam lecticam*. At hæc mens non fuit Scholiastæ, quasi à liburno, id est lectica magna dicerentur liburnati, seu liburni, verum contra Liburnatos & Liburnos esse dixit à lectica. Ubi *à lectica Liburni* sunt, qui eam gestant, quomodo frequentissime habemus *à custodia armorum, à Corinthiis, à fibulis, à pugione, à tabulis* & id genus apud veteres, pro ministris servisq;, qui hæc talia curant. Sed qui *Getuli Liburni*, quos hic ipse Scholiastes memorat? Equidem sunt noti satis Getuli, sunt & Liburni, & Liburnos Getulos non puto quenquam observasse. Quare mihi non est dubium, quin legi *gerulos* debeat. *Geruli Liburni* sunt, qui lecticas gerunt. Ita Seneca supra

pra III. de Benef. c. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis.* Ipse Scholiastes libro secundo, quem laudat, id est Sat. VI. ijs verbis: *Tarde venisse Liburnus. Liburnus, nuncius, aut certè lecticarius, aut gerulus lecticæ, quæ liburnata est.* Vocat *liburnatam lecticam*, non, quod esset è Liburnia, sed quod servis Liburnis gestaretur. Gestabatur autem frequentissime à Liburnis, quoniam fuere proceri. Eadem fuit ratio in Syris atq; Cappadocibus, quos in lecticis memorat Martialis, & Germanis, quos nominat Tertullianus. Omnes illi populi proceri fuere. De Syris vidimus. De Cappadocibus firmat Fragmentum Petronij Tragurianum p. 34. editionis nostræ. *Habebamus tunc hominem Cappadocem, longum, valde audaculum.* De Germanis præter alios & Tacitus Hist. V. c. 15. *Germanos fluminibus suetos levitas armorum, & proceritas corporum attollit.* Voluerunt autem omnes istos esse longos, quo magis super alios in lectica sublati extarent, hoc enim decorum, & spectabile putabant. Porrò non proceritatem modo, sed & formam decentem in eis spectabant. Ideo Seneca ep. 110. *Hoc ipse mihi dico, quoties occurrit cohors culta servorum, lectica formosis imposita calonibus.* Accedebat decor vestimentorum, pænulæ præcipuè, quod ipsum quoque Lipsius observavit. Seneca de Benef. III. c. 28. *Quo tandem ab istis gerulis raperis, cubile istud tuum circumferentibus? quo te pænulati isti, in militum quidem non vulgarem cultum subornati? quo, inquam, te isti efferunt?* Dicit *efferunt*, è domo scilicet in publicum, nec cum Lipsio scribendum *ferunt*. Vocat autem pænulatos non vulgari cultu, unde id colligitur, quod dixi. *Canusinatos* appellavit Martialis lib. IX.

*Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet.*

Scilicet *Canusinati* à *Canusina*, quomodo vocata pænula, quod apud Canusium optime texeretur, sicut ait Cl. Salmasius ad Tertulliani Pallium p. 80. Plinius lib. VIII. c. 48. *Lana laudatissima Appula. Appulæ breves villo, nec nisi pænulis celebres, circa Tacentum Canusiumq; summam nobilitatem habent.* Fuerunt autem illæ pænulæ lecticariorum rufæ, quales militum. Inde supra *in cultum militum subornatos.* Seneca dixit, quod doctissimus Ferrarius in de Re Ve-

ſtiaria Par. II. lib. II. cap. 8. diligentiſſime monſtravit. Numerus eorum minimus in qualibet lectica quaternarius fuiſſe videtur. Ita colligas ex lectica, qua Philologia ſubvecta eſt in cœlos apud Marcianum lib. II. In ea namq; tantum quatuor, Labor, Amor, Epimelia, & Agrypnia, quod jam Pignorius notavit. Senarium tamen docent auctores, quia fuit frequentiſſimus. Inde habes illud, etiam Lipſio laudatum: *Quid te Cappadocum ſex onus eſſe juvat.* Iſtiusmodi lectica *hexaphoros* appellabatur. Cicero in Verrem V. *Nam ut mos fuit Bithyniæ regibus lectica hexaphoro ferebatur.* Ita habet editio Lambini & Gothofredi. Gruteri verò cum nonnullis alijs *octophoro.* Et convenientius videtur, propter regium lecticæ ſplendorem. Sive autem hoc, ſive illo modo legas, vocem *lecticæ* puto ſupervacuam, & ex Gloſſa irrepſiſſe. Solent quippe alij omittere. Martialis:

*Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit.*

Idem lib. VI. ep.

*Invidioſa tibi quam ſit lectica requiris?*
*Non debes ferri mortuus hexaphoro.*

Ad eundem modum ſolent in octophoro. Svetonius Caligulac. 43. *Iter fecit, interdum adeo ſegniter, & delicate, ut octophoro veheretur.* Apulejus Apolog. II. *Vectabatur octophoro. Vidiſtis profecto ipſi qui adfuiſtis, quam improba juvenum circumſpectatrix.* Eſt autem *octophoros* lectica, quæ ab octo fertur: nam & octo in ea habere ſolebant. Martialis:

*Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ.*

Maximus hic numerus fuiſſe videtur, ſicut fortè minimus quaternarius. Nam quod duos quoq; putat geſtaſſe Gonſalius, mihi equidem haud perſvadet. Colligit id tamen ex Petronio, qui ſic habet: *Procurator inſulæ Bargates à cœna excitatus à duobus lecticariis in mediam viam perfertur, nam erat etiam pedius æger.* Hic Gonſalius: *Tenuiorum olim lecticæ parvæ erant, ut commode à duobus ſervis poſſent perferri.* Quia lecticariorum hic fit mentio, etiam de lectica cogitavit. Verum non continuò neceſſe eſt: Sunt lecticarij Petronio etiam miniſtri tricliniorum, qui ſupellectilem curant.

Ut

Ut in illo: *Insecutus est lecticarius, argentumq; inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere.* Sunt aliis illi, qui gestant sellas, uti loco alio monstravi. Et possumus accipere de iis, qui solis ipsum gestarunt humeris, fuit namq; & hoc usitatum, allusitq; Auctor Declamationis in Ciceronem istis verbis: *Quem Iupiter optimus maximus in consilio Deorum admisit, Italia exulem humeris suis reportavit.* Qui sic alios gestabant *succollare*, quiq; gestabantur, *succollari* dicebantur. Sueton. in Ottone. c. 6. *Laxato calceo restitit, donec omissa mora succollatus* est. Casaubonus ita explicat: *Liberi homines in armos & collum receptum eum bajularunt vicibus.* Hoc modo & procurator ille succollatus esse potuit à duobus lecticarijs non ad lecticas ferendas, sed lectos in triclinio curandos constitutis, cum præsertim excitatus à cœna dicatur. Neq; enim fieri omninò potuit, ut lectica etiam minima, & in ea cubans adultæ ætatis homo à duobus tantum rectè gestaretur. Porrò sic lecticis bajulandis destinati vocabantur *lecticarij*, ut notum, item *geruli*, ut indicatum in superioribus. Græcis sunt φοεωφόροι. Glossæ veteres: φοριοφόρος, *lecticarius*. Onomasticon Argentoratense κλινοφόρους reddit. Sed φοριοφόρος habet etiam Plutarchus in Galba. Ἀλλὰ ξίφεσι γυμνοῖς φεύγοντες ἀπὸ τ̃ φορεῖον, ἐκέλευον αἴρεσθαι, πραφεύγομένης πολλάκις ἀπολωλέναι, καὶ τὰς φοεωφόρους ἐπιλαχύνοντες. Ita puto ibi legendum, nisi malis utrobique & apud ipsum, & in Glossis scribere φορειοφόρος. Nam φορεαφόρος, quod nunc in Plutarcho legitur, sine dubio est corruptum. Habebant autem istos lecticarios cum cæteris servitijs sumptu paratos suo. Aliquando munere amicorum, præsertim mulieres. Inde Martialis illud IX. in Lupum.

*Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.*

Minus opulenti conducebant. Habebantq; hoc fine Romæ *corpora*, item *castra lecticariorum*, sicut docent veteres inscriptiones. Ubi castra intelligimus certa loca per urbem, ubi stabant parati ad ministerium, si quis vellet conducere. Memoratq; P. Victor in Regione XIV. Trans Tiberim, *Castra lecticariorum.* Videntur autem corpora hæc constitisse non tam ex servis, quam conditionis imæ plebejis, præcipuè libertis. Inscriptio vetus:

TI. CLAUDIO
AUG. LIB.
TIGRANO
EX CORPORE
LECTICARIORUM CÆSARIS.

Nominatim hunc appellat libertum. Quod autem dicit fuisse illum Claudium ex corpore lecticariorum Cæsaris, ignoro, an pertineat eo, ut constet Cæsarem ejusmodi habuisse corpus in usus suos privatos, num vero potius id corpus Cæsaris auctoritate fuisse constitutum in usus publicos & communes. Solebant enim Cæsares auctoritatem suam dare his corporibus. Unde Marcianus l. 3. ff. de Collegiis: *Nisi ex senatusconsulti auctoritate vel Cæsaris collegium vel quodcunq; tale corpus coierit, contra senatusconsultum & mandata & constitutiones, collegium celebrant.* De libertis eo minus dubitari posse videtur, quoniam & alias subire lecticas honoratiorum grave non ducebant. Unde Martialis lib. v. epigrammata ad Candidum.

*Exigis à nobis operam sine fine togatam,*
*Non eo, libertum sed tibi mitto meum.*
*Non est, inquis, idem. Multo plus esse probabo,*
*Vix ego lecticam subsequar, ille feret.*

Quando ait, *vix ego subsequar*, consvetudinem respicit officij, quòd supra dixit *operam togatam*. Solebant enim honoris causa comitari lecticas amicorum honoratiorum per vias publicas. Atq; hoc intuitu Poeta idem lib. X. epigr. in Paulum.

*Lecticam, sellamq; sequar, nec ferre recuso.*

Ubi nota, fuisse consvetudinem eandem in sellis, quod & ex alijs illius locis novimus. Dicit autem ne se quidem recusare lecticam ferre, nempe ipse quoq; paulò ante dixerat, se *de plebe Numa, densaq; turba* esse. Unde verosimilius evadit, quod est dictum de libertis. Honorem verò eum sicut viris, ita fœminis præcipuè præstabant. Quo respexit illo monito Poeta Ovidius lib. 1. de Arte.

*Lecticam dominæ dissimulanter adi.*

Ac

Achi quidem, quos Catullus nominavit *homines ad lecticam*. Nam jumenta usurpasse nusquam invenimus. Aliud id fuit genus, quod jumentis ferebatur, ut liquebit suo loco. Rectè Lipsius: *Nunquam, nisi homines ad lecticam, aliter, quam in esseda aut in rheda. Si fallo, jumentum ego.* Equidem observo apud Plinium in lectica elephantos. Ita enim habet lib. VIII. c. 2. *Postea & per funes incessere* (elephanti) *lecticas etiam ferentes, quaterni singulas.* Vel, ut habent alij, *lecticis etiam ferentes.* Ubi numerus quaternarius homines quatuor exprimere debebat, quia minimum quatuor in lectica fuere. Sed fuit ea lectica non ordinarij vel recepti generis, verum admirationis & spectaculi caussa sic ornata, ut nil derogare queat Lipsianæ observationi. Cæterum lecticæ omnes in promiscuo pæne usu viris fœminisq;. Cicero lib. X. ad Atticum ep. 12. *Servius Cytheridem secum lectica aperta portat, altera uxorem. Septem præterea conjunctæ lecticæ, amicarum hæ sunt, an amicorum.* Habes hic lecticas, & in eis viros feminasq;, imo, quod notandum, feminam etiam in aperta. Verum fuit hæc amica ejus, mulier parum pudica, in qua nil fuit mirum. Nam & alias meretriculæ aut pudoris prostituti fœminæ solebant. Cicero iterum Philip. II. *Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur.* At cæteræ magis utebantur tectis, sive clausis. Dio lib. LVII. ὅλως γοῦν τοι κακῶς διέκειτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ καλαςέγῳ ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι. Νομιζόμενον γοῦν τε ἐς τοὺς ἀνδράσιν, ᾧ ποτέ τις ἀπὸν ἀδενῶς ἔχων ἐκεῖσε ἐσίοι, καλακείμενον αὐτὸν ἐσφέρεσθαι. *Adeo male affecto corpore tum erat* (Tiberius) *ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in Senatum adveherentur.* Καὶ τοῖς ἀνδράσιν ait, h.e. viris quoque, quod videlicet vulgo magis pertinerent ad feminas. Neq; aliud φορεῖον γυναικεῖον opinione mea apud Suidam, verbis, quæ à nobis etiam supra sunt laudata. Πλήγμα ποιήσαντες ἐκ λύγων, φορεῖον τύπῳ γυναικείων. Dicit contextum illum habuisse speciem, quam lecticæ muliebres, & per *lecticas muliebres* tectas seu opertas intelligit, quod ex loco toto colligitur. Ita Dio rursum lib. LX. Πρότερον δὲ ἄρα ὅ, τε Αὔγυς ⟨illegible⟩ καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τινὲς ἐν σκιμποδίοις,

ὅτε ἐφέροντο. *Prius vero Augustus & Tiberius, & nonnulli alij vehebantur in lecticis, qualibus mulieres etiam nunc utuntur.* Hic σκιμπόδια, ὅποιοις αἱ γυναῖκες νομίζουσιν sunt Suidæ φορεῖα γυναικεία, id est lecticæ non quælibet, sed tectæ, seu opertæ. Nam σκιμπόδια proprie *lecticæ*, quod jam Lipsius notavit. Adhibebant tamen viri quoque, ut videmus, sed, quod ex superiore loco Dionis intelligimus, vix, nisi ægrotantes, ac infirmi, maximè in urbe. Unde venit explicandum, quod habet Martialis lib. VI. epigr. in Philippum.

*Octophoro sanus portatur Avite Philippus*
*Hunc tu si sanum credis Avite, furis.*

Hieronymus Mercurialis ex hoc loco colligi existimat, notatos, qui plures servos in lectica, quam sex numero, habere vellent. *Martialis*, ait lib. III. Gymnast. c. 11. *Philippum quendam insanum vocat, quod ab octo servis lectica ejus ob quandam divitiarum inanem ostentationem per urbem gestaretur.* Sed est falsus Hieronymus Mercurialis. Octophori frequentes satis in urbe fuerunt. Id notavit potius in Philippo Martialis, quod cum esset sanus, id est valens, integrisq; corporis viribus, octophoro gestari voluerit. Scilicet octophorus opinione mea fuit muliebris fere lectica, quia tecta occlusaque, ac ex eo ponderosior. At tecta opertaq; tantum pro infirmis. Octophoron mulierum fuisse docent plurima scriptorum loco. Apulejus Apologia II. de puella sponsa: *Vectabatur octophoro.* Martialis:

*Octo Syris suffulta datur lectica puellæ:*

Quod si ergò vir, præsertim in urbe, utebatur octophoro, vel ægrotus, vel stulte ambitiosus ac delicatus habebatur. Atque huc respexit Martialis in superiori loco, lusitq; ambiguitate vocis *sanus*. Si hunc credis sanum valentemq;, furis, quia nemo valens tali utitur lectica, inter viros. Ergò necesse est, ut sit non sanus, si non corpore, saltem mente. Et quia octophorus lectica muliebris, ideò in viris notata, nisi ægrotarent. Cum præsertim tarde molliterq; incederet. Sueton. Calig. c. 43. *Iter conficit modo festinanter &*

*ter & rapide, interdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur.* Uti tamen observamus, majorem earum apud viros fuisse usum in vijs extra urbem, quam in urbe. Sic enim & Verrem legimus octophoro fecisse iter apud Ciceronem. Et quia octophori lecticæ opertæ, ideò id ipsum nominatim de opertis quoq; videmus, usum earum crebriorem in itineribus fuisse. Cicero Philippica II. de Antonio. *Cum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.* Non tam notat, quod sit usus lectica operta, quam quod ea per oppidum iter facere voluerit, contempto omni civium officio, quo eum honorabant. Similis lectica Julij, qua ex prætura proficiscens in Hispaniam avexit Masintham apud Sveton. c. 71. uti Lipsius judicavit. At in urbe fuit hoc rarissimum. Soli ægrotantes, & in dignitate certa constituti quidem utebantur, præterq; ipsos feminæ. De quibus probat amplius & Juvenalis illo versu:

*Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.*

Item, Ovidius lib. II. de Remed. Amoris, ubi describit conjugem lectica prodeuntem, quam maritus ante videre non poterat. Habet quoq; Martialis, quæ huc faciunt, & à nobis explicata sunt in superioribus. Præter viros autem & mulieres observo seorsum lecticis gestari solitos pueros ætatis necdum adultæ, etiam post introductum usum sellarum, quorum usus eis non permittebatur, antequam adolevissent. Huc respicitur eo Svetonij loco ex Domit. c. 2. quem & alias laudavimus. *Ob hæc correptus, quò magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, sellamq; ejus ac fratris, quotiens prodirent, lectica sequebatur.* Dicit ætatis admonitum, per lecticam, in qua ferebatur, quod intelligi non potest, nisi eo modo, quia pueri impuberesq; non sellis, sed lecticis vehebantur. Ideò & apud Tacitum Hist. III. c. 67. de Othonis filio sic legitur: *Simul ferebatur lecticula parvulus filius.* Ferebantur autem non unus solus semper, quod in sella videtur factum, sed & plures. Svetonius de Nerone vita ejus c. 9. *Ac deinceps ejusdem* (matris) *sæpe lectica per publicum simul vectus est.* Cicero lib. X. ad Atticum

ep. 12. *Servius Cytheridem secum lectica aperta portat.* Et lib. II. ad Q. Fratrem ep. 9. *Marium autem nostrum in lecticam me hercule conjecissem, non illam regis Ptolemæi Anicianam. Memini enim cum hominem portarem ad Bajas, Neapoli, octophoro Aniciano, machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cum ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam, & pæne ille timore, egorisu corrui.* Locus elegans, & qui firmat partim octophorum lecticam esse, partim, quod superius observavi non apertam, verum tectam, & has tectas ab ijs, qui vehebantur potuisse aperiri. De cætero sic fuisse clausas, ut quid foris ageretur, minimè possent cernere. Quomodo hic Ptolemæus nihil scit de comitatu suo certumq; illis machærophoris, priusquam lecticam aperuisset. Liquet autem simul in eadem lectica vectum & Ptolemæum regem, & Ciceronem, nec enim timorem illum ejus alias hic potuisset deprehendere. Deniq; fuisse lecticam non Ciceronis, sed Anicij alicujus, ut opinor, quam propterea *Anicianam* appellavit. Ac fortasse scripsit Cicero non *Marium nostrum in lecticam*, verum *nostram in lecticam*, ut esset manifestior oppositio inter τὸ *nostram* & *Anicianam*, liqueretque, Ciceronem pro se non usum octophoro clausa, sed lectica aperta, ut solebant cordatiores, quippe in qua nil posset istiusmodi accidere Mario, quod acciderat regi Ptolemæo. Nam eodem fere modo scripsit quoq; lib. VII. ep. 1. *Tu modo istam imbecillitatem valetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis, ut nostras villas obire, & mecum nostra simul lecticula concursare possis.* Delent illud *nostra* cum tamen veteres codices fateantur agnoscere. Sanè si lectica vehi Marius (ad quem hæc epistola est scripta) non eodem debuit cum Cicerone, concursare etiam cum eo non potuit. Videtur enim *concursare* isto loco non solum significare socium itineris præbere, sed & confabulari, colloqui, quoniam præcedit; *docebo profecto, quid sit, humaniter vivere.* Quicquid sit, hoc manifestum est, plures etiam lectica una eademq; vehi consveviſse. Nec fortassis aliter exponi debet illud Juvenalis I. Satyra.

— — *Dentissima centum*
*Quadrantes lectica petit, sequiturq; maritum*

Lan-

*Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.*

Ut sit *densissima, plena hero, uxore, liberis*, quod Lubinus censebat. Lecticarum porrò usus vetustissimus in viis erat extra urbem. Ita videmus vel illius juvenis exemplo, qui temporibus Gracchanis iter lectica fecit Romam. Sed & postea Verres & Cicero ipse usi sunt lecticis in peregrinatione, uti constat ex superioribus. Neq; viris modo ea consvetudo, verum multo magis feminis, si faciendum esset iter. Sic enim & Servius uxorem suam gestari facit lectica apud Ciceronem X. ad Atticum ep. 12. Postea res est translata & in urbem, quod sub tempore Julij Cæsaris Lipsius existimat cœpisse. Ubi quidem brevi tempore invaluit adeò, ut is ipse Julius legem scribere cogeretur, promiscuumq; illarum usum tollere. Verba Svetonij cap. 43. *Lecticarum usum, item conchyliatæ, vestis & margaritarum, nisi certis personis & ætatibus, perq; certos dies, ademit.* Eusebius in Chronicis hæc sic exponit. *Prohibitæ lecticis uti margaritisq;, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quadraginta.* Quibus verbis intelligimus, legem eam respexisse feminas potissimum, fortassis, quod in viris necdum ita usus lecticarum factus esset frequens, neq; usurparent fere, nisi languidi ac ægrotantes, Cæsare, paucisq; potentioribus exceptis. Videnturq; huc spectare verba Dionis supra etiam laudata, & lib. LVII. *Tiberius adeo male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit, concessus enim erat viris etiam harum usus, ut qui per valetudinem aliter non possent, eo modo in Senatum adveherentur.* Docet autem Eusebius personas illas certas fuisse, quæ haberent maritos, justoq; matrimonio sublatos liberos. Unde constat, ante usurpasse etiam innuptas, nec has modo, sed & meretriculas. Deinde ne illis quidem omnibus concessum lecticarum usum, sed si excessissent annum quadragesimum ætatis. Qui verò dies illi certi fuerint, per quos concessus mansit usus ille, id Eusebius haud declarat. Ego suspicor, sacrorum & ludorum publicorum dies fuisse. Ac huc traho illud Propertij lib. III.

*Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum*
*Nec lectica tuæ sudet operta moræ*

Docet sanè, his lecticis adire theatra consveviſſe. Idem firmat Juvenalis Sat. VI.

*Vt ſpectet ludos, conducit Ogulnia veſtem,*
*Conducit comites, ſellam, cervical, amicas.*

Equidem hic ſermo eſt de ſella, ſed illius fuit eadem cum lectica ratio, & lecticæ loco cœpit uſurpari. Deniq; cum lecticarum uſus promiſcuus prohiberetur, ſellas ſurrogaſſe videntur. Ita factum, ut Tiberij ævo lecticæ mulieribus deſinerent in uſu eſſe ſolis Senatorum uxoribus exceptis. De quo Dio lib. LVII. agens de Libone Druſo. Νοσήσαντα δὲ ἐκεῖνον θάνατον ἔν τε σκιμποδίῳ καλαῖς ἐγκαλύψαντες, ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὸ γερουσίαν ἐσεκόμισε. *Cum vero ægrotaret ad mortem, in lectica operta, quali utuntur Senatorum uxores, in Senatum delatus eſt.* Quanquam poſtea per æmulationem harum cœperit revocari. Quo fortaſſe reſpexit Juvenalis, qui ſub Nerone ſcripſit:

*Eſt ratio ulterior, magnæ ſi miſit amicæ*
*Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.*

Niſi hanc quoq; velimus Senatoris conjugem fuiſſe, quia magnam nominat amicam. Nam & illa, quam cum viro dicit veniſſe ad petendũ ſportulum, fuit Senatoria, lib. I. id quod Scholiaſtes quoq; vetus ibi obſervavit. Quicquid ſit, Domitianus ſaltem uſum earum fœminis probroſis ademit. Svetonius in vita ejus cap. 8. *Probroſis fœminis lecticæ uſum ademit.* Ubi puto non tam meretrices ſignificari per *probroſas fœminas*, ita enim hac locutione minimè fuiſſet opus, & jam ante ipſis fuit hoc prohibitum per legem à Tiberio latam, quam ex nuptis eas, quæ cum alienis conſveviſſent viris, ac ob ſtupra vel adulteria palam eſſent infames. Porrò non in fœminis ſolummodo circa uſum lecticarũ obſervatum, ne promiſcuus foret, verum etiam in viris: Diſco ex Svetonio, quando de Claudio c. 28. *Libertorum præcipuè ſuſpexit & Harpocram, cui lectica per urbem vehendi, ſpectaculaq; publicè edendi jus tribuit.* Oſtendit clariſſime hic locus, libertis, etiam Cæſaris, lectica vehi per urbem minimè conceſſum fuiſſe. Solos ergo pertinebat ad ingenuos, ac ne illos quidem omnes, ut jam ex ſuperioribus conji-

citur.

citur. Quod si præterea uti ea voluere alij, hoc seorsum impetrare à Principe debuerant, qui nimirum contra latas ea de re leges jus habebat conferendi hujus beneficij. Non tamen ad Consules solos, quod quis suspicari possit eo, quia Mamertinus c. 30. vocat *lecticas consulares*. *Pæne*, inquit, *intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas consulares jussit inferri*. Nam lecticas consulares puto hic accipiendas, quia ijs consules tum vehebantur, non, quod soli consules. Quin imò Chimentellius non lecticas ibi, sed curules sellas putat exponendas. Sed obstare videtur, quod præcedit, *pæne intra ipsas Palatinæ domus valvas*. Nam curules non solũ *pæne*, sed *omninò* ac revera intra valvas eas ferebantur. Neq; sedes alia Consulibus in Senatu & Palatio, quod ille ipse testatur. Igitur ibi sermo de lecticis veris, quibus Consules futuri deferebantur ad curiam. Postea demum sequitur de curulibus. *Et cum honori ejus veneratione q; cedentes sedile illud dignitatis ampliſſimæ recusaremus, suis nos propè manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes*. Hic non est *sedile*, quod paulò ante vocavit *lecticam*, nam de alia re agitur. Supra memorabat aditum Consulum ad Palatinam domum, hic verò abitum. Tum erant Consules futuri, nunc confirmati. Quare verba ista puncto etiam majore à superioribus dividi debuerunt. Quanquam ergo Mamertinus dixerit lecticas Consulares, tamen usus earum pertinuit & ad alios, ut Senatores, quod exemplo Senatoris sportulam petentis apud Juvenalem patet. Nec his modo, sed Equitibus etiam, ditioribusq; alijs concessus lecticarum usus, ut exempla docent. Fiebatq; hoc non pompæ semper gratia, sed quandoq; usus alicujus caussa. Nam & legere in ea, imo scribere etiam solebant. Juvenalis Sat. III.

— *Ingenti curret super ora Liburno,*
*Atq; obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.*

De lectica loqui certum est, docetq; præter Scholiastem versus sequens ipsius Juvenalis, quem adducam in sequentibus. Igitur hic quærat aliquis, qui scribere potuerit, cum in ea cubarent, quod superius est dictum, ut cubarent resupini? Verum non existimo, fuisse perpetuum ut jacerent resupini, contra viros præsertim in

siniſtrum paulo inclinatos cubuiſſe latus, quomodo & alias ſolebant cubantes legere ac ſcribere in lectis, ut teſtatur Svetonius in Auguſto c. 78. & ibi Caſaubonus, ut nil miri, vel inſoliti hic cogitari debeat. Docet autem Juvenalis, non modo legere ac ſcribere, ſed & dormire in lecticis ſveviſſe, additq; cauſſam,

*Namq; facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.*

Dicit, ſomnum conciliari, ſi claudatur feneſtra, obducto ſcilicet velo, credo, quod ſic fierent obſcura intus omnia, & tenebris nocturnis ſimilia. Solebant & lecticis uti ſui occultandi gratia. Quomodo de Antonio Tullius Philipp. II. *Obviam ei proceſſit magna ſanè multitudo. At iſte operta lectica latus eſt per oppidum, ut mortuus.* Noluit à quoquam ſalutari, propterea ſe intra clauſam abdit lecticam. Similiter clientem ſuum Cæſar abdit intra lecticam. Svetonius c. 71. *Maſinthamnobilem juvenem & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultavitq; apud ſe diu: & mox exprætura proficiſcens in Hiſpaniam, inter officia ſtatim proſequentium faſcesq; lictorum lectica ſua avexit.* Videntur & in noxiis hoc obſervaſſe, quando trahebantur ad ſupplicium, præſertim ſi fortunæ conſpectioris eſſent. Tacitus III. An. c. 14. de Piſone, parricidij inſimulato. *Igitur inditus lecticæ & à tribuno prætoriæ cohortis deductus eſt, vario rumore cuſtos ſalutis an mortis exactor ſequeretur.* Hic aliqui credunt Piſonem lecticæ inditum abſtrahi ad ſupplicium capitale, quod non potuiſſent, ſi non interdum ſic fuiſſet receptum. Ægrotantes vectos lecticis, alias jam demonſtravi. Tacitus de Libone II. Anal. cap. 29. *Die ſenatus metu & ægritudine feſſus, ſive, ut tradidere quidam, ſimulato morbo, lectica delatus ad fores curiæ.* Nota, non in ipſam curiam, ſed ad fores curiæ ſic delatos. Debetq; hinc exponi Dio, quando remeandem explicans lib. LVII. ſic ait: Νοσήσαντα τὸ ἐπὶ θάνατον ἔν τε σκιμποδίῳ καλας ἐγῳ ἐς τὴν γερυσίαν ἐσεκόμισε. *Cum vero ægrotaret ad mortem, in lectica operta in Senatum delatus eſt.* Illud ἐς τὴν γερυσίαν non ſic debet accipi, quaſi lectica ejus collocata fuerit in medio Senatu, ſed ut Tacitus explicavit, qui propterea in ſequentibus *innixum fratri* dixit. Neq; aliter intelligo eundem, quando de Tiberio ſimilima locutione lib. LVII. ἔτω γάρ τοι κακῶς διέκειτο,

ὥς ε

ὥς ἐν σκιμποδίῳ κάλας ἐχόμενος ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι. *Adeo male affecto corpore tum erat, ut in lectica operta in curiam illatus fuerit.* Lectica latum arbitror non in ipsam curiam, sed ad ejus fores, nam in ipsam quidem ferri quenquam, receptum non fuisse puto. Sed hi quidem ægrotantes usi lecticis, quia pedibus incedere haud poterant. Alij id faciebant eo, ut hoc motu recuperarent valetudinem. Ut phthisici, quibus svadet Celsus lib. III. c. 22. Verba ejus post recensionem aliorum: *Si navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est.* Alexander Trallianus etiam hydropicis commendat lib. IX. Κίνησις δὲ εἴπέρ τι ἄλλο, τοῖς ὑδροπικοῖς συμβάλλεται, καὶ μάλιστα ἡ διὰ θαλάσσης, ἵππου, καὶ λεκτικίου. *Motus, si quid aliud, hydropicis conducit, præcipue qui fit per mare, equum, & lecticam.* Quibus verbis simul discimus, recentiores Græos appellasse λεκτίκιον, quod Latini *lecticam.* Alij prævenire hac exercitatione morbos quærebant. Quanquam in multis fuerit mollitiei ac luxurię prætextus iste. Unde Seneca de Brev. vitæ c. 12. *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt.* Ac hæ quidem sunt lecticæ, quarum inter instrumenta gestationum sive in urbe, sive extra eam in vijs itineribusq; crebro veteres injiciunt mentionem. At præter has habuerunt foris quidem lecticas militares, domi vero lucubratorias & funebres. Lecticarum militarium vetus mentio, longeq; ante, quam in urbe cœperunt innotescere. Pertinebantq; ad duces fere ægros ex vulneribus, vel causis alijs. Ita Cn. Scipio tragula confixus in aciem delatus est lectica. Livius lib. XXIV. c. 42. *Ibi iterum Scipio lecticula in aciem illatus conflixit.* Et jam ante bello Punico primo etiam in prælie navali usus est Lutalius. Attilius de eo apud Valerium Maximum lib. II. c. 3. *Consulem* (Lutalium) *ea pugna in lectica claudum jacuisse, se autem omnibus imperatoriis partibus functum.* Non erant hæ lecticæ, quales postea in usu esse cœperunt, sed planè rudes & tumultuariæ, lecto in colligatos quoquo modo asseres conjecto. Quali genere jam olim usi etiam in urbe, si quì ægroti necessario in publicum venire deberent. Auctor virorum illustrium de Ap-

pio,

pio Claudio Cæco. *Quum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cyneam pretio quæreretur, senex & cæcus lectica in Senatum latus turpissimas conditiones magnifica oratione discussit.* Nulla cogitari hic lectica debet, qualem in superioribus descripsimus, sed subitaria, & in hunc unum diem parata. Plutarchus rem commemorans eandem in vita Pyrrhi ita habet: Ἔνθα δὴ Κλαύδιος Ἄππιος ἀνὴρ ἐπιφανὴς, ἀπὸ δὲ γήρως ἅμα καὶ πηρώσεως ὀμμάτων, ἀπειρηκὼς πρὸς τὴν πολιτείαν ἐκαθέζετο, ἐπαγγελλομένων τότε τῶν παρὰ τοῦ βασιλέως, καὶ λόγου καταχόντος ὡς μέλλοι ψηφίζεσθαι τὰς διαλύσεις ἡ σύγκλητος, οὐκ ἐκαρτέρησεν, ἀλλὰ τοὺς θεράποντας ἄραντας κελεύσας αὐτὸν, ἐκομίζετο πρὸς τὸ βουλευτήριον ἐν φορείῳ δι' ἀγορᾶς. Γινόμενον δὲ πρὸς ταῖς θύραις, οἱ μὲν παῖδες ἅμα τοῖς γαμβροῖς ὑπολαβόντες καὶ περιέχοντες εἰσῆγον. *Appius Claudius, clarus vir, qui senectutis & cæcitatis causa fatiscens, republica abstinebat, accepta regis legatione, & rumore dilato, decreturum Senatum pacem, non potuit sibi temperare quin servis juberet, ut tollerent se & lectica per forum deportarent in curiam. Vt ad valvas pervenit, exceperunt eum filij pariter ac generi, cingentesq; latera ejus introduxerunt.* Quod auctor Latinus vocavit *lecticam*, id Plutarchus nominavit φορεῖον, hoc est qualecunque instrumentum, quo quis possit gestari. Unde quoque generali voce *gestatorij* exponitur in Onomastico Argentoratensi. *Gestatorium*, φορεῖον. Dicit autem isto gestatorio deportatum non in ipsam curiam, sed ad valvas ejus, sive januam, tum sustentatum à filijs generisq;, qui eum tenebant ulnis complectentes latera & tergum, & humeris subeuntes armos brachiaq; ejus. Hic enim est ὑπολαμβάνειν & περιέχειν, non *excipere*, & *latera alicujus cingere*, quod interpres putavit. Quod propterea notamus, ut & confirmemus, quæ de consvetudine hac diximus in præcedentibus, & simul Auctoris Latini verba non aliter accipienda esse ostendamus. Nam *latus in Senatum*, non significat in ipsam curiam, sed ad fores, πρὸς τὰς θύρας, ut Plutarchus loquitur. Deniq; à servis suis dicit gestatum, quo simul cognoscimus, etiam ad hoc genus homines adhiberi consveviſse. Meminit ejusmodi lecticæ etiam Livius in Atinij historia lib. II. c. 36. *Consensu inde haud dubio omnium qui aderat, in forum ad Consules lectica defertur.* Cicero sic habet

lib. I.

lib.I. Divin. *Illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum.* Vocat *lecticulam* tanquam vilem, & subitariam. Tali utebantur etiam in bello, videturq; habuisse Augustus in acie Philippensi. Lactantius profectò lib. lib.II.c.7. *Cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo, abstinere prælio statuisset: medico ejus Artorio Minervæ species obversata est, monens, ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaq; in aciem lectica illatus est.* Similiter Valerius Maximus lib. I. c. 7. eandem rem exponens: *Quod cum Cæsar audisset, lectica se deferri in aciem jussit: ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, castra ejus à Bruto capta sunt.* Uterq; lectica delatum scribit in aciem. Ea porrò tumultuaria fuisse videtur, quia vera mansit in castris, & ab hostibus confossa discerptaq; est. Svetonius c. 91. *Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem, egressus est tamen, amici somnio monitus: cessitq; res prospere, quando captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atq; lacerata est.* Curtius ad differentiam lecticarum cæterarum has nominatim vocat *militares.* Verba ejus extant lib. VII. c. 6. de Alexandro: *Castris inde motis lectica ferebatur militari, quam pro se quisq; eques pedesq; subire certabant.* Quibus verbis simul cognoscimus, quod & in superioribus est observatum, etiam hoc lecticarum genus non per jumenta, verum homines solitum gestari. Domi habuere *lecticas lucubratorias.* Sic enim Svetonius appellat in Augusto c.78. *A cœna se in lecticulam lucubratoriam recipiebat. Ibi donec residua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat.* Hæ lecticæ non fuerunt portatiles, sed eodem fixæ stabant loco, unico huic fini, ut in ijs recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni dare operam commodius possent. Nec à lectis differebant alijs, unde *lecti* quoq; vocabantur. Plin. V. ep. 5. *C. quidem Fannius quod accidit, multo ante præsensit. Visus est sibi per nocturnam quietem jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis.* Lectus Plinij, in quo studebat Fannius, est lecticula lucubratoria Svetonij, in qua actus diurnos conficiebat Augustus. Itaq; lecticæ illæ fuerunt lecti, non tamen

triclinares, nec dormitorij, sed studijs dicati, constitutiq; in Musæis. Gellius *scimpodia Græciensia* vocavit lib. XIX. c. 10. *Memini me quondam ad Frontonem Cornelium pedes tunc graviter ægrum ire visere, atq; ibi qui introducti sumus, offendimus eum cubantem in scimpodio Græcensi, circumundiq; sedentibus multis, doctrina, aut genere, aut fortuna nobilibus viris.* Lipsius lib. 1. Elect. c. 191. agens de hoc scimpodio. *Non aliud, quam lectisulam capio, in qua Romano ritu etiam domi jacebant.* Potest quidem videri propter pedum ægritudinem usus eo, verum pertinebat simul & ad studia, horum enim caussa vel præcipuè adire ipsum tam frequenter solebant, ut ex alijs Gellij locis intelligitur. Et ἱερὸν σκίμποδα vocavit Aristophanis in Nebulis, ubi Socrates Strephiadem in eo facit exercentem litteras, & componentem sese ad discendum. Scholiastes ibi: Τὸν κράβατον σκίμποδα λέγουσιν Ἀττικοί. Οἱ δέ φασι σκιμπόδιον. Vides σκιμπόδιον, seu scimpodium Gellij esse σκίμποδα, hoc est κράβατον, sive lectum. Supersunt funebres lecticæ, id est eæ, quibus funera solebant efferri. Nam lecticas seu lecticulas vocasse gestatoria instrumenta, super quæ collocata defunctorum, præcipue honoratiorum, fuerunt cadavera, cognoscimus vel ex Nepote, qui sic vitæ Attici c. 22. *Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funebri.* Fuerunt porrò hæ lecticæ non multum diversæ ab istis, quas deinde usurpare cœperunt in urbe, ac à nobis sunt expositæ in superioribus. Demonstravi hoc jam ante, joco Martialis, exemploq; bubulci apud Gellium. Addo nunc & verba Ciceronis ex Philippica II. ubi de Antonio: *At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.* Possit quis hinc suspicari, eas funebras lecticas si non omnes, saltem aliquas fuisse opertas. Videturq; magis hinc probari, quam ex loco Dionis Cassij, quam pro hac sententia adducunt viri docti. Nam is quidem nihil docet, quam Sextum Condianum lapsum equo simulasse mortem, mox arietem pro se efferri ac comburi curasse. Verba ipsa: Καὶ αὐτὸς μὲν ἀφανὴς ἐγένετο· κρίὸς δὲ σῶμα ἐς λάρνακα αὐτ' ἀντ' ἐμβληθὲν ἐκαύθη. Hic nil dicitur de lectica tecta, seu operta. Λάρναξ sanè non significat, sed *capulum*, vel ut Horatius appellat lib. I. Sat. 8. *arcam*. Et potuit etiam in aperta lectica

ctica efferri aries, sed velatus. Nec videntur unquam aliter feciſſe. Lectica ſemper erat aperta, cadaver verò defuncti modo conſpicuum, modo tectum velatumq;. Neq; Cicero diverſum docet, quippe qui in verbis, *ut mortuus*, non tam reſpexit ad lecticam opertam, quam lecticam in commune, illamq; Antonij in ea occultationem, ſilentium, ac immobilitatem, de qua in ſuperioribus jam dixi. Ut proinde ſine ratione credi arbitremur, funera etiam tectis lecticis interdum elata. Aliæ namq; tectæ lecticæ, alia tecta funera. Hæc nota veteribus, & memorata, illa nunquam, quod ego quidem obſervaverim. Nam & Gellij locus de adoleſcente miſſo ex Aſia, & lectica iter faciente nihil amplius monſtrare poteſt, quam præmiſſus Ciceronis, ſi vel maximè, quod tamen dubium eſt, concedamus, lecticam eam fuiſſe non apertam, verum tectam. Sed de lecticis funebribus ab aliis eſt actum, itaq; ad baſternas num progredimur.

## Cap. VI.
## De Baſternis.

*Baſterna non trahitur, ſed geſtatur. Voſſius revellitur. Vnde dicta ſit. Marcellus Donatus rejicitur. Recentioris eſt in venti. Palladij ætas. Baſterna geſtatur à jumentis vel burdonibus. Burdones qui. Dion. Gothofredus bis notatur.* Βορτὸν, οἱ Βορδόνιοι. *Baſilica emendantur. Manni ad baſternas. Onomaſticon Danielis corrigitur. Turnebus rejicitur. Fuit tecta baſterna. Iſidorus contra Salmaſium emendatur. Lectica mannalis. Manni qui. Iſidorus denuò emendatur. Burici.* Βάριχοι. *Scholiaſtes Cruquij notatur. Hinnulus. Ad baſternam geſtandam duo adhibita jumenta. Baſternæ pendebant inter amites. Semper fuerunt clauſæ. Caveæ baſternarum. Eraſmus notatur, & Hieronymus exponitur. Stramenta in baſternis. Iſidorus explicatur. Epigrammatis veteris lectio dubia. Baſternæ pro ſolis matronis pudicis, in plateis. Eda, ſeda. Gloſſæ Iſidori emendantur & explicantur. Baſternæ pars ædium.*

INter geſtatoria vehicula ſunt etiam baſternæ. Iſidorus: *Baſterna, vehiculum itineris, quaſi viæ ſterna, mollibus ſtramentis eſt poſita,*

*à duobus animalibus deportatur.* Clare dicit non trahi ducive, sed deportari. Et mox demonstrabo pluribus. Ut non satis cautè Vossius sic scripserit in Etymol. *Basterna in eo à lectica veterum differebat, quod illa ferretur à servis, hæc traheretur à burdonibus.* Neq; enim usquam tracta legitur, sed portata. Quando Isidorus ait sic vocatam, *quasi viæ sterna*, sine dubio nugatur. Ecquid enim illud *sterna*? Num à *sterno*, quia strata mollibus stramentis? Ita *strata* potius debuisset dici. Deinde *Ba* ex *viæ* quoq; difficulter nasci potuit. Ut longè verior sit sententia Salmasij, qui vocem ait esse Græcanicæ originis, ac φορεῖον, seu *gestamen* significare, quoniam geratur. Verba ejus ad Lampridij Heliogabalum c. 21. *Quicquid ferendo est, βαστὸν est dictum: unde verbum βαστάζειν. A basto igitur basterna, hoc est φορεῖον.* Convenit & Vossius, qui simul pro βαστάζειν Græcos recentiores ait dixisse βαστάνειν & βαστεῖν. A quo βαστεῖν, seu βαστῶ sit *basterna*, sicut à *luceo, lucerna, à cavo, caverna.* Neq; audiendus Marcellus Donatus videtur, qui à Bastarnis, gente Sarmatica existimat accepisse nomen, quoniam fortasse ipsis ante fuerit in usu. Nam vehicula nunquam *bastarnæ*, sed *basternæ* scripta leguntur. Quicquid vero sit de basternarum voce res inventionis est recentioris: apud vetustiores enim nemo eas nominavit. Primus, apud quem leguntur, Palladius videtur esse, qui sic habet libro VII. t. 2. *Atergo vero ejusdem vehiculi duo brevissimi temones figurantur, velut amites basternarum.* Palladium æqualem Plinio & Fabio Quintiliano facit Christophorus Mylæus lib. V. Historiæ scribendæ. Johannes Jacobus Frisius conjicit in tempora Hadriani: quo cum facere Volaterranus videtur, qui eum proxime post Pliniana tempora vixisse tradit. Quare ista ætate primum invaluerit notitia basternarum, necesse est. Nemo certe ante illa tempora, quod sciam, memoravit. Fuit autem alia basterna, & alia lectica, quia hanc portabant semper homines, ut dixi, non basternam. Basterna enim portabatur à jumentis. Carmen vetus de basterna:

*Hanc geminus portat duplici sub robore burdo.*

Docet

Docet manifestè, portari, non tamen à lecticariis hominibus, ut lecticas sellasve, sed burdonibus. Sunt verò *burdones*, qvi Latinis vetustioribus *muli*, nisi qvod essent ex eqvo & asina, cum muli propriè ex asino & eqva. Isidorus lib. XII. cap. 2. *In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diversis nascuntur, ut mulus ex equa & asino, burdo ex equo & asina.* In Glossario veteri est *vurdo* transmutatione litterarum, qvod & in aliis consvevit fieri, ut alibi ostendemus. Ἡμίονος· ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου, *mulus, vurdo.* Onomasticon Argentoratense: *Burdo,* ἡμίονος. Atq; hinc burdonum mentio in l. 49. ff. de Legat. III. ubi Ulpianus: *Item, legato continentur mancipia, puta lecticarii, vel lectica, vel sella, vel burdones.* Gothofredus putat, pertinuisse ad lecticas, qvia proximè præcedit mentio de illis, hincqve colligit, etiam burdonibus aliqvando portatas, lib. II. Conjectur. Sed est falsa hæc sententia, si lecticam veterem intelligas, & non eam, de qva hic est sermo. Nam & ista per lecticam aliqvando solet explicari. Neq; melius, qvod habet de vehiculo in Aureis ex Seneca, pag. m. 107. *Lipsius colligit, jumenta nunquam ad lecticam pertinuisse: Quod tamen lib. II. Conject. in hujus* (Senecæ ep. III.) *loci explicatione videor quodammodo confirmasse ex l. Item, legato 49. ff. de Legat. III. nisi, si in illa lege burdones referendi sint non ad lecticam, non ad sellam, sed ad vehicula.* Non intelliguntur hic burdones ad vehicula, sed ad basternas, qvarum usus tum inter mulieres increbuit. Græci recentiores βορδονίας appellarunt, sive βορδονίους, nec intellexerunt, nisi mulos. Itaqve, qvod in l. 64. ff. de Leg. III. ex Juliano ita proponitur: *Mulorum appellatione etiam mulæ continentur:* Id Græci sic verterunt, teste Cujacio lib. XI. Observ. cap. 16. τῷ λεγάτῳ τῶν βορδονίων καὶ μῦλαι περιέχονται. Βορδόνιοι manifestè, qvi Latinis *muli.* Qvanqvam malim βορδονίων scribere apud Cujacium, qvomodo est & in Synopsi Basilicῶν XLIV. t. 3. cap. 58. nisi qvod κορδονιῶν vitiosè habeat, pro βορδονίων, nam κορδονιῶν est nihili. Burdones igitur seu muli sunt, qvi basternas portabant. Memorantur tamen manni etiam in eis, Inde namq; legitur in Glossis Isidori: *Basterna, tecta mannalis.* Ita ibi corrigit Clarissimus Salmasius, cum ante *manualis* haberetur. Fuit idem vitium in Onomastico veteri Petri Danielis, cujus me-

minit Turnebus XXVIII. Adverſ. cap. 5. induxitqve virum ſummum in errorem, ut geſtatam manibus exiſtimaret. Verba ejus: *Baſterna, tecta manualis. Lecticam puto dici tectam, quæ manibus hominum portabatur, non dorſo jumentorum geſtabatur.* Fallitur Turnebus, qvando manibus geſtatam baſternam putavit, qvod abundè liqvet ex ſuperioribus. Ergo legere non *manualis*, ſed *mannalis* debuit. Salmaſius: *Iſidorus in Gloſſis baſternam exponit tectam mannalem, & ſic vocat baſternam vel lecticam tectam, quæ à mannis portabatur.* Putavit porro *tectam* abſolutè dictam in Gloſſis, pro *tecta lectica*. Qvod mihi qvidem durum valde videtur. Ecqvis enim de *lectica* ſtatim cogitet, qvi *tectam* audit? Potius opinor *lectam* fuiſſe in antiqvo libro, qvod cum ignoraret, ſciolum feciſſe *tectam*. Porro, *lecta* eſt compendium *lectica*, qvomodo ſcimus factum in ducentis locis aliis. Et rectè dicitur *lectica mannalis* ad differentiam *lecticæ* ſic ſimpliciter vocatæ, in qva manni nulli. Neq; puto valere, ſi pro altera ſcriptura laudes etiam Onomaſticum Danielis, cum id videatur illud ipſum, qvod Iſidori Gloſſas poſtea nominavere. Cæterum, *mannalis* dicta eſt à *mannis*. Manni porro ſunt eqvuli, ſeu eqvi minuti. Iſidorus: *Mannus, equus brevior eſt, quem vulgo buricum vel buricium vocant.* Ita ibi lego, pro *brunitum* & *brunitium*, qvod habent editi. *Buricos* expoſuit & Hieronymus in Eccleſ. cap. 10. *Vias publicas mannibus terunt, quos vulgo buricos appellant:* Ubi *mannibus* poſuit pro *mannis*. Sic in Gloſſis Iſidori legitur: *Mannus, buricus. Mannulus, caballus buricus.* At *buricius* eſt inſertione vocalis, ſicut fit & in aliis. Græcis pariter ſunt βάριχοι. Gloſſæ veteres: *Mannis,* βαρίχοις. Ita rectè habet prima Stephani editio, non βαρρίχοις, uti Voſſio citatum. Burici autem ſeu burichi ſunt eqvuli, ut docent Iſidori Gloſſæ, ipſeq; Iſidorus. Igitur & manni erunt tales. Commentator vetus Cruqvii, ad Horat. Carm. III. od. 27. *Mannos, equos parvos, burdos, ſive buridos.* Item Epod. 4. *Notat Menam nimis mollem & delicatum, qui non pedibus iter ad ſuos agros faceret, ſed equis, non quibuslibet, ſed mannis, quod eſt virorum principum. Manni autem equi ſunt, quos vulgo burdones vel burichos nominamus.* Utrobiq; mannos eqvos vocat. Et tamen, qvod mireris, nunc *burdos*, nunc *burdo-*

*nes*

*nes* dicit nominari. Nam *burdones* non sunt eqvi, verum muli, ut superius ostensum. Nec fortassis aliter intelligendi *burdi*, qvia vox consvevit flecti nunc in tertia, nunc in secunda declinatione; Qvomodo dixerunt *ludius* & *ludio*, *lanius* & *lanio*, *pavus* & *pavo*, *scorpius* & *scorpio*. Nisi putamus mannos dictos eqvos, non qvod essent plenè integrèq; tales, sed qvod proximè ad eos accederent. Nempe, qvi ex eqvo asinaqve nascebantur, magis referebant eqvos, aures enim habebant eqvinas, non asininas. Varro lib. II. R. R. cap. 8. *Hinnus qui appellatur, est ex equo & asina, minor, quam mulus, corpore, plerumque rubicundior, auribus ut equinis.* Nota, *hinnum* dictum veteribus, qvi recentioribus est *burdo*. Porro, *hinni* nomen est à Græco ἵννος, qvod parvum notat eqvum. Phavorinus: Ἵννοι αἱ κολοβοὶ τῶν ἵππων. *Hinni, qui ex equis pumili sunt.* Inde Columella lib. VI. cap. 37. *Qui ex equo & asina concepti generantur, à patre nomen traxerunt, quod hinni vocantur.* Sicut ergo nati ex eqvo & asina dicti *hinni*, sic, qvod denotabat idem, eqvi sive *equuli*, cum præsertim aures haberent eqvinas, postea *burdi* & *burdones*; Iidem tamen nuncupati *muli* qvoqve, qvoniam non pleni erant eqvi. Tum & Gallicum in iis nomen cœpit usurpari, vocatiqve sunt *manni*. Nam à Gallis eam esse vocem docet P. Consentius, qvando ait: *Omne peregrinum, siquidem id jam receptum est, ut Gallorum manni.* Manni porro postea *burici* vel *burichi*. Ut lectica mannalis non sit alia, qvam qvæ gestata fuerit à burdonibus, qvia manni, burdones, burdi, burici, burichi sunt ejusdem generis, hinni nempe, seu parvi eqvuli, muli tamen, qvia geniti ex asina eqvoqve. Videturqve genus hoc adhibuisse eo libentius, qvod, cum esset minus, pumilumqve, mollius incederet, minoreqve ambularet gradu. Et notavit gradum talem auctor Epigrammatis vetusti, in his burdis seu burdonibus, qvando ait:

*Provehit & modico pendula septa gradu.*

Sed qvot tandem animalia ejusmodi habuere ad basternam qvamlibet? Non nisi duo, qvorum unus antecedebat, alter sequebatur. Basterna erat in medio tignis suspensa duobus, qvæ utrinqve ad latera burdonum erant firmata, eo plane modo, ficut

ſicut eſt receptum in lecticis noſtris, qvas Germani mei Senf-ten / Galli *litiere* nuncupant. Iſidorus: *Baſterna vehiculum à duobus animalibus deportatur.* Dictus auctor Epigrammatis de baſterna:

*Hanc geminus portat duplici ſub robore burdo.*

Clarè dicit portatam à *burdone gemino*, & portatam *duplici robore.* Ubi per *robur duplex* nihil aliud intelligit, qvam aſſeres duplices ſive duos ex robore, à baſterna ante retroqve procedentes, & claudentes latera burdonum, unum latus dextrum, alterum latus ſiniſtrum. *Amites baſternarum* appellavit Palladius lib. VII. t. 2. *A tergo verò ejusdem vehiculi duo breviſſimi temones figurantur, velut amites baſternarum.* Comparat temones iſtos amitibus baſternarum, qvia erant à tergo, non qvod baſternæ à tergo tantum haberent, ſed qvod etiam à tergo; Reliqva vehicula habebant temones tantum à fronte, baſternæ etiam à tergo. Deinde, qvia erant duo, unus nempe ab uno, alter ab altero latere, nec enim duo à tergo aliter intelliguntur. Unde liqvet, qvod ſuperius ajebam, in baſternis burdones inter hos temones, ſive, ut appellat Palladius, amites, ambulaſſe, ambulaſſe autem unum à fronte, alterum à tergo baſternæ, qvia illæ amites à tergo qvoqve, nec tamen à ſolo tergo, qvia breves, ut procedere ultra burdonem unum non potuerint. Inter has amites baſterna ipſa erat ſuſpenſa, unde *pendulam* vocavit dictus ſæpe auctor Epigrammatis:

*Provehit & modico pendula ſepta gradu.*

Cæterum, baſterna ipſa nunqvam aperta, ſemper clauſa fuiſſe videtur, qvæ ſecunda ejus à lecticis fuit differentia. Lecticæ multæ erant apertæ, baſterna nulla. Certè, ubicunqve baſternarum mentio, ibi clauſæ leguntur. Ideo in Epigrammate baſterna *ſepta*, qvia tecta & occluſa. Et *claudere* matronas dicitur.

*Aurea matronas claudit baſterna pudicas.*

Deniqve ita continere, ut nemo ipſas, ipſæ neminem in eis qveant videre. *Proviſum eſt cautè, ne per loca publica pergens*

*Fucetur, viſis caſta marita locis.*

Ex

Ex eadem cauſſa Hieronymus vocavit *caveas*, in Epiſt. ad Euſtochium. *Præcedit caveas baſternarum ordo ſemivirorum.* Eraſmus ſic exponit: *Baſternas appellavit caveas, quod cancellatæ ſpeciem præbeant cavearum.* Putavit baſternas fuiſſe cancellatas, id eſt ex lignis cancellatim ſeu decuſſatim collocatis junctas & compoſitas: quomodo avicularum caveæ interdum componuntur. At non ea B. Patris ſententia. Caveas dixit, non quod eſſent cancellatæ, ſed quod clauderent mulieres & matronas, ſicut feræ caveis claudebantur de quibus Claudianus Pan. III. in laud. Stilic. v. 322. Et ſic ipſe poſtea exponit. Reſpexit huc & Scholiaſtes vetus Juvenalis, quando verba ejus Sat. IV. *quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro,* explicans, ſic ait, uti legitur in MS. Voſſiano. *Eſt baſterna vehiculum, unde ſpeculabantur matronæ.* Nam *antrum clauſum* de baſterna accepit. Baſternæ igitur, quantum ſcimus, ſemper clauſſæ, nunquam apertæ, de cætero fortaſſis non multum diſſimiles lecticis, unde & lecticæ, ſed ad differentiam aliarum, mannales dictæ, ſicut ego quidem colligo ex Gloſſis Iſidori. Neq; dubito per hanc ipſam cauſſam, quin cubuerint in eis, non vero ſederint, ut fit in hodiernis. Ac fortaſſis ideò & *ſtramenta mollia* in eis memoravit Iſidorus. *Baſterna mollibus ſtramentis eſt poſita* inquit. Nam *ſtramenta* hic accipienda non ſunt, de vulgaribus, quæ ex frumenti culmis, hoc enim non convenit elegantiæ ac dignitati baſternarum, ſed de ſtratis, hoc eſt toralibus & pulvinis, unde quoq; *mollia ſtramenta* nominavit. Stramenta ex culmis omnia ejusdem generis, nec alia alijs molliora, ut in eis hoc epitheto vix opus fuerit. Non ſic pulvini & toralia, quæ hac parte inter ſe differunt plurimum. Dixit ergò *mollia* ſtramenta, quia pulvinos in eis habuerunt molles atq; delicatos. Habuerunt quoq; ornamenta ſua, quod ex ſæpè dicto Epigrammate colligimus, quo aurea commemoratur.

*Aurea matronas claudit baſterna pudicas,*
*Quæ radians latum geſtat utrumq; latus.*

Si hæc aurea fuit, aliæ minores vilioresq; ornatus ſine dubio habuere. Sed quid eſt, quod dicitur, *geſtat latus utrumq; latum?* Ita enim legitur id Epigramma editum à Voſſio in Etimologico. Puto

emendandum ad modum eum, quo est proditum Pignorio in de Servis p. 209. nam Pithœi quidem codicem, unde depromptum est, videre non licuit. Sic autem ipse.

*Quæ radians patulum gestat utrimq; latus.*

Patulum latus appellare videtur non, quod non esset clausum, hoc enim superioribus adversum foret, sed quod esset laxum spaciosumque, nam est verisimile, ut in lecticis, ita in basternis laxitatem commendatam. Et hæ quidem sunt basternæ. Pertinebant autem ad mulieres, easq; solas, in quo fuit tertia earum à lecticis differentia. Nusquam certè viros legas vectos basternis. At de mulieribus, præcipuè matronis, Epigramma in superioribus:

*Aurea matronas claudit basterna pudicas.*

Ita Ammianus lib. XIV. *Matronæ complures opertis capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt.* Scholiastes Juvenalis in superius laudatis verbis: *Basterna vehiculum, unde speculabantur matronæ.* Matronarum ergo vehiculum basterna fuit, eorumq; castarum, uti Epigramma docet, quæ iccircò utebantur basternis, quod essent clausæ, nec eas conspectui aliorum præberent, sicut idem Epigramma testatur. Utebantur verò his basternis sicuti lecticis, quando procedendum fuit in publicum. Ideò Ammianus ijs ait in superioribus, *per latera civitatis discurrisse.* Et in Epigrammate *per loca publica* basternis *pergere* dicuntur. An & extra urbem? Dubitare propè nequeo, cum habuerint lecticas, quæ majori cum difficultate gestabantur. Et firmare B. Hieronymus videtur. Satis de basternis. Addam tamen unicum, quod observo legi in Glossis Isidori, isto modo: *Eda, basterna.* Hic basterna, *eda* nominatur. Sed quid eda sit, non dixerim. Vulcanius in Notis ad hæc verba solum ita scribit: *alias exedra.* Nam ostendit satis, an in libris aliàs reperiatur *exedra* pro *eda*, num vero *eda* sit, quod alias vocari *exedra* consvevit. Exedrarum mentio apud Vitruvium lib. VI. c. 5. ubi Philander exponit *cellas ad colloquendum aut meridiandum*, & in testimonium adducit locum Ciceronis, ex de Oratore III. At hæ nil ad basternas nostras. Quid dicemus? Puto Glossatorem scripsisse non *eda*, verum *seda*. *Seda* locus est,

in

in quo considerent, qui & *sedes*. *Seddam* etiam dixere. *Sessionem* appellavit Cicero de Fin. lib. V. *Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic ejus auditor Polemo: cujus ipsa illa sessio fuit, quam videmus.* Porrò *sessio* est *exedra*, ut rectè docet Chimentellius pag. III. ac sic sedes quoque, item sedda, vel seda. *Sessionem* ait, *pro exedra accipio, aut sede, vel loco sedendi, quomodo Latinis ambulatio, cœnatio, gestatio pro loco ipso, non pro actu ambulandi, cœnandi, gestandi, quandoq; sumitur.* Talem exedram, quæ & seda, existimo vocatam quoq; basternam. Nam basternæ non tantum sunt vehicula, sed & partes quædam ædium, quas projecta sive mœniana vocant. Observavit Cujacius lib. XIII. Observ. c. 30. *Græci*, ait, *in l. 1. de Serv. Vrb. protecta basternas, projecta, sive mœniana solaria interpretantur.* Hæc protecta seu projecta exedræ & sedæ si in eis more ante indicato considerent.

## Cap. VII.

## De Traheis.

*Trahea, trahæ fuere sine rotis. Trahere quid proprie. Tragæ, tragulæ, traculæ. Iornandis vetus lectio contra Savaronem defensa.* Ἑλκηθρον, Χαμαίλκη. *Glossæ veteres emendantur. Sclodia. Iac. Gothofredus notatur. Stludia. Chamulcus.* Κέρον. *Traduco.* Σωϊκη. *Figura trahæ. Iumenta ad ipsam. Vsus in agris, & ad exterenda frumenta. Tribula. Columella emendatur. Virgilij lectio vetus contra Eopthræi conjecturam defensa. Plostellum pœnicum. Assis pro axis. Asser. Gellij vetus lectio stabilita. Traharum usus in glacie. Sangi.* Σωϊκη. *Hesychius & Pollux explicantur, & hujus interpres notatur.* Ὅλκαι.

EXposuimus gestatoria vehicula, progredimur proinde ad tractoria, id est ea, quæ non gestantur, verum promoventur attractu. Horum aliqua sunt destituta rotis, ut de quibus nunc agemus *Traheas* vocarunt veteres. Servius ad Virgilij Georg. I. *Traheæ vehicula sine rotis, quas vulgo tragas dicunt.* Vides, nullas habuisse rotas. Virgilij ipsius hæc sunt verba:

*Tribulaq;, traheæq;, & iniquo pondere raſtri.*

Ubi tamen notat Servius sic dici per epenthesin, aliàs simpliciter esse *trahas*. Verba ejus: *Causa metri in hoc nomine epenthesin fecit, ut navita & Mavors, pro nauta & mars.* Atq; *trahas*, non *traheas* vocavit Columella, cujus verba proponemus in sequentibus. Dictæ verò *trahæ* à *trahendo*. Servius ad dictum locum. *Traha genus vehiculi, dictum à trahendo, nam non habet rotas.* Glossæ Mss. veteres hoc loco: *Traha vehiculum est à trahendo dictum: nam rotas non habet.* Quid hæc sibi volunt; *dicta est traha à trahendo, quia rotas non habet?* An, quod illa trahantur sola, quæ non habent rotas? At putabam ego trahi, quæcunq; junctis promoventur animalibus, sive rotas habeant, sive non habeant. Virgilius lib. III. Georg. de tauris.

*Contenta cervice trahunt stridentia plaustra.*

Svetonius in Augusto c. 94. *Visus est super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Uterq; trahi dicit ea etiam vehicula, quæ habebant rotas. Ergo magis est, ut *trahere* cum Nonio intelligamus specialiori notione pro *ducere per terram*. Ita enim ipse explicat cap. 4. *Trahere, per terram ducere. Virgilius. Lora tenens, tamen. Huic cervixq; comæque trahuntur per terram.* Locus Virgilij ostendit, illud *ducere per terram* sic intelligendum esse, sicut cum cadaver defuncti ducitur, absq; omni motu scilicet ac agitatione. Ita non ducuntur cætera vehicula; est enim in eis agitatio, motus, & volubilitas rotarum, ac proinde tali sensu ne trahuntur quidem. Contra res se habet cum trahis, quæ ducuntur sine ullo tali motu. Trahæ igitur à trahendo, tali sensu, quali dixi. Sed non trahæ modo dictæ, verum & *tragæ*, ubi Servius docebat, quanquam à vulgo magis quam à cultioribus. Inde *tragula* apud Varronem lib. IV. de L.L. *De his, quæ jumenta ducunt. Tragula ab eo, quod trahitur per terram.* Scaliger in notis ad hunc locum. *Trahula puto scribendum,* ὑποσυρικὸν *à trahea, vel trahes.* Neutrum necesse est. Nam *tragula* à *traga*. Et sic rustici plebeiq; loquebantur, sicut Servius ostendit, qui hoc modo malebant, quia facilius *tragula* pronunciari potest, quam *trahula*. Jornandes scripsit *traculas*, pronunciatione duriori,

ut

ut opinor, inductus, si est vera lectio quam Savaro profert ad Sidonij lib. VI. ep. 1. Verba sic habent: *Ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum pedestrem plaustraq; & traculas.* Savaro conjicit, legendum *trahulas.* Frustra, quia permutatione nota litterarum, quæ *tragula*, eadem & *tracula.* Quomodo pro *legere* habemus *lecere*, pro *rogato*, *rocato* apud veteres, ut pridem viri docti annotarunt. Dubitari tamen potest de Savari lectione, quoniam in editione Grotiana publicatum *tragulas* habemus, non vero *traculas.* Verba extant cap. 55. de Reb. Goth. quæ consulat, qui volet. Græce sunt, qui nominatam putant ἕλκηθρον. Sed hoc pars est aratri. Theophrastus V. Hist. Plant. εἰς ἕλκηθρα τοῖς ἀρότροις. Traha non est pars aratri, sed vehiculum, & integrum vehiculum, quod ex superioribus cognoscitur. Quare malo credere Glossario antiquo, in quo redditur χαμᾶλις. Verba ejus: χαμᾶλις, *trahea.* Sic legendum arbitror pro eo, quod in Stephani editione reperitur, *trahe*, nisi *traha* malis. Porrò traham esse χαμᾶλκον etiam ex Philoxeno colligitur, quando vertit *sclodiam.* Verba ejus: *Sclodia*, χαμελκὶς. Ita enim recte emendarunt, pro χαμελκὶς, quod est in Henr. Stephani editione. χαμελκὶς Philoxeno, quod alijs χαμᾶλις, dicit autem denotare *sclodiam*, qua voce hodieq; Germani omnesq; Septentrionis populi utuntur, in vehiculi hujus appellatione. Ut non dubitem, quin *traha* sit χαμᾶλις. Nec abludit ratio vocabuli, quia signat id, quod per terram trahitur. Vir summe doctus ad Codicem Theodosianum *carpentum humile* explicavit, cui adstipulari non possum, quia carpentum omne rotis volvebatur. In ijsdem Glossis legitur & *stludio.* *Stludio*, χαμέλκιον. Sed vix credo, esse integram hanc scripturam, maloq; *stludia* emendare, neq; aliud, quam hoc ipsum genus intelligere. Nimirum vocem barbaram, præsertim in qua plures concurrebant consonantes, non eodem semper scribebant modo, quod frequenter observatur. Inde *sclodia* & *stludia*, quæ Græcis, ut hinc discimus, χαμελκὶς, χαμέλκιον, χαμᾶλκον. Græcam vocem retinuit & Ammianus lib. XVII. ubi ait, de obelisco loquens: *Defertur in vicum Alexandri, tertio lapide ab urbe sejunctum;*

*ctum: Vnde chamulcis impositus, tractusq; lenius per Ostiensem portam, piscinamq; publicam Circo illatus est Maximo.* Legimus & κέρρον, genus, ut opinor, haud absimile. Philoxenus: *Traduco,* κέρρω, ὄχημα δίχα τροχῶν. Dicit ita nominari vehiculum, quod nullas habeat rotas: tale autem traha, sicut vidimus. Dein Latine vertit *traduconem:* quo significari tale censeo, cujus ope quid traducimus, seu de loco uno transportamus in alium, vel transvehimus. At huc pertinebat traha, ut liquebit ex sequentibus. Quod si κέρρω trahea, quod suspicor, notabimus, traham sive traheam quandoq; dictam *traduconem.* Est & σλοίκη vehiculum rotis destitutum, sed num traha sit, haud dixerim, quia ejus mentionem facit unicus Hesychius, nec aliter exponit. Σλοίκη, ait, ἄτροχος ἅμαξα, Cæterum id, quod Latinis traha dictum, rotas quidem habuit nullas, sicut sæpe demonstravimus. Quæ vero reliquæ illius forma fuerit, non perinde notum. Quia tamen trahi per terram consvevit, hinc colligitur, rotarum loco duo habuisse ligna longa, æquo inter se distantia intervallo, ab utroq; latere decurrentia, sicut hodieq; fit in sclodijs schlædisve nostris. His dein transverse imposita ligna alia, duo plurave quibus & continerentur ista duo longa, & si quid impositum esset, cohiberetur. Solebant autem trahas istas promovere non humana vi, sed ope ductuq; jumentorum. Quod colligimus ex Varrone, quando ante traham, sirpeam, arceram, & id genus alia vehicula lib. IV. de LL. præmittit: *de his, quæ jumenta ducunt.* Vult enim monstrare, se deinceps acturum de instrumentis non quæ tractentur ab hominibus, ut ante fecerat, sed quæ trahantur à jumentis. Usus porrò ejuscemodi traharum primo rusticus, quod Virgilius ostendit, qui jungit tribulis & rastris. Solebant autem ijs fere frumentum è spicis exterere, ut ex Columella cognoscimus, qui sic habet lib. II. cap. 21. *At si competit, ut in area teratur frumentum, nihil dubium est, quin equis melius, quam bubus eares conficiatur, & si pauca juga sunt, adjicere tribulam & traham possis.* Columella jungit tribulis, quasi parum fuerint diversa. Scilicet & *tribula* vehicula, terendis frumentis destinata, unde nomen

quoq;

qvoq; ſuum habent, velut *teribula*, qvoniam terant, & extundant. Servius ad ante dictum Virgilii locum. *Tribula, genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maximè in Africa utuntur.* Sic legendum eſt, non ut habet editio Comeliniana, *unde feruntur frumenta.* Servius antiqvior: *Tribula genus vehiculi, quo teruntur in aręa fruges maturæ.* Tribula pluraliter intelligenda ſunt, ut credo, nam & cætera ſunt pluralia apud Virgilium. At contra Nonius ibi facit fœminini generis, legitq; *tribulæ.* Verba ejus ſunt in cap. 3. *Tribulæ, fœmininum. Virgilius Georg. lib. I. Tribulæque, traheæque & iniquo ponderе raſtri.* Liqvet apertiſſimè, Nonium in ſuis libris inveniſſe *tribulæque*, non, ut hodie habetur, *tribulaque.* Sed qvi poteſt tum procedere *traheæque?* Nec enim menſuras ſuas verſus habet. Puto Nonium ſcripſiſſe non *traheæque*, ſed *trahæque*, ut verſus ille talis olim fuerit apud Virgilium:

*Tribulæque, trahæque, & iniquo ponderе raſtri.*

Id qvod non indignum fortè, ut notetur. Tribulæ igitur, ſive tribula & ipſa terendis frumentis facta, nec minus vehicula, qvam trahæ. Differebant tamen, ut opinor, eo, qvod hæc eſſent ex una tantum tabula. Varro lib. I. R. R. cap. 52. *Tribulum fit è tabula lapidibus aut ferro aſperata.* Non ſic traha fuit ſtructa, ſed ex aſſeribus, ut dixi. Sed qvid eſt, qvod ait, tribulum factum è tabula, *aſperata lapidibus?* Qvomodo lapides aſperare illam potuerunt? An ictibus? At ea aſperitas exigua tali qvidem fine, ut opinor, neq; reqvirebat plures lapides, ſed unum. Ideò & Erythræus in Virgiliano Indice ſic habet: *Tribulum, tabula ſaxo vel ferro aſperata, quæ frumenta tererentur in frequenti etiamnum Italiæ uſu.* Dicit *ſaxo*, non *lapidibus.* Sed ne ſic qvidem res aperta mihi videtur. Puto Varronem intellexiſſe tabulam vel lapideam inæqvalem, rudem, aſperam; vel ligneam ferramentis extantioribus undiqvaq; confixam, & ſic pariter aſperiorem. Atq; hinc interpretor, qvod ajebat Servius, fuiſſe *omni parte dentatum*, non qvod haberet dentes longiſſimè prominentes, ſicut occæ cratesve noſtræ, ſed qvod aſperum ac inæqvale. Niſi putamus potius intellexiſſe id, qvod Varro nominat *ploſtellum pœnicum* prædicto loco, mihi certè magis hoc arridet. Nam conveniunt

ipſius

ipsius verba, qvæ sic habent: *Tribulum fit è tabula*, &c. *aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum pœnicum.* Habes plane hic qvoq; opus dentatum. Juvat etiam vocabulum: Nam *plostellum pœnicum* idem est, ac usitatum Pœnis. Pœni autem sunt Puni, notissimi Africæ populi, qvorum caput olim Carthago. Unde bella Punica, & Pœni pro Carthaginensibus non semel apud Ciceronem, Virgilium atq; alios. Qvia itaq; in usu fuit apud Pœnos, inde dictum *Pœnicum plostellum*. Servius ajebat, *maximè in Africa usurpari*, qvia Pœni sunt in ea regione. Sed qvid *asses dentati cum orbiculis* apud Varronem? *Asses dentatos* alibi non legi, neq; scio, qvi dentati esse qveant: Deniqve, qvid hic asses faciant, non intelligo, si qvidem vulgari sensu accipimus. An scribendum *axes?* Sed codices nil variant. Et observo alibi qvoq; libros veteres habere *asses*, ubi postea fecerunt *axes*. Sic apud Columellam lib. VI. cap. 19. hodie habetur, *roboreis axibus compingitur solum*, cum libri veteres habuerint *assibus*. Apud Palladium lib. I. t. 9. nunc videmus: *Deinde, ut axes quernæ cum æsculeis non misceantur.* At in libris manuscr. *asses quernæ* reperitur, ex qvo qvidam *asseres* fecere, sicut & in Columella rectius *asseribus* putarunt scribi. Verum *assibus* & *asses* rectum est. Nam sunt *asses* veteribus, qvi deinde *axes*. Ideò & *coassare* dixerunt, qvod deinde *coaxare*, qvod utrumq; etiamnum reperitur. Itaqve nec Varro aliter scripsisse videtur, & per asses intellexisse axes. Porro, axes nihil aliud, qvam tabulæ, seu asseres. Tales igitur & asses. Docetq; ipsum vocabulum, qvia, sicuti dixerunt *capparis* & *capper*, *cucumis* & *cucumer*, *salubris* & *saluber*, *alacris* & *alacer*, ita plane *assis* & *asser*. Neq; aliter res sese habet cum vocabulo *axis*, nam & pro ipso *axer* usurparunt. Inde habes *axeris* apud veteres, ab hoc *axer*. Gellius lib. II. cap. 12. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quæ Athenis axeribus ligneis incisæ sunt.* Ita legitur in antiqvis libris testimonio doctissimorum virorum, non verò *axibus*, qvod scioli substituerunt. Qvando ergo Varro *asses dentatos* scripsit, perinde est, ac si *asseres dentatos* scripsisset, qvi in hoc differebant à tribulo vulgari, qvod illius una esset tabula. Tribulum Africanum, qvod plostellum Punicum vocarunt, fabrefactum fuit ex asseribus, illi asse-

res

res fuerunt dentati, hoc est, ut ego intelligo, non leves æqualesve, sed in modum serræ crebris incisuris asperati dentatiq;. Nisi putò *dentatis* referendum non ad præcedens *assibus* apud Varronem, verum sequens *orbiculis*, ut intelligantur illi asseres distincti asperis orbiculis. Tale igitur tribulum fuit Africanum, tale apud Italos vulgare. At diversa, ut opinor, traha, quanquam & ipsa ex asseribus, ut tribulum Africanum, nec enim à tribulis distinxisse alias Virgilius videtur. Quemadmodum & à Columella factum. Ac videtur tribulum in imo tigna habuisse plura, sive asseres, quibus incedebat, traha tantum duos. Cæterum ut trahis terere frumenta ita ijs iter quoq; facere ac deportare onera consveverunt. Sic enim testatur Jordanes loco etiam superius laudato, ubi de Danubio: *Ita rigescit, ut in silicis modum vehat exercitum, plaustrag; & traculas.* Quo ex loco simul observamus, usum earum frequentem præcipuumq; fuisse in glacie ac nivibus. Sermo enim ibi est de Danubio congelato & constricto glacie. Atq; sic Pomponius Sabinus ad sæpe indicatum Virgilij locum in Georg. 1. *Trahea, agricolarum instrumentum, à trahendo. Scythæ appellaverunt sangi: sed est pulchrioris formæ, & supra glaciem utuntur. Rotas non habet, sed trahitur.* Ubi nota *sangi*, Scythicum vocabulum, quod ex Scythis ipsis hausisse videtur, quippe qui notos eos habuit, & Itinerarium Scythicum scripsit. Sed quid *sangi?* Nihil aliud, opinor, quam quod Hesychio σλωϊζει. Quod proinde discimus ex collatione loci hujus esse Scythicum, & significare traham. Quanquam optime observet traham Scythicam elaboratiorem multo esse atque pulchriorem, ea, quæ in Italia est recepta. Scilicet in ea rusticum est vehiculum, at in Scythia omnium, etiam illorum, qui in dignitate magna constituti. Nam cum frequens nix in ea glaciesq;, ideo & vehiculum hoc receptum. Atq; ita hodieq; cernimus in ijs populis, quibus nix & glacies infesta. Sumptu ingenti trahas suas excolunt ac exornant. De oneribus super trahas solitis deferri colligimus & ex Ammiano, quando iis obeliscos Romam scribit deportatos. Verba etiam superius laudata: *Chamulcis impositus, tractusq; lenius per Ostiensem portam* obeliscus. Observa, obeliscum unum impo-

ſitum chamulcis pluribus, id eſt trahis. Nempe longus fuit, ut trahauna eum capere nequiverit. Atq; ita factum & in aliis ejusmodi oneribus, ut navibus. Hoc enim voluit Pollux, quando ſcripſit lib. VII. c. 33. Αἱ καλούμεναι χαμυλκοὶ, μηχαναὶ, δι' ὧν εἵλκοντο. Hic χαμυλκοὶ nil aliud, quam trahæ, ſicut Ammiani locus manifeſte docet. Trahis ejuſcemodi imponebantur naves, ſi de loco uno transferri debebant in alium. Interpres non intellexit: igitur ſic ea verba reddidit. *Sed quæ humi tractæ dicuntur, machinæ ſunt, quibus trahuntur.* Quaſi *humi tractæ* ſit vocabulum earum Latinum. Rectius feciſſet, ſi ad imitationem vocis Græcæ reddidiſſet *chamulcos*, ita namq; Ammianus etiam vocavit. Neſcio, annon ſint eædem & ὁλκοὶ, nam & his protractæ naves, quod in libris de Militia Navali dixi. Heſychius. Ὁλκοὶ, οἱ μηχαναὶ, δι' ὧν αἱ νῆες νεωλκοῦνται. Certe ſi vim vocis cogites, ὁλκοὶ quid aliud, quam *trahæ*, ab ἕλκειν *trahere?* Nec abludit multum Svecicum vocabulum, nam *Kælkar* nominant. Mihi ſane machinæ eædem ὁλκοὶ & χαμυλκοὶ videntur, deniq; non aliæ, quam quæ apud Latinos dictæ trahæ, ſive traheæ.

## Cap. VIII.

## De Unarota & Chiramaxio.

*Vnarota quem auctorem habeat. Hyginus emendatur. Morari curſum. Pabo.* Κλάξη. *Claba. Clabula.* Μονότροχος. *Carruca. Hyginus denuo emendatur. Chiramaxium. Pinellus notatur. Arcuma. Chiramaxium non fuit plauſtrum, neq; tractum, ſed propulſum manibus. Vehiculum manibus actum. Aurelianus medicus exponitur. Vſus chiramaxij pro ægrotis. Petronius explicatur.*

POſt vehicula ſine rotis venio ad ea, quæ ſubnixa rotis volvebantur. Ex his primo loco memorabo, quæ habebant rotam tantum unicam. Ea Latinis *unarotæ*, inventa à Cerere, à Triptolemo primum uſurpata, ſi Hygino fides. Ita namq; habet lib. II. ubi agit de Ophiucho. *Ceres cum ſua beneficia largiretur hominibus, Triptolemum, cujus ipſa fuerat nutrix, (qui primus hominum unarota dicitur uſus, ne curſum moraretur) juſſit omnium nationum agros circumeuntem ſemine partiri.* Ita locus hic ſcribendus eſt, non, ut habet

bet mea editio, Lugduni à Joanne Degabiano An. 1608. publicata, *una rota*, item, *nec cursu moraretur*. Vult enim Hyginus demonstrare causſam, cur vehiculum id una tantum rota fuerit instructum, festinationem scilicet, ne mora longiore, si & altera fabricanda esset rota, differretur Cereris beneficium, hominesq; diutius adhuc carere frumento cogerentur. *Morari cursum* ita dictum ab Hygino, ut à Tacito III. An. 33. *morari bellum*, à Vellejo II. c. 80. *morari victoriam*, & id genus alia. Ne ergo Triptolemus imperatum sibi à Cerere moraretur cursum, usus est non *una rota*, quod habent editi; nec enim rota una faciebat iter, sed vehiculo, seu curru, quod ostendunt verba, quæ præcedunt apud Hyginum, in quibus expresse *collocatus fuisse in curru* dicitur, sed *unarota*, hoc est curru sic vocato, quod tantum unicam haberet rotam. Habemus alias *pabonem* ita usurpatum, si est vera lectio, quæ hodie reperitur in glossis Isidori. Sic autem ibi legitur: *Pabo, vehiculum unius rotæ*. Pabo alias secundum permutationem litterarum *pavo* avis est. Itaq; in Philoxeno legas, *Pabo, vide pavo*. Sed pavo nihil facit ad vehiculum, ut de Glossis illis valde dubitem, vixq; scriptum integre vocabulum existimem. An legendum *Klabo* vel *clabo*, ut sit à Græco κλάβη, quod & ipsum genus est vehiculi? Notæ ad Curopalatem Francofurti editum apud Johannem Marescliallum An. 1588. p. m. 275. Κλάβη *sive* κλάπη, *squamæ formam habens vehiculum desinens q; in orbem pone: cujus diminutivum clabula sive clavula, celox vehiculum, cujus caplus ad squamæ formam in hemicyclum ductus ad ægrotos commode exportandos est commodissimum*. Sed hæc omnia sunt falsa. *Clabula* seu *clavula* nunquam est vehiculum, sed bacillus, à *claba* sive *clava*. *Claba* est à κλάδα. Κλάδα vero ῥάβδος, sive *baculus*. Hesychius: Κλάδαν, κλάδον, ῥάβδον. Ab hoc κλάδα Æolice est κλάβα, indeq; Latine *claba*, pro quo & *clavam* usurparunt. Nam *clava* proprie fustis est ex arbore recisus, unde clava Herculea. A *claba* per diminutionem est *clabula*, quod proinde non *vehiculum* significabit, sed *bacillum*. At veniculum est *clabulare*, quod sic dictum, quia est ex clabulis constructum contextumque, sicut alibi ostendi. Quare frustra hic de *Klabo*, sive *clabo* cogitabimus.

bimus. Nec succurrit aliud, quod cum *pabone* conveniat, de quo proinde videant, qui arte divinandi magis pollent. Nobis hoc videtur difficilius, quoniam vix dubitamus, quin sit barbarum vocabulum, qualecunq; denique fuerit, ut alia non pauca illo in Glossario. Græci unarotam appellasse μονοτρόχον videntur. Sic enim habemus in Onomastico veteri Argentoratensi : Μονότροχος, *carruca*. Equidem carruca vulgo genus aliud, & cum rotis pluribus. Puto tamen usurpatum aliquando laxiori notione, ut signarit carrum minutum. Μονότροχος profecto, si vocabulum respicias, significare potest nihil, nisi *unarotam*. Sed quæ unarotæ fuit species, aut structura ? Hoc nos docet nemo veterum. Unam tantum habuisse rotam constat vel ex appellatione. At vero cætera illius ignoramus, nam qui excepto Hygino ejus mentionem fecerit, non opinor reperiri aliquem. Id tamen observo, tractam esse, non gestatam, & tractam non ab hominibus, sed jumentis, si modo eadem conditio reliquarum fuit, quæ Triptolemi. Nam ipsius unarota tracta fuit à draconibus. Hyginus : *Ceres Triptolemum, cujus ipse fuerat nutrix in curru draconum collocavit*. Dracones illi numero fuere duo. Ita enim habet idem in sequentibus : *Carnutæ enim jussu, cum draco unus eorum esset interfectus, ne cum Triptolemus sensisset insidias sibi parari, currus præsidium sibi constituere speraret, Ceres eo veniss̃e, & erepto adolescenti currum dracone altero subjuncto reddidisse*. Sic hiẽ lego, non *dracone altero subjecto*, & *subjunctum* explico *adjunctum*, sive *junctum*. Quomodo habemus etiam apud Virgilium in V. Eclog.

*Daphnis & Armenias curru subjungere tigres*
*instituit*. Sicut ergo Triptolemi unarota, quæ prima fuit hujus generis, tracta à draconibus duobus, ita suspicor deinde reliquas ad hoc exemplum factas, esse tractas à duobus jumentis. Dico reliqvas. Nam habuisse plures ejus generis constat vel ex appellatione Græca Latinaqve, qvæ in Glossis Onomasticoqve veteri adfertur. Deniq; Hyginus unarota *primum* dicit usum Triptolemum. Non potest autem primus intelligi, nisi referatur ad plures subseqventes alios. Cæterum, si unarota tracta, sicut dixi, non potest genus illud

fuisse

fuisse, qvod vocarunt chiramaxium. Meminit illius unicus Petronius his verbis: *Hinc involutus coccina gausapa lecticæ impositus est, præcedentibus faleratis cursoribus quatuor, & chiramaxio, in quo deliciæ ejus ferebantur, puer vetulus, lippus, Domino Trimalcione deformior.* Qværunt eruditi, qvid sit chiramaxium hoc loco. Pinellus in Additamentis ad Notationes Argoli, super Onuphrium, exponit *sellam curulem*, qvod revellitur à solo nomine, qvod ἅμαξαν fuisse docet, id est, vehiculum cum rotis. Scaliger, qvem ferè alii seqvuntur, putat esse idem cum *arcuma* vehiculum. Verba ejus sunt ejusmodi in Festum voce Arcuma: *Arcuma videtur esse genus modici plaustri, quo homo tantum gestari poterat, & à servis, non à mannis trahebatur, unde vocabatur chiramaxium.* Probant explicationem hanc cum Dousa in Præcidaneis ad Arbitrum lib. I. c. 13. tum Vossius in Etymolog. voce *Arcuma*. Nec recedit is, qvi Glossarium Petronianum edidit. *Chiramaxium*, inqvit, *genus modici plaustri, unius hominis tantum capax, solitum à servis trahi.* Verum, chiramaxium inter plaustra numerari, non existimo conveniens. Plaustra sanè non hominibus, sed oneribus vehendis destinata magis legimus. At in chiramaxio Petronii puer vehitur. Adde, qvod is puer fuerit Trimalcioni in deliciis, qvi pro luxu reliqvo sine dubio & puerum illum splendidè ac delicatè habuit. Jam verò nemo est, qvi plaustrum ullum inter splendida vehicula retulerit. Ideò non puto rectè explicari per minutum plaustrum. Deinde nec hoc puto verum, qvod sit tractum à servis. Eqvidem id planum, incessisse hominum opera, non jumentorum, docetq; ipsum vocabulum, à χεὶρ & ἅμαξα compositum. Χεὶρ enim est *manus*, qvæ de solis intelligitur hominibus. At verò tractum ideò ab hominibus continuò non seqvitur. Imò potius contrarium hinc colligas. Nam qvi trahunt, illi manibus id minimè faciunt, sed loro ad pectus religato, vel jugo indito cervici. Virgilius II. Æn. ubi loqvitur de iis, qvi eqvum Græcorum in urbem Trojam deducere debebant:

-- -- *Et stuppea vincula collo*
*Intendunt.* -- -- --

Hyginus cap. 254. *Gleops & Bitias pro bobus sub jugo se junxerunt.* At

verò chiramaxium nil tale innuit, sed manibus ostendit promotum. Neq; mihi dubium, qvin chiramaxium sit illud ipsum vehiculum, qvod Aurelianus Medicus appellat *actum manibus*. Verba ejus sunt lib. I. cap. 5. *Adhibenda gestatio primo gestatoria sella, tum vehiculo manibus acto.* Item lib. II. cap. 1. *Tum gestatione corpus movemus pro virium modo sertoria sella, sive cathedra, tum longiore vehiculo manibus acto.* Ipsa nominis vocabuliq; ratio demonstrat *vehiculum manibus actum* esse ipsum illud, qvod Petronius Græca consvetudine vocavit *chiramaxium*. Jam si chiramaxium vehiculum actum manibus, vix illud aliter concipere valemus, qvam qvale hodieq; notum est cum rota unica inter duas tabulas utrinq; desinentes velut in temones, ut iis ante se propellere homo possit. A Germanis meis Schubkarch nominatur, qvoniam non trahitur, sed propellitur, qvod Germani schieben nuncupant. Svecis simili propemodum ratione *Skottkærra* dicitur. Qvanqvam cum Aurelianus vocet *longius vehiculum*, qvam nimirum fuit cathedra sive sella, qvorum comparatione ita loqvitur, aliter nonnihil potuit fuisse formatum. Ac fortassis non sedere solum, sed & recumbere in eo poterant. Liqvet enim, fuisse delicatum, ac propterea tributum ægrotantibus, qvos juvare molli corporis jactatione debebat. Neqve mihi alia videtur caussa, cur Trimalcionis puer vectus fuerit in chiramaxio, qvam ut motu eo valetudini consuleret. Nempe sicuti Trimalcio primum balneis, dein lectica se exercuit, gestationeqve corpus commovit suum, ita plane puer ejus chiramaxio, qvod hucusq; nemo observavit. Atqve hic fortassis usus chiramaxii si non unicus aut præcipuus, saltem non postremus fuit. Ut propterea nec illi Germanorum generi, qvod supra memoravimus, omnimodo convenire possit, cum præsertim id portandis transvehendisq; oneribus, chiramaxium verò hominibus sit destinatum. Qvanqvam hodieq; observaverim in Batavis receptum, iis pueros infantesq; vectitare, qvibus Kreuwagens nuncupantur. Ut iccirco non per omnia diversum fuisse videatur. Saltem sic formatum, uti unam tantum haberet rotam, verisimile, qvia hodieqve, qvantum scio, nullum vehiculi genus, qvod qvidem manibus agitur, aliter fabricatum habetur.

Cap.

## Cap. IX.

# De Birota & similibus.

*Birota. Codex Theodosianus explicatur. Birotum. Birodium. Dirodium. Non Rheda, nec carrus, nec plaustrum fuit. Mulos adjunctos habuit tres, nec tamen fuit triga. Trirodium. Quadrirodium.* Τετράκυκλον. Τετράτροχον. Ἑξάκυκλον. *Vehiculum sex rotarum. Corrasius revellitur.*

SEqvitur vehiculum rotarum duarum, qvod exemplo vehiculi prioris *birotam* appellarunt. Imperator Constantius in l. 8. Cod. Theodos. de Cursu publico: *Statuimus rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta.* Et lege seqvente: *Miranda sublimitas tua nullos evectioni dies addendos esse cognoscat, nec passim rhedarum tractorias vel evectiones birotum faciat.* Ubi *birotûm* scribendum, ut appareat contractè dici, pro *birotarum.* Usurparunt & in neutro genere, si qva est auctoritas Onomastici veteris Argentoratensis. Ita namq; habet: *Birotum,* δίτροχον. Ubi simul observanda Græca ejus appellatio, alibi, qvod sciam, minimè occurrens. In Glossario seu Notis potiùs, qvæ dicuntur Tullii Tironis, & in calce operis Inscriptionum Gruteriani extant, legimus etiam *birodium*, sine dubio pro *biroto*, vel *birota.* Nam & *quadrirodium* formatione simili illic reperitur. Imò voce hibrida in Notis dictis etiam *dirodium* occurrit. Cæterum, birota fuit vehiculum diversum à rheda, qvæ ipsam qvadruplo & amplius magnitudine roboreq; superasse videtur. Apparet hoc ex lege supra prolata, in qva non modo nominatim ista duo genera distingvuntur, sed & birotæ ducenta tantum imponuntur pondo, cum rhedæ imponantur mille. Carrus qvoq; fuit alius à birota, qvod colligimus ex eo, qvoniam onus carri erant libræ sexcentæ. Valentinianus, Theodosius & Arcadius in lege 47. Cod. Theodos. titulo eodem: *Rhedæ mille librarum onus imponi debet, carro sescentarum.* Non potuit carrus idem esse cum birota, qvippe cujus onus justum pondo fuere tantum ducenta. Num id fuit genus, qvod antiqvi nominarunt *plaustrum?* Nam huic Isidorus rotas duas tribuit. *Plaustrum,* ait, *vehiculum duarum rotarum,* lib. XX. cap. 12. Ego vix opinor, monstraboq; amplius, cum ad plaustrum venero. Potius existimo sui generis fuisse, inventum.

tum post institutum cursum publicum, & solenniter in eo usurpatum. Ideò vetustiores nullam ejus fecere mentionem, neq; alibi memoratur, qvam ubi sermo est de illo cursu. Speciem illius reliqvam exponere haud possumus, qvia descriptam habemus à nemine. Binis incessisse rotis ex ipso vocabulo intelligitur. Trahebatur porro à mulabus. Constantius Imperator in lege 8. Codic. Theod. sæpe dicto titulo: *Octo mulæ jungantur ad rhedam æstivo videlicet tempore, hyemali decem, birotis trinas sufficere judicamus.* Nominatim mulas memorat in eis. Observandum verò est, qvod in ipsis ponat tres. Hinc enim discimus, eas mulas jungi solitas non æqva fronte, sed vel duas sub jugo uno, qvas antecedebat una solitaria, sicut freqventissimè in mea patria rustici jungunt eqvos, vel potius serie continua unam post alteram, sicut ferè factum in reliqvis hujus generis, ut rheda & similibus, qvod suo loco apparebit. Nam æqva qvidem fronte juncta animalia nunqvam in hoc genere, sed militari, qvodq; militare referebat, Circensi aut triumphali. Unde illud qvoqve colligimus, qvod tametsi birota eqvos tres sive mulas habuerit, iccirco tamen triga non extiterit, multo minus verò biga. Adeò hæc inter se confundenda non sunt. Alia est birota, & alia biga: Alia qvadrirota, & alia qvadriga. Potuit birota tres habere junctos eqvos, imò qvatuor, qvod suspicamur, qvia dicitur *sufficere*, ut tres habeat, qvasi aliqvando plures etiam habuerit, in verbis supra memoratis. At verò biga nunqvam, nisi duos eqvos habuit. Nec tamen, si tres habuit, iccirco triga facta, qvia longè aliter in bigis trigisq; juncti, qvam in nostro isto genere. Adde, qvod hominibus vehendis destinatæ forent bigæ, trigæ ac id genus, non birotæ. Nam birotis onera deferri solita, docet, qvicqvid de ipsis in antiqvis legibus occurrit. Imò hac de caussa oneris ipsius magnitudo per easdem definita est. Sicut autem legimus birotam seu birodium, ita & *trirodium* in eisdem Tulli Tironis Notis. Erit porro trirodium, si vocabuli significationem cogites, vehiculum cum rotis tribus, sicuti birodium eum duabus. Qvale verò sit vehiculum, qvod rotas tres habuerit, alibi observare non recordor. Sed nec hodie illius inter vehicula ullum supereſt vestigium. Omnia vel

unam

unam, vel duas, vel quatuor tantum habent rotas. Ut ignorem, an hæc vox accipienda sit de vehiculo. Imo suspicor ad machinas pertinuisse, sive alias quascunq; res, quæ rotis movebantur. Quomodo videmus aliquando sellas rotulis in extremo pedum defixis esse mobiles. Hujus generis vehiculum esse potuit trirodium, non quo iter fit, aut onera deportantur, & cujus fuit usus popularis, & jumenta subjuncta habuit. At *quatrirodium*, quod similiter habetur dicto loco, nihil obstat, quo minus de vehiculo cum rotis quatuor accipiamus. Nam & τετράκυκλον sic usurparunt Græci. Homerus ipse Iliad. Ω.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην

*Ante quidem muli trahebant quatuor rotarum currum.* Eustathius hoc libro, sed paulo ante: Ἐρεῖ καὶ ἀπήνλω τετράκυκλον, ὅ ἐστι τετράτροχον. Pari modo Dydimus, vel quisquis alius Scholiastes vetus indicato loco: τετράκυκλον, τετράτροχον. Unde colligas etiam τετράτροχον vocasse. Pollux lib. X. c. 12. ubi de vehiculis: Καὶ τὰ μὲν τετράκυκλα, τὰ δὲ δίκυκλα. Duo tantum novit genera, unum cum rotis duabus, aliud, cum rotis quatuor, quod notandum. Firmat enim id, quod de trirodio asserebamus in superioribus. Athenæo est simpliciter τετράκυκλος lib. V. c. 7. Μετὰ τέτας τετράκυκλος πηχῶν τεσσαρεσκαίδεκα. Atq; ita sæpe illo loco. Observo autem & ἑξάκυκλον, quod ad imitationem quatrirodij *serodium* possemus nuncupare, ac intelligere vehiculũ cum rotis sex. Hippocrates in de Aëre, aquis ac locis: Ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεῦνται, Νομάδες δὲ καλεῦνται, ὅτι οὐκ ἔστιν οἰκήματα, ἀλλ' ἐν ἁμάξαις οἰκεῦσιν. Αἱ δὲ ἅμαξαι εἰσὶν αἱ μὲν ἐλάχιστον τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι. *Ibi Scythæ, Nomades dicti degunt, quod domos nullas habeant, sed in curribus habitent, qui minimum quatuor, alij sex rotis sunt instructi.* Sed Hipocrates ipse monstrat, genus hos fuisse singulare, neq; notum alibi temere, quam apud Scytas, quia tanto studio describit. Quin & eo colligas, quod ἑξακύκλου nomen alibi vix legas. Ac ne Romani quidem usquam, quantum hactenus cognovi, memorarunt rotas sex in aliquo vehiculo, cujus esset usus vel ad hominum gestationem, vel ad transportanda onera. Ut in censum talium venire minime oporteat. Corrasius lib. III. Miscellaneo-

rum c. 20. commemorat vehiculum cum rotis etiam octo. *Denique*, inquit, *octophorum, cujus ad Q. Fratrem meminit Cicero, vehiculum octo rotarum fuit, quo maxime Caligulam usum Tranquillus refert.* Verum fallitur vir alioquin haud indoctus, quod vel ipsum satis ostendit vocabulum, non à κύκλοις aut τροχοῖς, hoc est rotis formatum, sed à φέρειν, quod significat *gestare*. Ac jam in superioribus monstavimus, sic esse nuncupatum non currum aliquem cum rotis, sed lecticam, quam gestabant octo lecticarij. Neq; usquam alibi reperias memoratas rotas octo ullo in vehiculo.

## Cap. X.
## De Monaco.

*Monacus. Monacosmum.* Κόμωδα *an jumentum. Meursius & Vossius revelluntur. Isidorus corrigitur. Monocosmon, & monacosmon differunt.*

SIcut pro numero alio alioq; rotarum, ita & equorum alijs aliisq; vehicula nominibus sunt compellata. Hinc bigæ, trigæ, quadrigæ, ut liquebit amplius ex sequentibus. Habuerunt vero aliqua cum jumentis quoq; singulis, sicut hodie passim est receptum. De quibus ideo hic primum agemus. Memorantur ea in Glossario veteri Arabico Latino, quod Vulcanis est publicatum, iis verbis: *Monacus, genus vehiculi, quod ab uno jumento ducatur.* Ostendunt manifeste satis verba hæc, fuisse nota veteribus vehicula, quæ etiam ab uno tantum trahebantur jumento. Neq; usus eorum recentior, sed antiqvus plane, ipsiq; notus Homero videtur. Is enim ita loquitur Iliad. M. ubi agit de via munita per Archivos palis fudibusque, & coacta in angustum, ut

Ἐνθ' ὄκεν ῥέα ἵππος ἐΰτροχον ἅρμα τιταίνων.

*Illic non facile equus volubilem currum traheret.* Unum solummodo hic equum memorat in curru, ut proinde genus id intelligendum fuerit, quod dixi. Videturq; ipsum probare Poetæ institutum. Vult enim monstrare viam prorsus arctam & quæ excludat cuncta bellica vehicula, qualia tum fuerunt etiam bigæ. Quare ait, capere vix potuisse vehiculum, quod ab uno solo traheretur equo.

Dicit

Dicit autem auctor Glossarum ante laudatarum, id vehiculum vocari *monacum*. Quærunt viri doctissimi, unde nomen hoc sit ortum, & quid ita dictum sit id vehiculum. Meursius suspectum quoque habet, immutariq; putat oportere in *monacosmum*, quod legitur in Glossis Isidori. Cum eo facit quoq; Vossius in de vitiis Serm. Lat. lib. III. c. 27. ubi ita habet. *Monocosmum ab Isidoro in Glossis exponitur, quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus. Nec dubium, quin in Glossis Arabico-Latinis cũ Meursio legere oporteat: Monocosmũ, vehiculi genus, quod ab uno jumento ducatur, ubi vulgo monacus.* Scilicet existimarunt ambo vocem monacosmi esse à μόνος, quod *solum* sive *unicum* significat, & κόσμος, quod Meursius *jumentum*, Vossius *ornatum* reddidere. Atque Meursij quidem sententia, κόσμον pro jumento accipientis, palam falsa est, satisq; Vossio refutata. Vossij vero refellitur explicatione Isidori, quæ nil habet de ornatu. Ergo alia quærenda est origo. Arbitramur autem esse non à μόνος & κόσμος, verum μόνος & ἄγειν, rectèq; dici non modo *monocosmon*, de quo tamen statim plura, sed & *monacum*. Nempe in *monacus* litteram existimo esse permutatam, & *monacus* scriptum pro *monagus*, sicut fieri & in aliis consvevit. Si enim & *cenas* pro *genas*, *frucem* pro *frugem*, *rocato* pro *rogato* reperimus, cum non paucis alijs generis ejusdem. Porro *monagus*, quasi μοναγὸς, quomodo & *hippagus* simili originatione apud Plinium lib. VII. c. 56. quæ Græcis ἱππηγὸς. Qui *monagus* proinde significabit currum tractum ductumve ab uno, non sententia Glossatoris solum, verum ipsa vocabuli ratione. Et quia idem significare debet *monocosmon*, etiam de eo aliter vix judicandum. Quanquam mea sententia Isidorus scripserit, non *monocosmon*, sed *monacosmon*, similiterq; id posuerit pro *monagosmon*. Ut *monagosmon* sit dictum per insertionem litteræ *s.* pro *monagomon*, hic vero pro *monagogimon* significatione pari, cum monaco. Nisi putamus esse aliud monocosmon seu monacosmon in masculino, & aliud in neutro. Ita namq; habet vocabularium vetus nescio quod, Vossio laudatum: *Monocosmus, id est genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans & dicitur à monos & cosmus.*

Facit manifestam differentiam inter *monocosmos* vel *monocosmus*; & *monocosmon*, seu *monocosmum*. Verum metuo, ne sit inanis hæc subtilitas magistri. Et quæ illius possit dari ratio? Cur masculinum ad vehiculum à jumento tractum significatione passiva, neutrum vero ad vehiculum portans hominem significatione activa referẽdum? cum ut in masculino vocabulum substantivum *currus*, sic in neutro *carpentum* vel quid simile possit intelligi. Deniq; si facienda differentia, rectius fortasse diceretur, aliud esse *monacosmon*, & aliud *monocosmon*. Hoc oriri à *monos* & *cosmos*, illud à *monos* & *agein*. Monacosmon esse vehiculum ab uno ductum animali; monocosmon adornatum uni homini, hoc est præparatum ac instructum in unius tantum alicujus usum. Nam quod masculinum attinet, exponit illud pari modo Vulcanius in Notis ad Isidori Glossas, sicut neutrum, neq; generis intuitu differentiam ullam reperit. Quanquam mihi expositio vehiculi in unius modo usum præparati tota videatur commentitia. Nec enim peculiare quoddam fuit genus, sed ex cæteris generibus quæcunque fuere minuta, unum tantum capiebant. Ut proinde non ex Isidoro Glossæ, sed ex Glossis Isidorus emendandus videatur, nec *monocosmon* legendum, sed *monacos*. Cum præsertim quidam Isidori habeant *monacosmum*, non *monocosmum*, ut Vossius citavit. Quicquid vero sit de lectione, illud planè liquet, non descendere à *cosmos*, ac iccircò nullum innuere vehiculi ornatum. Ut descriptum frustra sit à Vossio, quod fuerit *vehiculum hominum delicatorum ornatè compositeq; procedentium, ac tale, ut unum tantum hominem, vel summum & alterum caperet*. Nam contra fuit vehiculum, quod ab uno trahebatur jumento, sicut verbis manifestis docent veteres, quorum major hac in parte fides esse debet, quam conjecturæ, quæ ex voce, forsitan corrupta oritur. Adde quod si illud *monos* referendum est ad hominem, ratio vocabuli pereat, si vehiculum præter illum unum admiserit & alterum. Sane à jumẽti trahentis numero solitario, nõ hominis utentis, nec ornatu vehiculi vel hominis, sed ductu esse nominatũ voluit Glossarum auctor, quãdo non *ducitur* scripsit, sed ducatur. *Monacus*, ait, *quod ab uno ducatur*, quasi diceret, monacus ita vocatus est, quod duca-

ducatur ab uno tantum, hæcq; illius sit constructio formaque, ut jumenta plura non admittat. Reddit rationem appellationis per illud *quod*, non pronomen isto loco, sed conjunctionem causalem, ut Grammatici appellant. Habet quidem Isidorus *ducitur*, ubi monacosmum describit. Sed cum reliqua conveniant, magnopere de hoc non laborandum, æque forsitan corrupto. Cum præsertim viri docti consentiant fateanturq; omnes, non diversa genera, sed eadem utriq; describi. Cæterum quæ reliqua monaci fuerit structura, dicere non habemus, cum illius apud alios, quod ego quidem sciam, mentio non occurrat. Ex Homero, si monacus est, quem memorat in verbis antea laudatis, quod opinor, colligas, jumentum, quod appellat Isidorus, accipiendum esse eqvum, quippe quem in ipso nominatim memoret. Quanquam hoc perpetuum fuisse vix opiner. Sed & quia vocat ἅρμα id vehiculum, quod describit, duas tantum suspicari possis habuisse rotas, talis enim currus, quem ἅρμα proprie significat, ut loco alio prolixius tradetur. Usus quoq; monaci parum notus. Putes magis ad vehenda onera & id genus pertinuisse. Saltem bellicis & militaribus Homerus opponit, sicut supra vidimus. Quanquam cum monacus seu monagus dictus sit, ut bigæ, trigæ, ac id genus, quæ ad bella vel spectacula adhibita, dubitare possis. Videturq; de illius usu ad solennes ludos posse colligi nonnihil ex nummo veteri, quem exhibet Hubertus Goltzius inter Siculos tabula septima numero tertium. In eo namq; ad vehiculum, quale bigarum quadrigarumve solet esse, juncta cernitur mula, eaq; unica. Verũ metuo, ne socia illius sit omissa vitio sculptoris, adeoq; nullus ibi nobis monacus exhibeatur. Cum præsertim ipse Goltzius in eo nummo bigas memoret in Indice, ubi de mularum bigis loquitur. Sed nec alibi in ludis vel spectaculis monaci aut vehicula cum equis singulis vel memorantur vel repræsentantur picti. Ut adhuc res maneat ambigua, donec industria alterius suo tempore manifestabitur.

## Cap. XI.

## De Bigis.

*Bigæ, biga. Vnde dictæ bigæ. Isidorus explicatur. Desultorii. Hyginus emendatur. Comites, pares equi. Festus emendatur.* Ἅμιπποι. Συνωρίδες. Δυζυγία. *Erasmus notatur.* Ἅρμα τέλειον. Συνωρὶς πωλικὴ. Κέλης. *Amasæus notatur.* Σελλάρι. Ἁρπῶ. *Desultorii equi sine stratis fuere. Demsterus notatur.* Δρόμ ἵππων. *Desultorii quando instituti in ludis. Desilire quid.* Μελαβάτης. Ζεύξιππ. *Scaliger rejicitur. Glossæ veteres explicantur. Mitti. Missus.* Δίπωλα. Δίππ. *Bijugis. Bijugus. Bijuge curriculum. Bigæ rotas habent duas, & totidem jumenta.* Ἁπήνη. *Golzius notatur. Non est rheda. Currus de vehiculis Circensibus. Bigæ notæ ante trigas & id genus. Adhibitæ in præliis.* Δίζυγες. *In ludis quoque funebribus, Olympicis, Circensibus. In Circo num primum bigis solis certatum. Tertullianus explicatur, lectioque ejus vetus stabilitur. Demsterus notatur. Differentia inter militares currus & ludicros. Agitator. Habitus agitatorum.* Χιτὼν ἡνιοχικὸς. Στολὴ. *Tunica. Cassis.* Κράν. Πέτασ. *Cristæ. Infula. Exuere nexus. Statius explicatur. Stabant in curribus. Quomodo steterint. Qua ratione circa metam currum flectere potuerint. Bigæ flaminiæ. Bigæ cornutæ. Bigati nummi. Argentum bigatum. In eo bigæ Circenses, & ob quam causam. Bigarii.*

BIgas ævi optimi Scriptores numero plurali solum, nunqvam singulari extulisse, Varro auctor est, in de LL. lib. IX. *Non*, inqvit, *dicitur ut hæc una lata & alba, sic una biga, sed unæ bigæ.* Notat tamen Sergius in Donati editionem secundam, ipsum illum Varronem extulisse *quadrigam* singulari numero in Exdemetrico. Sed hoc Vossius in de Analogia lib. I. cap. 43. factum putat propter carmen, in qvo ne alii qvidem refugerint. Qvin imò & extra carmen jam Tiberii ævo monstrat legi apud Valerium Maximum lib. I. c. 8. Ego etiam Hyginum usurpasse video & observo, qvi floruit sub Augusto, ist est, optimo illo ævo. Verba ejus extant fab. 250. *Salmoneus, qui fulmina in quadriga sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.* Cæterum, has bigas putant dictas velut *bijugas*, qvod sub jugum unum missa haberent duo jumenta, qvorum opera trahebantur. Fronto apud Gellium lib. XIX. cap. 8. *Quatuor simul equi*

*juncti,*

*juncti, quadrigæ, quasi quadrijugæ, vocantur.* Loqvitur hic qvidem de qvadrigis Fronto, sed qvæ appellationis ratio est in qvadrigis, eadem est & in bigis, & in cæteris hujusmodi. Unde Isidorus lib. XVIII. cap. 36. *Quadrigæ & bigæ, trigæ & sejugæ ab equorum numero & jugo dictæ.* A *numero* & *jugo*, ait, qvo id ipsum innuit, qvod Fronto, id est, ut qvadrigas, ita & bigas esse dictas, velut bijugas. Dicit autem uterqve, in vocabulo bigarum factum esse respectum ad numerum *equorum*, qvod non satis videtur convenire, cum efferri debuerit non in fœminino genere, qvod nunc fit, verum masculo. Non igitur tam ad eqvos attenderunt, qvam vel eqvas, qvarum alias qvoqve, præsertim priscis temporibus, in hoc genere freqventiorem fuisse usum alibi jam demonstravimus, vel mulas. Qvid verò est, qvod Isidorus scribit dictas *à jugo*. An putavit sic vocatas, qvod sub uno jumenta essent jugo? At hoc falsum foret in cæteris generibus, exceptis bigis. Nam in trigis qvadrigisq; tantum duo eqvi sunt sub jugo, reliqvi adjuncti funibus. Qvare malo illud *jugo* apud ipsum verbum credere, qvam nomen, qvod significet *consocio, conjungo*. Sed nec Fronto aliud videtur voluisse per qvadrijugas, qvam qvatuor *jugas*, ab illo *jugo* dictas, hoc est, jugatas, junctas, aut consociatas. Atq; ita qvidem veteres. Nam recentiores malunt non à *jugo*, verùm *ago*, id est, *duco*, derivare, ut *bigæ* sint *bis* vel *binæ agæ*, id est, eqvæ aut mulæ duæ agentes, seu ducentes vehiculum. Qvam sententiam existimamus veriorem, qvia eam firmat etiam monagi seu monaci vox, qvæ utiq; à *jugo* sive *jungo* derivari haud potest. Plane autem, sicuti monacus seu monagus dictus, ita dici potuit diagus, pro qvo Latini fecere *biagas*, & contractè *bigas*. Ut proinde bigæ sint non tam sub jugum unum missæ, vel qvocunqve alio modo jugæ vel jugatæ, qvam ducentes vel trahentes eqvæ duæ. Qvod necesse tandem est intelligi in hoc vocabulo, contra qvam fit, si à verbo *jugo* derivamus. Nempe solebant qvoq; alias conjungi inter se ac sociari eqvi etiam absqve vehiculo, eqvitandi gratia, qvales *desultorii* vocabantur, qvoniam, qvi utebantur eis, ex uno, saltu transmittere se in alium consveverant. Meminit Florus lib. III. cap. 3. ubi de Teutobocho: *Quaternos senosque equos transilire*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*lire solitus, vix unum, quum fugeret, ascendit.* Vides, transilire solitos; Fieri hoc autem in iis solis consveverat, qvi *desultorii* dicebantur. Unde Hyginus fab. 80. *Etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt. Vnus duos equos habet, pileum in capite, de equo in equum transilit.* Ita lego ista, & asteriscum post *capite* tollo. Alii *ex equo* habent, ab ingenio, ut credo. Mihi *de* videtur rectius, qvia veteri scripturæ convenientius, in qva præcedentis vocis syllaba postrema sine dubio absumsit. Desultorii hi erant inter sese copulati. Unde *comites* sunt dicti Flacco lib. VI. Argon. ubi de Mœso: -- -- *Comitumque celer mutator equorum.*
Festus appellavit *pares*, qvia juncti erant æqva fronte. Verba ejus voce *paribus: Paribus equis, id est, duobus, Romani utebantur in prælio, ut sudante altero, transirent in siccum.* Verba hæc corrupta mutilave sunt, non Festi culpa, sed qvi eum mutilavit, Pauli. Qvomodo namq; cohærent ista, *Romani utebantur*, cum superioribus? Puto tamen Paulum etiam scripsisse: *Paribus equis, id est, duobus. Duobus Romani utebantur*, &c. Neq; verò desultorii tantum juncti inter se, sed &, qvi à Græcis dicti sunt ἄμιπποι, non multum dissimiles desultoriis, dissimiles tamen. Nec enim in iis unus tantum, & transmittens sese saltu, sed in suo qvilibet, unus, qvi urgebat flagello, alter, qvi pugnabat. Scaliger ad Manilii lib. III. Ἀμίππους *quidam desultores interpretantur. Nos rem similem, non eandem scimus fuisse: Similem quidem, quatenus* ἄμιπποι *erant equi juncti, dissimilem, quod in altero auriga insidebat, ex altero autem miles armatus pugnabat.* Si ergo bigæ significarent eqvos tantum junctos inter se, possent eqvi duo hujus qvoq; generis, vel desultorii significare. Jam verò veteres distingvunt. Svetonius in Julio cap. 39. *Quadrigas bigasque, & equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Qvare bigæ dictæ, non à jungendo, sed agendo, sicut dixi. Nisi plane aliam vocabulorum istiusmodi reddamus rationem, de qva dicam in seqventibus. Græci nuncuparunt συνωρίδας. Glossæ: Συνωρίδες, *bigæ, singulare non habet.* Nota, etiam auctorem hunc in bigis singulare non agnoscere. Nam aliter Philoxenus: *Biga*, ξυνωρὶς. Item Lexicon aliud, titulo de Spectaculis: *Biga*, συνωρὶς. Συνωρὶς & ξυνωρὶς est idem. Liqvet autem

tem manifestè, Græcis συνωρίδα esse, qvæ Latinis *bigæ*. Atq; sic Hesychius: Συνωρίδα, ἅρμα δίππωλον. Item paulò post: Συνωρὶς, ἅρμα ἐκ δύο ἵππων, ἢ συζυγία. Ubi tamen observandum, συνωρίδα Græcos usurpasse non de curru solum, sed & eqvis solis, inter sese junctis, id enim hic συζυγία. Et sic Lucianus, ut opinor, in Timone: Νενίκηκε καὶ τελείῳ ἅρματι, καὶ συνωρίδι ἱππωλικῇ. Vertit Erasmus: *Vicit solenni quadriga, equestrique certamine*, qvorum neutrum probum. Nam ἅρμα τέλειον non *solennis quadriga*, verum *currus equorum integræ ætatis*, qvo genere præcipuè certare solebant. Συνωρὶς πωλικὴ verò, eqvi duo juniores juncti, qvales desultorii Latinis dicti. Unde κέλης oppositum Pausanias in Eliacis: Συνέθεσαν ὕστερον καὶ συνωρίδα πώλων, καὶ πῶλον κέλητα. Vertit Amasæus: *Receptæ deinde pullorum bigæ, & pullus item desultorius*. Falsa omnia. Κέλης enim non est eqvus desultorius, sed singularis, desultorio oppositus, qvalem vulgo eqvites solebant habere, qvi ex eo Græcè κελήτες, Latinè *celetes*, vel, ut habet Livius, *celeres* sunt dicti. Suidas ideò exposuit sellarium, & pariter, ut Pausanias, à συνωρίδι distinxit. Κέλης, ait, ὁ μόνος ἵππος, καὶ ὁ ὅτι τοῦτο φερόμενος, ὁ σελλάριος, ὁ γυμνός· Συνωρὶς δὲ δύο ἵπποι συνεζευγμένοι. *Celes, equus singularis, item is, qui eo vehitur, sellarius, nudus. Synoris verò equi duo juncti*. Vides, κέλητα eqvum esse sellarium, eumq; unicum & solitarium. Qvi sellarius est dictus, qvia sellam habuit, cum illi juncti, qvi Latinis desultorii sunt dicti, sella carerent. Vetus auctor vocabulorum militarium: Ἀμφίπποι μὲν, οἱ ὅτι δυοῖς ἀστρώτοιν ἵπποιν συνδεδεμένοιν ὀχούμενοι, οἱ καὶ μεταπηδῶσιν ἀπ' ἄλλου ἐπ' ἄλλον, ὅταν ἡ χρεία καλεῖ. *Amphippi* (sic vocabant eos desultorios, & desultores) *sunt, qui equis vehuntur duobus non stratis, conjunctisque, & cum usus exigit, ab uno equo transiliunt in alterum*. Manifestè ait, desultorios hosce fuisse ἀστρώτους, id est, nulla sella, nullo strato tectos ornatosve, scilicet, ut insiliri desiliriq; facilius possent. Deinde etiam hoc ostendit, illos desultorios nunqvam fuisse solos, sed conjunctos saltem duos, ut proinde κέλης dici non potuerit, qvi est desultorius Latinis. Erravitq; etiam Demsterus, qvando ita scripsit ad Rossini lib. V. cap. 24. *Vt quadrigæ quatuor equorum cursum significabant, ita desultores uno tantummodo equo utebantur. T. Liv. 5. Decad. lib. 4. Semel quadrigis, semel desultorio misso*. Artemid.

*mid. lib. I. Oneiroc. c. 58.* ἵππον κέλητα ἐλαύνειν, *equum desultorium agitare.* Miscet ac confundit omnia. Κέλης vertit *desultorium*, cum potius sit *singularis*, sive *singulator*, nam & ita dictus est. Deinde desultori unum modo tribuit equum, qui minimum habuit duos. Ideò ἀμφίππους Græcis dictus est. Cujus equi quoniam fuere συνεζευγμένοι, sicut Suidas, vel συνδεδεμένοι sicut vetus auctor ait, hoc est juncti inter se ac copulati, ideo συνωρίδα quoq; nuncuparunt. Ut proinde ita reddi locus Pausaniæ debuerit: *Recepti deinde pulli desultorij, & pulli singulares* Sanè συνωρίδα duos significasse nunquam unum, docet ipse Pausanias dicto loco, quando ait: δρόμος δύο ἵππων τελείων, συνωρὶς κληθεῖσα, τεσσαρακοστῇ μὲν ὀλυμπιάδι ἐτέθη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα. Vertitur & hoc male, ista ratione: *Bijugorum integra ætate equorum (συνωρίδα vocant, quasi bigas dixeris) cursus receptus Olympiade tertia & nonagesima.* Nihil minus συνωρὶς, quando δρόμον ἵππων denotat, quam *bigæ*. Bigæ semper junctæ ad vehiculum intelliguntur: at vero δρόμος ἵππων accipi non potest, nisi de nudis equis. Et debuit docere locus ipse. Quis enim credat in solennibus istis Græciæ ludis non certasse bigis ante Olympiadem nonagesimam & tertiam? Diversum profecto testantur nummi Syracusij sub Gelone cusi, qui floruit circa Olympiadem septuagesimam secundam, ut de aliis nunc taceam. Quare non de bibis egit Pausanias, sed desultoriis, prædicto loco. Cum præsertim συνωρὶς de solis equis proprie dicatur. Suidas: συνωρὶς, συζυγία, δυάς. Κυρίως δὲ ἵπποι δύο συνεζευγμένοι. Κέλης δὲ ὁ ἐπὶ ἑνὸς ἵππου ὀχούμενος, καὶ αὐτὸς ὁμοίως ἵππος. Dicit, vocem hanc significare quidem conjunctionem, & binarium numerum. Proprie vero usurpari de duobus equis, junctis inter se. Quorum qualis debeat intelligi junctura, declarat eo, quoniam opponit celeti. Scilicet hoc vult, sicut celes equus singularis est, sic συνωρίδα esse duplicem, & ut ille ad vehendum equitem paratus, ita quoq; συνωρίδα. Συνωρὶς ergo propria significatione notat equum, equo junctum alij, equitandi gratia. Qualis introductus est in ludos Olympicos circa nonagesimam & tertiam Olympiadem, servatusq; etiam Romanis in ludis Circensibus sub vocabulo equi desultorij. Unde Svetonius loco supra nominato: *Quadrigas bigasq;, & equos*

*desul-*

*desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes.* Qui his insidebant, Latinis dicti *desultores*. Isidorus lib. XVIII. c. 39. *Desultor cum ad finem cursus veniisset, desiliebat, & ex equo in eqvum transiliebat.* Bene *transiliebat*, ita namq; τὸ *desiliebat* est intelligendum, non quod desilierit in terram, & sic demum ascenderit alterum, sed quod desilierit ex uno equo, saltuq; ab illo se transmiserit in alterum, quod iccirco Manilius, *ludere per terga volantum* dixit lib. V. Astron. Græci desultorem appellarunt μεταβάτην, eqvum vero ζεύξιππον. Confudit Scaliger ad Manilium his verbis: *Desultor à veteri magistro redditur* ζεύξιππος, μεταβάτης, *hoc est combinator.* At magister ille vetus, qui Glossarum auctor est, distincte: *Desultor,* ματαβάτης. *Desultor,* ζεύξιππος. Nempe duo desultoris vox significat, hominem desultorem plurimum, aliquando & eqvum, qui alias est *desultorius*. Livius lib. XLIV. c. 9. *Semel quadrigis, semel desultore misso.* Ita habent libri optimi, non *desultorio* ut Dempsterus citat. Desultor hic est eqvus, sicut & quadrigæ equi sunt. Et *mitti* equi dicebantur, non homines, non agitatores. Unde *missus*, qui de equis sunt intelligendi. Atq; ita & desultor mittebatur. Hyginus fab. 80. *Etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt.* Hic desultor ζεύξιππος, qui alias est *desultorius*, ita nominatus, quia nunquam fuit solus, verum junctus alij. Plane sicuti & σωωείδα ideò vocarunt. Qui σωωεὶς tamen non de equo nudo, & ad equitandum parato solum, sed & currui adjuncto usurpari solebat, sicuti ex Glossis in superioribus monstravimus. Σωωείδας loco usurparunt aliquando δίπωλα. Philoxenus. Δίπωλα. *hæ bigæ, singulare non habet.* Ἅρμα δίπωλον dixit Hesychius in superioribus. Legitur & δίππον hoc sensu, apud dictum Philoxenum. Δίππον, *biga.* Pro biga vel bigis etiam Romani aliquando nominarunt *bijugos*. Virgil. lib. X. Æneid.

*Desiluit Turnus bijugis* —

Ubi Servius: *Bijugis, erit nominativus hic bijugus, nam alias bijugibus faceret, si esset formæ tertiæ declinationis.* Quod addit Servius, quia & in ista declinatione appellantur *bijuges*. Poeta idem lib. III. Georg.

*Martis equi bijuges, & magni curus Achillis.*

Pro bijugis Svetonius usurpavit *bijuge curriculum* in vita Caij c. 19. *Postridie*, ait, *quadrigario habitu curriculoq; bijugi famosorum equorum per eum pontem commeavit.* Dio lib. LIX. ubi rem eandem narrat, ἅρμα reddidit. Ἀνεκομίσθη διὰ τῆς αὐτῆς γεφύρας ἐφ' ἅρματος. Verum ἅρμα generale est, ac de omni isto genere usurpatur, non eo solum, quod contentum equis est duobus. Ergo qui definiebant accuratius, bigas, sive bijuge curriculum συωρίδα nuncupabant. Habebat autem hoc curriculum, ut nunc veniam ad formam ejus, rotas tantum duas. Ita docent monumenta omnia antiqua, nummi Græci Latiniq;, sculpturæ marmoraq;, in quibus effigies ludorum circensium, & id genus. Inter rotas istas duas surgebat instar sellæ semirotundæ, cui certantes insistebant. Græci δίφρον appellarunt, unde genus ipsum sæpe ita nominatum, quod jam alij notavere. Partes ejus alibi expositæ sunt nobis. Speciem exhibent nummi, quos hic placet apponere duos ex Hub. Goltzio, qui diligentius, quam alij, expressit.







Hæ bigæ sunt cum suis curriculis. Exhibent autem equos. Equos enim ad hoc genus usurpasse supra quoq; diximus, & testati sunt Fronto atq; Isidorus. Junxerunt tamen & mulas, præcipue in ludis apud Græcos. Inde habes mularum effigiem in bigis, quas exhibent apud Goltzium nummi Syracusij, Messanenses, Gelonis, atq;

atq; alij. Sed & Pausanias propterea Eliac. 1. ὧν γὰρ δὴ ἀπήνη καλεῖται τὴν συνωρίδα, ἡμιόνους αὐτοῖς ἵπποις ἔχουσα. Dicit, genus quoddam fuisse curriculi simile συνωρίδι, id est bigarum, eo tantum diversum, quod equorum loco haberet mulas. Quod genus proinde, tanquam diversum ait appellasse ἀπήνην, quod notandum. Ostendit enim, ἀπήνην etiam fuisse bigas, sed cum mulis vel mulabus. Addit quoq; introductum Olympiade septuagesima. Τῆς δὲ ἀπήνης τὸν δρόμον ὀλυμπιάδι νομισθέντα ἑβδομηκοστῇ λέγουσιν. Quo magis miror Goltzium, hoc tribuentem Hieroni ex Pausania. Verba ejus habent ita in Indice Græciæ veteris: *Biga mulorum, quos primum ad certamina junxisse Hieronem, tradit Pausanias.* In Pausania nil istiusmodi reperio. Et qui potuerit, sic oblitus sui, cum multis sæculis Hiero post supra dictam Olympiadem floruerit? Testeturq; idem cum prioribus & auctor vetus συναγωγῆς ἱστοειῶν in dicta Olympiade septuagesima, his verbis: Τῆς ἀπήνης δρόμος ἐτέθη. Θερσίας ὁ Θεσσαλὸς ἀπήνῃ πρῶτος. Quæ de victore primo tali genere curriculi habet, memorat & Pausanias, cujus Interpretes illud Θερσία non per *Thersium*, aut *Thersius*, sed *Thersiam* exponere debuisse, per allatum veteris Scriptoris locum cognoscimus. Cæterum quo modo ἀπήνην reddiderint Latini, apud eruditos dubium esse video. Amasæus vertit *rhedam* apud Pausaniam. Placuit hoc & Bocharto lib. II. c. 19. Histor. Anim. Neq; vero dubium, quin locis multis ita possit intelligi. Sed sciendum, quod non omne vehiculum mulare sit ἀπήνη. Præter ἀπήνην etiam alia junctos habuere mulos. Quapropter si vel maxime in rheda muli fuerunt, non tamen ideo necesse fuerit, ut ἀπήνην ita explicem. Fuit ἀπήνη vehiculum, solis ludis Olympicis, vel certe potissimum usurpatũ. Ludis illis Olympicis apud Latinos succedere Circenses. At in Circensibus certatum rhedis nemo unqvam dixit ex veteribus. Qvare maluerunt alij *vehiculum mulare* vertere, qvod Sylburgius in Notis ad Pausaniæ interpretem testatur. Qvanquam fors hoc nimis generale sit. *Currus mularis* commodius videtur, cum vox *currus* frequens sit in isto genere. Virgilius;

-- -- *Effusi carcere currus*

Statius Theba VI. v. 285.

*Parte alia victor curru, Neptunia tendit*
*Lora Pelops* -- --

Plinius lib. IX. ep. 6. *Quo magis miror, tot millia virorum tam puerili-ter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines vi-dere.* Sed de curru alibi. De ἁπήνῃ certum est, fuisse genus curriculi bijuge, cætera bigis simile per omnia, nisi qvod à mulis traheretur, qvod vel ex subjecto nummo Messanensium apparet, qvi à Goltio est publicatus:




Loqvor de ἁπήνῃ, cujus meminit Pausanias, & qvæ in Ludis Olympicis adhiberi consvevit. Fuit enim qvoq; generis alterius, ut suo loco indicabitur. Sive autem eqvi jungerentur, sive muli, semper æqva locabantur fronte. Nec in bigis modò hoc fiebat, sed & reliqvis hujus generis, trigis nempe, qvadrigis, & similibus. A qvibus bigæ tamen differebant, qvod haberent jumenta tantum jugalia, funalia verò nulla, sicut reliqva genera, qvemadmodum jam alibi ostendimus. Usus vetustissimus bigarum fuit, atq; ante cætera hujus generis, si Lucretium audimus, qvi sic habet lib. V.

*Et bijugo prius est, quam bis conjungere binos,*
*Et quam falciferos inventum ascendere currus.*

Adhibuisse verò primum ad prælia videntur. Homerus profectò Æneæ tribuit. Currus enim, qvo aggreditur Diomedem, duos tantum habet eqvos, qvod ostendit Diomedes ipse, qvando sic de illis eqvis Iliad. E.

Τὼ

Τὼ ὃ δὺ Αἰνείᾳ δῶκεν, μήστωρε φόβοιο
Εἰ τύτῳ κε λάβοιμεν, ἀροίμεθα κᾶδ᾽ κλέος ἐσθλόν.

*Duos autem AEneæ dedit* Anchiſes eqvos, *peritos fugæ. Si hos ceperimus, retulerimus ſanè gloriam præclaram.* Sed & Pandarus iccirco ad Æneam dicto loco, cum eum Æneas adhortaretur ad prælium:

Ἵπποι δ᾽ ὑ παρέασι, καὶ ἅρμαλα τῶν κ᾽ ἐπιβαίην.
Ἀλλά πω ἐν μεγάροισι Λυκάονος ἔνδεκα δίφροι
-- -- Παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι.

*Equi autem non adſunt, & currus, quos conſcendam. Sed alicubi in ædibus Lycaonis undecim currus ſunt. Apud ipſos autem unicuique bijuges equi.* Tribuit unicuiq; currui δίζυγας, id eſt, junctos inter ſeſe binos eqvos. Scholiaſtes vetus: Δίζυγας, διτλοῖ, ἀνὰ δύο ἐζευγμένοι. Euſtathius: Δίζυγες ἵπποι, ἀντὶ τοῦ ἀνὰ δύο εἰς ἕκαστον ζυγὸν. At ita juncti bigas monſtrant, qvas proinde undecim habuiſſe aptas præliis apparet. Unde ſatis colligas freqventem bigarum in militia uſum. Ideò & Virgilius Pallanti tribuit lib. X. & de Turno lib. XII.

-- -- *Bigis it Turnus in albis,*
*Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.*

Jam ex illo uſu veteri translatæ bigæ ſunt ad ludos, qvia inſtar militaris exercitii debebant eſſe. Atq; primum qvidem ludi funebres bigis celebrati. Homerus ipſe Il. Ψ. de Menelao:

-- -- Ὑπὸ ὃ ζυγὸν ἦγαγεν ὠκέας ἵππους
Αἴθην πὺ Αγαμεμνονέην, τὸν ἑὸν τε Πόδαργον.

*Sub jugum verò duxit veloces eqvos, AEthen Agamemnoniam, ſuumque Podargum.* Duos tantum nominat, unde bigas adornaſſe liqvet. Porro, ſi à Menelao uſurpatæ bigæ, cæteri qvoq; bigas ex certaminis lege adhibuiſſe colligitur, qvæ utiqve non permittebat inter ſe diſſimiles certare. Poſtea translatæ ſunt in ludos Olympicos. Videturq; hoc factum initio ſtatim, cum bigarum uſus fuerit ſemper antiqviſſimus, ac iccirco ſæpe bigas eſſe intelligendas, qvando certatores viciſſe dicuntur ἅρμαλι, hoc eſt, curru. Atq; memoratur nominatim à Pauſania Cleoſthenes Epidamius, victor bigis Olympiade ſexageſima, illiusqve victoriæ monumentum, currum cum eqvis duobus, qvorum alteri Phœnicis, alteri Coracis nomen fuerit,

rit, collocatum dicitur Eliacorum II. Ἀνέθηκε δὲ ὁμοῦ τοῖς ἵπποις αὐτὸ, καὶ εἰκόνα, καὶ τὸν ἡνίοχον· Ἐπιγέγραπται δὲ καὶ τῶν ἵππων τὰ ὀνόματα, Φοῖνιξ καὶ Κόραξ. *Posuerunt autem una cum equis & ipsius effigiem, & agitatoris, subscripseruntque nomina equis, Phœnix, atque Corax.* Volui adducere hunc locum, ut liqveret etiam ex ipso, qvod est dictum in superioribus, longè ante nonagesimam & tertiam Olympiadem certamina bigarum fuisse recepta. Ex ludis Olympicis venerunt ad Circenses Romanorum. Nam in ipsis qvoq; bigis contendisse antiqvissimis temporibus vix potest dubitari. Qvin imò, si Tertullianum audimus, illæ primæ fuerunt, qvibus certabatur in Circo. Verba ejus lib. de Spectaculis, cap. 5. *Initio equi duo soli fuerunt, albus & roseus.* Ita habet editio Parisiensis Anno MDLXXX. à Michaële Juliano publicata, unde colligat nonnemo id, qvod dixi. Verum alia est mens Tertulliani. Eqvos enim hic intelligit non duos junctos, sed singulos per se in suis curribus, sic, ut eqvi currus ipsos denotent. Agit nempe de coloribus aurigantium, eosqve ait ab initio fuisse tantum duos, album & roseum. Hos colores, coloratosve currus cum aurigantium habitu reliqvo duos vocat eqvos, roseum & album. Ut sic malè fecerint, qvi illud *soli* mutaverunt in *Solis*. Solis enim eqvi semper qvatuor putati, nunqvam duo, sicut alibi monstratum est. At illi duo eqvi, qvos Tertullianus memorat. Qvi præterea non Solis tantum fuere, sed & Lunæ. Unde præcedit paulò ante apud eundem: *De jugo quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt.* Ostendit, in ludis Circensibus adhibuisse eqvos & in Lunæ honorem, non tantum Solis, eosq; plane fuisse bijugos. Unde simul id firmatur, qvod ajebam, bigas inter prima genera fuisse, qvibus in Circo utebantur. Erratq; sine dubio Demsterus, qvando solis certasse qvadrigis existimat. *Iure merito in Circo, qui Soli erat sacer, quadrigis inibant certamen,* ait ad lib. V. Rossin. cap. 5. Nam contra bigas qvoq; nobis exhibent monumenta omnia Onuphrii, & nummi veteres. Et Svetonius clarissimè in Tiberio, cap. 26. *Natalem suum plebejis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.* Licet verò bigæ transsumptæ fuerint ex bello ad spectacula, tamen alia nonnihil fuit ratio bigarum pertinentium ad bella,

&

& alia pertinentium ad spectacula. Nam in bigis bellicis semper erant duo minimum, unus auriga, alter, qvi pugnabat, qvorum ille qvidem Græcis ἡνίοχος, hic verò παραιβάτης sive ἀναβάτης dicebatur. Pollux lib. I. cap. 10. Ἐπιβεβήκασι δὲ τῷ ἁρμαλίῳ δίφρε, ἡνίοχος, καὶ παραιβάτης, ὃν ὁ Πλάτων ἀναβάτην μικράσπιδα ἐκάλεσι. *Currus verò sellam conscendebant auriga, & adscensor, quem conscensorem Plato vocat parvo utentem scuto.* Παραιβάτης hic, qvi ex curru pugnabat, ideò ei clypeum tribuebat Plato. Hesychius vocavit παραβάτην, si est vera lectio: Παραβάται, οἱ ἐπὶ τῶν δίφρων ἑστῶτες μαχόμενοι, οἱ κύριοι τῶν ἁρμάτων. *Parabatæ sunt pugnatores, qui stant in sellis, Domini curruum.* At verò in Circensibus stabat unus tantum, qvi ad cursum impellebat eqvos, *agitator* ideò à Latinis dictus, sicut loco alio monstravi. Sanè ubicunq; describuntur illi ludi, unius tantum fit mentio in unoqvoqve curru. Qvod vel ex Statii lib. VI. Theb. cognoscitur. Neq; aliud testantur monumenta vetera & nummi. Unus, isq; solus, nec nisi unico armatus flagello currui insistit. Qvare hac in parte currus isti bigæve differebant. Erat autem agitatorum illorum habitus peculiaris. Unde Svetonius de Cajo cap. 19. *Postridie quadrigario habitu curriculoque bijugi per eum pontem commeavit.* Lampridius de Commodo cap. 2. *Aurigæ habitu currus rexit.* Pertinebat huc χιλὼν ἡνιοχικὸς, ut eum vocat Callixenus apud Athenæum in descriptione pompæ Ptolomeianæ. Στολὴν reddit Dio lib. LXII. ubi de Nerone: Ἡρμαλιλάτησε, τήν τε στολὴν τὴν πράσινον ἐνδεδύμενος. Ubi repetitio articuli ostendit, loqvi eum de peculiari stola, ea scilicet, qvali solenniter agitatores erant ornati. Plinius Latinè appellavit *tunicam.* Verba ejus lib. IX. epist. 6. ubi agit de Circensibus: *Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica.* Loqvitur de tunica aurigantium, ut locus totus docet. Tunicæ addebatur cassis in capite. Hinc Papinius lib. VI.

*Ipse habitu niveus. Nivei dant colla jugales.*
*Concolor est albis & cassis, & insula cristis.*

Atq; sic Chrysostomus. At apud Dionem πράν est in Nerone, ubi ait ὁ Νέρων ἁρμαλιλάτησε τήν τε στόλην τὴν πράσινον ἐνδεδύμενος. καὶ τὸ πράν τὸ ἡνιόχικον περικείμενος. Videtur de peculiari agere, ac iccirco appellare

ἡνιόχιον. Sic in vita Heliogabali lib. LXXIX. ἐν δὲ ἱπποδρομίᾳ τινὶ ἐκ-πεσὼν τοῦ ἅρματος, τὸ κράνος ἐν τῇ πτώσει ἀπέρριψε. Callixenas apud Athenæum πέτασον appellat, loco supra indicato. Cassidi Papinius addit cristas. Atq; habet aliquas cassis, in nummo Neronis expressus, qui est secundus tabulæ ad paginam vigesimam & sextam pertinentis. Aliorum non habent, quod ex monumentis ac picturis ejus cæteris abunde constat. Nominat & infulam, quæ qualis debeat intelligi eorum, qui in circo agunt equos, ego equidem haud dixerim. Nam in capite eorum nihil exhibent monumenta vetera, quod infula dici mereatur. Circa lumbos mediumq; corpus circulum ostendunt, qui an infula sit dictus, alij deliberent. Species conspicitur in hoc Severi nummo, quem & ipsum exhibet Onuphrius, cum alijs similibus.




Id, quod medium ambit corpus stantis in vehiculo fortassis insula est dictum, quoniam contortum esset ex filis, ambiretq; corpus, sicut sacerdotum infula cingebat caput. Erat autem usus hujus circuli solennis atq; singularis in aurigatione Circensi. Eo namq; habenas corpori circumdatas tenere solebant. Nec enim, quod alias consvetum fuit, eas libera tenebant manu, sed habebant consertas post tergum, credo partim, ut ita coercere facilius equos possent, partim ut stantes in curru servarentur nonnihil juvarenturq; contra lapsum. Itaq; ne possent defluere habenæ, extrema

circuli

circuli ora erat eminentior, ut velut sinu inter illas eminentias comprehensæ manerent firmæ ac durabiles. Quo videtur respexisse Statius lib. VI. ubi ait:

— — *Ruit ilicet exul*
*Aonius, vexusq; diu per terga volutus*
*Exuit, abripitur longe moderamine liber*
*Currus* —

Quid enim hic *exuit nexus*? nisi quod habenas, quas habuit in dicto circulo post tergum connexas, exueret, seque liberaret ijs, quibus fuit hactenus retentus, atq; ita volutatus diu. Lutatius, vel quisquis alius scholiastes Statij eo loco: *Se habenarum nexu, quainvolutus per terga fuerat, liberavit, ne cum loris implicitus traheretur.* De repositis post tergum habenis monuit & Argolus ad Onuphrium pag. 31. firmatq; non ex Latinis solum, verum etiam Euripide, qui locis trinis meminit. Unde simul observamus, non modo Romanorum, sed Græcorum quoq; istam fuisse consvetudinem. Et hæc quidem aurigantium σκευὴ, sic enim appellat Dio, quod Latini *habitum* appellavere, lib. LXXII, ubi de Commodo, ὅτι δὲ συνεχῶς τοῦτ' ἐπράττε, τῇ πρασίνῳ σκευῇ χρώμενος. Solebant autem agitatores illi non sedere in curribus, sed stare, quod testantur monumenta omnia, eratq; pars non postrema hujus artis, ut quis firmo stare vestigio in curru posset. Statius lib. VI. Theb.

*Senserat adductis alium præsagus Arion*
*Stare ducem loris* —

Causa fuit, quoniam & in bellicis vehiculis, unde Circensia desumpta diximus, stetere. Sic enim semper memorantur ipsi etiam Homero. Ut Iliad. Λ. ubi Nestor

— Ἐγὼ δ' ἐς δίφρον ὀρώσας
Στεῦν ῥα μετὰ προμάχοισιν —

*Ego autem in currum insiliens steti inter propugnatores.* Atq; ita alibi reperias. Ut erraverit Onuphrius, quando sic de agitatoribus Circensibus lib. I. c. 14. *Mos vetustus fuit, agitatores ipsos quatuor factionum curribus insidentes, metas septies circuire.* Nec enim insidebant, verum insistebant illis curribus, ut dixi. Virgilius lib. III. Georg.

*Primus Erichthonius currus, & quattuor usus*
*Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.*

Plinius lib. IX. epist. 6. *Miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre.* Solebant autem pedem unum anteponere alteri, ut status esset firmior. Ita docent monumenta marmoraq; vetera. Neq; aliud videtur voluisse Sidonius car. 23. ubi de certamine hujusmodi

*Pars contraria nil timens tuam vim*
*Securas prior orbitas terrebat*
*Tensis cum subito lupatis*
*Tensis pectoribus, pede ante fixo.*

Stabant quoq; non erecti, verum cernui, capite in anteriora prono. Idem poeta indicato loco

*Nec cernas cito cernuos magistros*
*Temones mage sufferant, an axes.* Et Virgilius lib. V. Æn.
*Nec sic immissis aurigæ undantia lora*
*Concussere jugis, pronique in verbera pendent.*

Atq; ita nobis habitum statumq; illorum exhibent antedicta marmora & monumenta. E quibus ut sint omnia conspectiora testatioraq; ecce tibi agitatorē quadrigarium, propositum ab Onuphrio pag. 41. ex monumento in ædibus Columnensium extante.



De

De certamine agitationeq; ipsa ut hic differamus multis, argumentum nostrum haud permittere videtur. Feceruntq; jam ante nos alij peculiaribus operibus, Onuphrius præcipue in erudito de ludis Circensibus commentario. Illud lubet quærere, cum non parvam admirationem habeat, nostris maxime temporibus, quibus illud ludicrum desiit in usu esse, qui sit factum, quod cum cursu concitatissimo flecterent currum circa metam, cum tamen haud everterent, aut frangerent, cum præsertim rotis strinxisse metam legantur. Hic primum dixerim, non fuisse novum plane, sed evenisse plurimum, ut & excuterentur aurigæ, & dissolverentur vehicula, axesve cum rotis frangerentur, quod vel ex Statio cognitum habemus. Itaq; nec, quod est proximum, cujusvis hoc fuisse negotium, sed illius, qui multiplici industria usuq; didicisset artem. Ipse firmat Homerus, apud quem Il. ψ. Nestor ad filium curru certaturum:

Μήτι δ' ἰωΐοχ@ πεσεῖνε ἀμαξιτοῖο.

*Arte auriga superat aurigam.* Deinde multum valuisse hic virtutem equorum atq; doctrinam. Unde eodem loco Nestor.

Οἶδα γὰρ εὖ καὶ τέρμα· ἐλισσόμεν· ἀλλά τοι ἵπποι
Βάρδιστοι δεῖεν --

*Nosti recte circa metas flectere, sed tibi equi tardissimi in currendo.* Quasi diceret, non sufficere solam agitatoris artem, etiam equos bonos, & præsertim agiles oportere esse. Silius requirit, ut & frenis facile libenterq; pareant. Unde lib. XVI.

*At docilis fræni & melior parere Pelorus.*

Accessit ad postremum ipsa vehiculi structura, quippe quod esset humile, haberet axem longum, rotasq; in eo minutas, ut everti facile non posset. Juvabat pondus stantis superne agitatoris, qui huc illucq; inclinando, sese, currumq; servabat rectum, etiamsi quandoq; vacillaret. Quæ cum omnia hodie ignorentur, mirum esse nequit, si nostris vehiculis id, quod veteres fecerunt, imitari parum valeamus. Satis, nisi fallor, de bigarum eo genere, quod sic proprie appellabatur, & ad prælia, item ludicra certamina spectabat. Erat autem præter illud, genus aliud, quo Flamen Fidei utebatur. Livius

sic habet lib. I. cap. 21. *Soli Fidei solenne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi jussit.* Ostendunt ipsa ista verba, non de tali genere, de quo hactenus est actum, loqui, verum alio. Nec enim, si de communi sermo fuisset, illud de curru arcuato addi necesse erat. Et intelligunt pleriq; currum arcuatum, qvi supernè tectus fuerit. At diversa facies bigarum reliqvarum, uti constat. Bigæ igitur Flaminicæ tantum ideò à Livio sic dictæ, qvod adjuncta duo haberent jumenta. Qvomodo & de aratro usurpavit M. Varro in Serrano. *Dum*, inqvit, *in agro studiosius ruror, adspicio Triptolemum sculpone atum bigas sequi cornutas.* Hic *cornutæ bigæ*, bini boves sunt ad aratrum juncti, qvos seqvebatur Triptolemus, ut qvi primus homines arare docuit, & frumenta serere. Popma: *Bigæ cornutæ boves duo aratores, quos aratro junxit primus Triptolemus.* A bigis dicti nummi sunt *bigati*, denarii argentei. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: Et inde bigati, quadrigatique dicti.* Agit ibi Plinius de vetustissima nummi argentei signatura. Unde liqvet, qvid voluerit Tacitus, qvando scripsit in libello de Mor. Germ. *Pecuniam probant* Germani *veterem & diu notam, serratos bigatosque.* Bigatorum nempe illorum usus fuit antiqvissimus, atq; ita primum Germanis etiam innotuit. Hos ergo maximè probabant. Pro bigatis dixerunt & *argentum bigatum.* Livius lib. XXXIII. cap. 8. de Cornelio: *Tulit in triumpho argenti bigati septuagintà novem millia.* Item lib. XXXIV. cap. 44. de M. Por. Catone: *Tulit in eo triumpho argenti infecti XX. millia pondo, bigati centum viginti tria millia.* Et sic locis aliis. Fuerunt autem bigæ illæ, qvibus signatum est argentum vulgo, non bellicæ, sed Circenses. Ita docent omnes veteres denarii, qvi hodieq; extant. Cur autem isto genere monetam publicam voluerint signare, nemo fortè dixerit. Scilicet de Jano, rate, nave docuerunt veteres, at de bigis, qvantū scio, tradidere nihil. Possunt tamen placuisse bigæ, ut in memoriam revocarent Circenses primos Romuli, qvorum occasione comparavit suis matrimonia, & sic civitatem veluti de novo condidit. A bigis qvoq; legimus *bigarios.* Epigramma vetus in Cælio monte repertum, qvod describit Argolus ad Onuphrium pag.

*Flores*

*Flores ego hic jaceo---- bigarius infans,*
*Qui citò dum cupio currus, citò decidi ad umbras.*

Extat in eo monumento puer bigis insistens cum palma. Unde suspiceris, *bigarios* vocatos nominatim, qvi bigarum agitatores fuere. Cum præsertim & trigarii & qvadrigarii hac ratione nuncupentur.

## Cap. XII.
## De Trigis.

*Trigæ. Triga. Trigæ de hominibus.* Τριάδες. *Sic quadrigæ.* Τέθρίζυξ δεσμὸς. Τρίζυγες σύναιμοι. Τρίπωλα. Τρίππωοι. *In eis equus tertius, funalis, & à dextro latere collocatus. Trigæ in bello ludisque Olympicis. Venerunt in desvetudinem jam olim, & quam ob causam, in Circensibus. Trigarium. Martianus explicatur. Cursus extans. Occupare. Cursus instans. Succedere. Cursus raptus. Eripere. Tabula Cechinorum emendata & exposita.*

NOn æqvè freqvens est trigarum mentio apud veteres Latinos, sicut reliqvorum generum. Invenimus tamen apud Varronem in de LL. lib. VI. ubi ait: *Non ut quadrigæ, trigæ, sic potius duigæ, quam bigæ.* Meminit & Isidorus lib. XVIII. cap. 36. *Quadrigæ, bigæ, trigæ, ab equorum numero & jugo dictæ.* Item paulò post: *Trigas Diis inferis consecrarunt.* Ulpianus dixit *trigam* numero singulari l. 38. ff. de ædil. ed. §. 14. *Simili modo si triga venierit, redhibenda erit tota.* Sic Poëta vetus, Gothofredo laudatus eo loco:

*Triga mihi paucos inter dilecta sodales,*
*Triga sodalitii pars bene magna mihi.*

Qvanqvam ibi videatur agere de homine, qvum inter sodales referri diligiq; currūs & eqvi difficulter qveant. Atq; possis suspicari, trigam illam usurpasse de amicis tribus peculiariter ei gratis acceptisqve. Qvomodo & Arnobius sic *trigas Cupidinum* vocavit lib. IV. *Ajunt iidem Theologi, quatuor esse Veneres, tria genera Castorum, totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas.* Hic *trigæ* sunt τριάδες, seu, ut loqvebatur ante, *tria genera.* Sic Vopiscus & *quadrigam* usurpavit vita Probi cap. ult. *Nunc in alio libro, & quidem brevi de Firmo & Saturnino & Bonoso & Proculo dicemus. Non enim*

*dignum*

*dignum fuit, ut quadrigæ tyrannorum bono Principi miscerentur.* Casaubonus hoc loco: τέθριππα *appellat quadrigam, ut alii* τὼ δίππα *dixerunt bigam.* Græci ratione simili. Nam & Nonno τετράζυξ δεσμὸς, vincula sunt qvatuor, & τρίζυγες σύναιμοι, tres fratres in Epigrammatis. Ita namqve habet Archias in piscatorem, venatorem & aucupem fratres: Σοὶ τάδε Πὰν σκοπιῆτα πεναίολα δῶρα σύναιμοι

Τρίζυγες ἐκ τριστῆς θέντο λίνῳ ἀσίης.

Atq; ita de iisdem alio epigrammate:

Τρίζυγες ἁρεσίοικε κασιγνῆτοι τάδε τέχνας.

Sunt autem τρίζυγες propriè *trijuges*, seu *trigæ*, id est, eqvi tres currui adjuncti. Τρίπωλα maluerunt alii vocare. Philoxenus: Τρίπωλα, *trigæ.* Atq; ita Dionysius Halicarnasseus fine libri VII. Ἐν ᾗ ταῖς ἱππικαῖς ἀμίλλαις ἐπίηδεύμαλα δύο, τό, τε περὶ τὰ τρίπωλα τῶν ἁρμάτων, &c. *In certaminibus equestribus duo sunt studia, unum circa trigas currum.* Invenias & τρίππους. Saltem ita vertunt Magistri, qvas Latini vocant trigas. Philoxenus iterum: Τρίιππον, *triga.* Species trigarum fuit, qvalis bigarum, nisi qvod duobus eqvis adjunctum haberent tertium, non sub jugo, verum fune religatum ad latus. Dionysius Halicarnassensis dicto loco: Δυσὶ ἵπποις ἐζευγμένοις, ὃν τρόπον ζεύγνυνται συνωρὶς, τρίτῳ παρεμπέλο σειραῖῳ ἵππῳ ῥυμῆρσι συνεχόμενῳ, ὃν ἀπὸ τῦ παρηωρῆσθαι καὶ συνεζεῦχθαι, παρήορον ἐκάλεν οἱ παλαιοί. *Duobus equis junctis, sicut jungi bigæ solent, adjungebatur tertius funalis equus loris adnexus, quem, quod adsociatus adjunctusque esset,* παρήορον, *hoc est, adjunctum, appellabant veteres.* Fuit porro is funalis junctus reliqvis à dextro latere, ut arbitror. Ibi enim magis ejus opera erat utilis, qvam in sinistro. Unde qvoq; eqvum optimum ac præstantissimum eo loco collocabant. Qva de re non repeto, qvæ loco alio prolixè demonstravi. Usus trigarum antiqvissimis temporibus ad bella fuit. Nam Heroës apud Homerum vix pugnasse aliter, qvam trigis, putantur. Et confirmat Dionysius supra nominato loco, ubi vocat ἀρχαῖον ἐπίηδευμα καὶ ἡρῷκὸν, ᾧ ποιεῖ τὺς Ἕλληνας Ὅμηρῳ ἐν ταῖς μάχαις χρωμένυς. Hoc est: *Institutum antiquum & heroicis temporibus receptum, quo Græcos Homerus facit usos in præliis.* Ex militia transsumptæ sunt in ludos Olympicos, & similes apud Græcos, sicut bigæ. Sed venerunt postea in desvetudinem,

nem, credo, qvod æqvabilior videretur virtus vel duorum modo eqvorum, vel qvatuor, qvam trium, è qvibus funarius plus juvaret unum latus, qvam ut alteri non noceret. Docet hoc qvoq; Dionysius prædicto loco: Ἐν ᾗ ταῖς ἱππικαῖς ἀμίλλαις ἐπίνηται δύο τῶν παλαιῶν πάνυ, ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐνομοθετήθη, φυλατόμενα ὑπὸ ῥωμαίων μέχρι τῶν καθ' ἡμὲ διάκειται χρόνων, τό, τε περὶ τὰ τρίπωλα τῶν ἁρμάτων, ὃ παρ' Ἕλλησιν μὲν ἐκλέλοιπεν. Sic scribendus est hic locus, non τρίωλα, ut est in Roberti Stephani editione Anno MDXLVI. Parisiis vulgata. *In equestribus certaminibus duo antiquissimorum studia, ut initio fuerunt instituta, ita hucusque à Romanis observantur, alterum cum trigis curruum, quod quidem apud Græcos omissum est.* Testatur abundè, genus hoc receptum olim in certaminibus publicis fuisse, desijsse tamen postea usurpari, nec durasse ad ætatem Dionysij. Floruit autem Dionysius hic tempore Augusti: quo proinde trigæ Græcis non fuerunt amplius in ludis notæ. At vero ante usurpatas docent quoque nummi veteres præsertim Hieronis atque Calenensium, quos hic ex Goltzio appono.




A Græcorum ludis transtulerunt ad Circenses suos Romani, sicut ante docebat Dionysius, & servarunt longo tempore. Igitur & in nummis Romanis effigies eorum cernitur, ut apud Fulv. Ursinum in familia Claudia, Manliaque: apud Gorlæum in familia Nævia, & alibi. Quanquam longe minori occurrant frequentia, quam

bigæ vel quadrigæ. Ut tametsi usus earum manserit ad tempora Dionysij, tamen fuerit is rarus. Quod ex eo quoq; colligas, quoniam tam pauci trigas nominarunt. Invenimus tamen etiam in tabula Cecchinorum memoratas, quam Onuphrius lib I. exhibet. Sic enim extat, de C. Appulejo Dioche, agitatore factionis Russatæ: *Vicit* CCC XXXXVII. *Trigas ad Frs* XVIIII. Quod Onuphrius sic explicat: *In his binorum curruum certaminibus trigas agitando vicit quater præmium valoris XV. millium nummorum hoc est CDL.* Cœpit porro hic Diocles Anno V C. D CCC LXXV. M. Acilio, M. Aviola, C. Cornelio Pansa Consulibus primum agitare, i.e. uti dictus supputat Onuphrius Anno Christi CXXIII. quo Hadrianus Imperator rebus Romanis præfuit. Unde colligitur, etiam post Dionysium Halicarnassensem trigarum usum aliquem fuisse longo tempore. An præter duplicem eum usum, qui expositus à nobis est, habuerint & alium trigæ, communem receptumque, equidem haud dixerim. Observo quidem equos tres in curru Heraclij, quem exhibet nummus à Lipsio propositus lib. III. de Cruce. Sed is currus aliter adjunctos habet equos, quam solebant trigæ veteres. Forma quoq; ejus alia, quam trigarum, ut iccirco huc referri nequeat. Etiam à trigis dictos esse *trigarios*, ut *bigarios* à *bigis*, affirmare haud valeo. Afferunt equidem trigarios, qui nobis concinnarunt Lexica ex Plinio lib. XXXVII. c. 13. pro agitatoribus. Sed illos esse non *trigarios*, sed *strigarios*, eosq; non homines, sed locos, alibi jam demonstravimus. Habet trigarios & Marlianus lib. IX. sive potius *trigarium*, ubi ait: *Ipsaq; tripos trini cursus præsagia pollicetur, hoc est, Extantis, Instantis, & Rapti. Demum trigarium supplicantis semper germanitatis adveniat, quod vestra vulgo suffragia pollicendo incertos mortalium sensus primum in spem opis superæ proritavit.* Totus locus sumptus est ex re Circensi; nam in circo triplex ille fuit cursus, quem hic nominat. Unus, cum ab ipsis statim carceribus alios quis anteverteret, quod hic circensi propriaque formula nominat *cursum extantem.* Res ipsa & negotium *occupare* dicebatur. Tabula Cechinorum: *Occupavit, & vicit D CCC XV.* Onuphrius sic explicat; *ubi ex carceribus exivit, primus con-*

*continuo fuit.* Alius, cum quis antecedens sequeretur, & ex carceribus veniret post alios, qui *cursus* dicebatur *instans.* Negotium in dicta tabula est *succedere.* Ita namq; habet: *Successit, & vicit, LXVII.* Quod sic explicat Onuphrius: *Alius ante eum aliquandiu fuit, quem prævenit, & vicit.* Alius, cum quis alteri victoriam, quam videtur jam in manibus habere, calliditate singulari eripit, equis scilicet injiciendo pavorem, aut affligendo rotas, aut simile quid agendo, qui *cursus raptus,* dicebatur, sicuti negotium, *eripere.* Unde in prædicta tabula; *Eripuit, & vicit DII,* quod Onuphrius idem ait esse, ac *astu vel industria concurrentes prævertit & vicit.* Sic legendum ibi censeo, non *actu,* quod est nihili. Quanquam per hunc cursum triplicem similitudine quadam exprimat cursum vitæ humanæ, in qua alij, velut in circo, aut occupant, aut succedunt, aut eripiunt, id est, vel semper primo loco sunt, vel ex postremis in primum veniunt industria, vel alios dolo fraudibusq; subvertunt, ut emergant. Et quia cœpit verba sumere ex circo, pergit, ac *trigarium germanitatis* vocat tres germanas, de quibus paulo ante loquebatur, Genethliacen, Symbolicen, & Thneticen. Ut proinde in trigarij vocabulo hic sit intelligendum *jugum,* id est vinculum trium inter se conjunctarum consociatarumq;, quale alias per trigarum vocem supra diximus explicari. Scilicet ut à *bigis, bigarium,* sic à *trigis, trigarium* est dictum, in quo si intelligas vel jugum vel vehiculum, perinde fuerit, ac si trigas diceres. Nam trigarium proprie ad rem circensem pertinet, ut ostendit Martianus, & tres equos junctos ad currum, licet ipse de germanis tribus usurparit. Quas mox *trigeminam feminam, sive tres in unius nominis vocabulum conspirantes* appellat.

## Cap. XIII.
## De Quadrigis.

*Quadrigæ. Quadriga. quadrigulæ. Quadrijuges equi. Quadrijugi currus. Rhedæ. Flagella. Codex Theodosianus exponitur.* Τέτεμπον. Τέτρωρον. τέθριππολία. *Quadrigæ pro quovis genere ludicro. Quadrigæ num cum equis octo. Codex Theodosianus explicatur denuo &*

*Iac. Gothofredi sententia expenditur. Currus ordinarij in circo nunquam dati cum septem vel decem equis. Certamina in circo duplicia. Sejuges ex ordinariis currus maximus. Quadrigæ proprie dictæ in ludis. Ἅρμα Græcis pro quadrigis. Facilius bigis & trigis, quam quadrigio vincere. Quadrigæ Olympionicarum, triumphalium. Currus triumphalis qua fuerit specie. Onuphrij pictura rejecta. Triumphantes stabant in curru. Currus auratus, aureus, eburneus erat. Quadrigæ albæ non videntur ante Cæsarum ætatem in curribus triumphalibus adhibitæ. Plutarchus & alij explicantur. Triumphantes habuere liberos in curribus, etiam sequioris sexus, & amicos. Valerius Maximus exponitur. Onuphrius notatur. Quid singulare habuerit triumphus Vespasianorum. Quadrigarum honos apud Indos. Quadrigarij. Festus emendatur.*

QUadrigarum nomen apud veteres cum Græcos, tum Latinos est notissimum & frequentissimum, ut de eo afferre testimonia Latinis quidem ex Scriptoribus supervacuum videatur. Et jam in superioribus, cum de bigis ageremus, demonstravimus, plerosq; viros doctos arbitrari, efferendas esse numero plurali. Atq; ita Cæsar quoq; censuit in libris de Analogia, sicut Fronto testis est apud Gellium lib. XIX. c. 8. Quanquam & in singulari dictam esse *quadrigam* non ex Varrone modo, quod fecit Gellius, sed Hygino quoq; ostenderimus. Sunt & *quadrigulæ* apud Ciceronem de Fato. *Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur.* Plinius in singulari dixit *quadrigulam* lib. XXXIV. cap. 8. *Dextra limam tenet, lævatribus digitis quadrigulam tenuit, translatam Prænestæ.* Pro quadrigis Poetæ *quadrijuges equos*, item *quadrijugos currus* dixere. Virgilius lib. III. Georg.

*Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

Item lib. X. Æn.

*-- -- Quin ecce Nyphei*
*Quadrijuges in equos adversaq; pectora tendit.*

Ovidius lib. II. Metam.


*-- -- Ruunt, tritumq; relinquunt*
*Quadrijugi spacium, nec, quo prius, ordine currunt.*

Ubi

Ubi *quadrijugos* posuit pro *quadrijugibus*, qvoniam utrumq; fuit in usu. Servius: *Et quadrijugus & quadrijugis dicimus, sicut inermus & inermis, exanimus & exanimis.* Sunt & *rhedæ*, item *flagella.* L. 5. lib. VI. Cod. Theod. t. 29. *Singulos solidos per singulas rhedas, id est, quas quadrigas vel flagella appellant, percipiatis.* Hic qvadrigæ iis qvoq; veniunt nominibus, qvæ dixi. Sed sunt aliæ hæ qvadrigæ, qvam de qvibus agimus hoc loco, sicut ostendemus, qvando de rhedis sermo erit. Græcis genus hoc est τέτριππον. Glossæ veteres: Τέτριππον, *quadriga.* Inde habes in titulis victorum apud Pindarum. Ut in Olymp. Ode 5. Τῷ ἀπὸ Φαύμιδι, τεθρίππῳ. Pyth. Ode 7. Μεγάκλεϊ Ἀθηναίῳ, τεθρίππῳ. Hesychio est τεθράϊππον. Verba ejus: Τέτρωρον, τετράϊππον ἅρμα. Ex qvibus verbis simul observamus, etiam τέτρωρον appellavisse. Glossæ veteres: *Quadrijugum*, τέτρωρον, ubi semper ἅρμα est intelligendum. Usurpabant alias τεθράορος, in qvo intelligebant ἵππους. Homerus Odyss. N.

-- -- Ὡς ὅν ποδὶ τεθράοροι ἀρσενες ἵπποι.

Hesychius: Τεθράοροι, τέσσαρες ἐπὶ τῷ τεθρίππῳ ὑπεζευγμένοι. Eustathius observat, nuncupasse qvoq; τεθρασείρους. Verba ejus habentur Odyss. N. Τεθράοροι δὲ ἢ καλά τινας τεθράορες ἵπποι, οἱ τέσσαρες ὁμοῦ συνεζευγμένοι. Ἢ καὶ ἄλλως τετράοροι, ἀντὶ τοῦ τέσσαρες ὀρούσιες. Οἱ δὲ τοιοῦτοι καὶ τεθράσειροι λέγονται. ἀπὸ τοῦ πλοῦ σειρᾶν. Est & τεθραπωλία pro qvadrigis apud Philoxenum: Τεθραπωλία, *quadrigæ, singulare non habet.* Forma qvadrigarum fuit ea ipsa, qvæ bigarum trigarumqve, nisi qvod adjunctos haberent eqvos qvatuor, è qvibus duo fuere jugales, duo funales, illi in medio, hi utrinq; à lateribus, ut alibi ostendi. Et ideò Eustathius in verbis præcedentibus illos eqvos dixit esse τέσσαρας ὁμοῦ συνεζευγμένους, *qvatuor una conjunctos.* Exhibetur optimè à Rubeno lib. I. Elect. cap. 3. ex lapide antiqvo apud portam Nomentanam expressa in hunc modum:



Neq; ratio, qva in eis vehebantur, alia, qvam qva in cæteris. Nam & in his ſtare ſolebant, qvod de qvadrigis nominatim ſupra ex Virgilio monſtravimus. Plinius lib. VIII. cap. 42. *Claudii Cæſaris Secularium ludorum Circenſibus excuſſo in carceribus auriga, albati equi palmam occupavere, oppoſita effundentes, omnia, quæ contra æmulos debuiſſent peritiſſimo auriga inſiſtente, facientes.* Dicit apertè, aurigas inſtitiſſe. Fuit autem hoc genus, de qvo loqvitur, qvadrigæ. Solinus cap. 46. agens de eodem: *Ingenia equorum Claudii Cæſaris Circenſes probarunt, quum effuſo rectore quadrigæ curſu æmulos non minus aſtu, quam velocitate, præverterent.* Uſus qvadrigarum an temporibus antiqvis fuerit ad bella, non ſatis affirmare pòſſum. Colligo tamen ex Homeri Iliad. Θ. qvando ibi Hector eqvos ſuos adhortatur ad prælium, nominatq; qvatuor:

Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.

*Xanthe, & tu Podarge, & AEthon Lampeque nobilis.* Sanè qvoniam in ludis uſurpatæ etiam ante Homerum, ludi verò ſimulachra bellorum, ſicut ſæpe dictum eſt, ideò vix poteſt dubitari. Uſurpatas autem ante novimus ex Philargyrio, qvi ſic ad Virgilium: *Varro in libro, qui admirabilium inſcribitur, Erichtonium ait primum equos quatuor junxiſſe ludis, qui Panathenæa appellantur.* Erichtonius hic Moſis circiter temporibus vixit, qvod eſt demonſtratum alibi. At Homerus

merus Assæ Regis apud Judæos fuit æqvalis, qvi post extitit annis circiter sexcentis. Ergo inde jam ab ætate Mosis qvadrigæ notæ etiam in ludis fuere, unde vix est dubium, qvin & in bellis adhibuerint. Ac in ludis qvidem usus qvadrigarum fuit tam freqvens, ut qvadrigas appellarint genus qvalecunqve. Inde, qvod à Græcis ἅρμα dictum, Latini *quadrigas* reddidere. Ita namq; habet Ælianus noster lib. III. cap. 45. ubi agit de Philippi cæde: οἱ μὲν γάρ φασι τὸ τῦ Παυσανίυ ξίφος, ᾧ τὸν Φίλιππον διεχρήσατο, ἅρμα ἔχειν ὑπὸ τῆς λαβῆς διαγεγλυμένον ἐλεφάντινον. At Cicero de Fato: *Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur.* Qvibus verbis liqvet manifestè, ἅρμα Æliani esse Ciceronis *quadrigulas.* Atq; ita & Valerius Maximus lib. I. cap. 8. *Pausanias in capulo gladii, quo eum* (Philippum) *occidit, quadrigam habuit cælatam.* Patet idem adhuc magis, qvia urbem Bœotiæ, Ἅρμα, id est, *Harma*, dictam, appellarunt *Quadrigam.* Valerius Maximus dicto loco de Philippo: *Eumque locum, qui in Bœotia Quadriga vocatur, semper vitavit.* Locus ille non est dictus *Quadriga*, si vocabulum respiciamus Græcum, verum *Currus*, id enim est ἅρμα, qvod illius loci nomen fuit. Ælianus: ὁ δὲ ἕτερος λόγος, πρὸς Θηβαϊκὴν πρὸς καλουμένην Ἅρμα περιελθόντα λίμνην, ἀποσφαγῆναι. Qvadrigas igitur pro curru posuere etiam in loci nuncupatione. Multo verò magis in re Circensi, ubi qvadrigæ nuncupatæ, qvæcunqve essent, bigæ, trigæve. Tali sensu Horatius loco alibi laudato: *Apta quadrigis equa:* Nam & bigis trigisqve, ac cæteris generibus, apta fuit. Simili modo Svetonius in Claudio cap. 21. *Super quadrigarum certamina, Trojæ lusum exhibuit.* Nec enim necesse est, ut qvadrigis solis credamus pugnatum. Et ἵππων ἁμίλλας generali notione vocat Dio lib. LX. Tacitus de Nerone lib. XIV. cap. 14. *Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistendi.* Qvadrigarum curriculum non in specie, sed generatim etiam de aliis intelligendum. Qvin imò qvadrigæ sunt cum eqvis octo, si audimus Interpretem doctissimum in Codic. Theodosiani lib. VI. t. 4. l. 19. Lex se ita habet: *Satos de Frygiæ gregibus equos XX. quatuor, subjugandos quadrigis, hoc est, simul octo, duobus maximarum editionum Prætoribus dari sancimus.* Hic vir doctissimus, mihiq; amicissimus, cum viveret: *Quid octoni equi ad quadrigam seu* τέθριππον,

πον, *quæ quatuor tantum equis constabat? Nempe, etsi prima origine propriaque quadriga sit* τέθριππον *quadrijugis, quæ à quatuor equis trahitur: Attamen quadrigæ nomen manſit, etiamſi plures ſubjungerentur equi, quod ſæpe eveniebat.* Qvod docet de qvadrigis non eqvorum ſemper qvatuor, id ſine dubio ſe habet optimè. At qvod ad qvadrigas hic commemoratas cenſet junctas octo, poteſt habere dubitationem. Neq; enim video, qvi poſſint hanc interpretationem admittere verba *hoc eſt*. Nam qvi dat eqvos viginti qvatuor, jungendos qvadrigis, non ſtatim per hoc ſignificat ſimul octo eſſe jungendos. Jam verò illud *hoc eſt* oſtendit, eſſe in verbis præcedentibus, unde ſeqvens *ſimul octo* colligatur. Itaqve illud *ſimul octo* puto ad præcedens *quatuor* referendum, verbaq; explicanda non de eqvis, ſed qvadrigis. Ut ſit ille ſenſus: Conceſſiſſe Imperatorem eqvos ad qvadrigas non ſimpliciter, ſed qvatuor. Non enim eſt veriſimile, Imperatorem nominaſſe qvadrigas, nec illarum determinaſſe numerum. Res ipſa enim poſtulabat, ut oſtenderet, qvot qvadrigas ſuis inſtrui vellet eqvis. Qvatuor ergo qvadrigæ illæ fuere, ſed deſtinatæ ſingulis Prætoribus. Qvi cum eſſent duo, ut lex ait, liqvet, illas qvatuor qvadrigas cuilibet conceſſas facere *ſimul octo*. Ad has octo qvadrigas qvot in univerſum eqvos Imperator dederit, non ſatis conſtat. In editione Cujacii, qvæ excuſa eſt Aurelianæ Allobrogum apud Johannem Arnoldum Anno MDLXXXVI. ante numerum, eqvos definiturum, videlicet XX. ſtellula eſt poſita, quæ indicat, locum eſſe hiulcum. Cl. Gothofredus plane nullos legi poſſe numeros teſtatur iſtis verbis: *MS. hac parte exeſus exhibet tantum, Equos ... quatuor, ſic ut internoſcere non poſſim, quid ibi replendum ſit.* Si illud XX. recte ſe haberet dicerem, à prima manu fuiſſe XXIV. ac id IV. à ſciolo deletum eſſe propter ſequens *quatuor*, velut bis foret ſcriptum, deniq; legem totam ſic ſcribendam atq; diſtinguendam eſſe: *Satos de Frygiæ gregibus equos* XXIV. *quatuor ſubjugandos quadrigis, hoc eſt ſimul octo, duobus maximarum editionum Prætoribus dari ſancimus.* Quæ lectio ſi eſſet vera, demonſtraret, quadrigas illas adeo non habuiſſe equos octo, quod vult vir eruditiſſimus, ut potius habuerint ſolos tres. Ter enim octo faci-

unt viginti quatuor, quot equos Imperator ad quadrigas indulsit. Verum cum de numero incertum sit ex Ms. nolo veram præstare certamq; conjecturam nostram. Sane currus in solenni ludicro Prætorum datos cum adjunctis equis octo, vix persvadeor. Nam quos laudat Gothofredus cum sex, & septem, & decem equis, ex Svetonij Nerone c. 24. & Cecchinorum tabula, illi vero minime fuerunt ordinarij, quod locus uterque manifeste docet. Sane currus in ludis ordinarijs suos habebant deos, quibus fuerunt consecrati. Bigæ spectabant ad Lunam, quadrigæ ad Solem, sicut docent nos, qui de re Circensi egerunt. At octojugas Deo alicui fuisse dicatas, nemo legit hactenus, ut puto. Non fuit ergo cursus ille ordinarius, ac iccirco dari à Prætoribus in adornatione ludi ordinarij non potuit. Agnovit jam Onuphrius. Itaq; in explicatione tabulæ illius ita ait: *Hactenus auctor tabulæ exposuit certamina, præmia, & quæ Diocles ex provocatione bigis, trigis, quadrigis, sejugibus & septemjugibus cum singulis, binis, & ternis concurrentibus vicit. Modo eas victorias enumerat, quæ ludis Circensibus ordinariis & sacris vicit.* Fuerunt ergo alia certamina ordinaria, & alia extraordinaria. Hæc ex provocatione, illa ex lege sacrorum. Illa fiebant quolibet genere, quocunq; inter provocantes convenisset. At ordinaria non item tantum bigis, trigis, quadrigis, & sejugibus celebrabantur. Inde est, quod sejuges Isidorus quoq; vocet currum maximum. *Sejuga*, inquit, *maximus currus, currit Iovi, propter quod maximum deorum suorum eum esse credunt.* Si sejuga currus maximus in ludis Circensibus sacrorum caussa celebratis, ergo in his ludis septemjuges, octojuges, decemjuges non cucurrerunt. Si non cucurrerunt, non potuerunt dari à Prætoribus ludos istos exhibentibus, quippe quibus incumbebat, leges ritusq; sacrorum observare. Unde nunc colligitur, quadrigas, quas commemorat lex Codicis Theodosiani, octojugas intelligi non posse, cum mentionem faciat Prætorum, qui non edebant, nisi Circenses solennes, id est sacros. Et hæc quidem de quadrigis Codicis prædicti, ac in universum illis, quæ & generis alterius fuere. De iis vero, quæ revera fuerunt quadrigæ, hoc est equos adjunctos habuerunt quatuor,

manet certum, fuisse usum illarum in ludis, sive Græcos spectemus, sive Latinos, frequentissimum. Dionysius Halicarnassensis sine lib. VII. ubi nominatim describit ludos Circenses: Πρῶος ἄγων ὁ τῶν τεθρίππων τὲ & συνωρίδων & τῶν ἀζεύκτων ἵππων ἐγίνετο δρόμος, ὥσπερ Ἕλλησι τὸ ἀρχαῖον Ολυμπιάσι τὲ καὶ μέχρι τοῦ παρόντος. *Primum certamen* (in Circo) *erat quadrigarum & bigarum, & equorum non jugatorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympiadibus usq; ad hæc præsentia tempora.* Vides, apud Græcos usum quadrigarum in ludis solennibus, eumque frequentissimum. Ideo & primo loco eas posuit. Et recenset nominatim Pindarus Theronem victorem in ludis Olympicis hoc genere, quando ait Ode 2. Olym.

Θήρωνα δὲ τεθρασείας
Ἕνεκα νικαφόρου
Γεγωνητέον ὀπί.

*Sed Theronem ob cursum in quadrigis victorem, sonare oportet carmine.* Inscriptio illius odæ est: Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ, ἅρματι. Ex qua inscriptione liquet, Grecis ἅρμα sæpe specialius de quadrigis usurpari. Neq; dubito, quin hic sensus sit τοῦ ἅρματος & alibi. Ut in Pythiis, ubi est inscriptio, Ἱέρωνι Αἰτναίῳ, Συρακουσίῳ, ἅρματι, nam Poeta ipse

Μῶσα κὴ παρ' Δεινομένει κελαδῆσαι
Πείθεό μοι ποινὰν τεθρείππων.

*Musa etiam apud Dinomenem ad canendum mihi obsequere, præmium quadrigarum.* Vocat quadrigarum præmium, quod debetur Hieroni; hoc ait cantaturum sese apud Dinomenem, qui fuit filius Hieronis. Unde liquet, Hieronis victoriam fuisse cum quadrigis. Meminit & Goltzius vita Gelonis, ubi de Hierone: *Ter in Olympicis victoriam adeptus est, semel quadrigis, bis celete, quod in Gelensium numismatibus expressum cernitur.* Numi Gelensium, quos laudat Goltzius, non quadrigas exhibent, sed trigas, ut victoriam quidem doceãt, genus victoriæ non doceant, si à Goltzio recte sunt expressi. Nam quadrigis convenit, ut Pindaro credamus. Qui similiter in Ode sequenti, quam hujus ipsius victoriæ causa putant scriptam,

Φέρων μέλος ἔρχομαι
Ἀγελείαν τεθρασείας ἐλελίχθονος.

Affe-

*Afferens carmen venio, nuntium quadrigarum quatientium tellurem.* Ubi pariter in titulo est scriptum, τῷ ἀπὸ Ιερώνι, ἅρμαλι. Deniq; τὸ ἅρμα pro quadrigis poni credidit & Schmidius, quando ita scribit Pyth. 6. Τεθρίππῳ *seu quadrigis, sive, quod idem est, & à* (sic edendum fuit, non *ad*) τελείππῳ *subauditur*, ἅρματι, *curru, ad quem quatuor equi jungebantur.* Igitur & de superiori Hieronis victoria, de qua Goltzius: *Vicit Hiero Pythiade* XXIX. *juxta inscriptionem*, ἅρμαλι *i.e. curru, videlicet* τελείππῳ. Neq; aliter vox ἅρματος accipienda apud Diodorum lib. XIII. ubi de Exæneto Agrigentino ludorum Olympicorum victore: Κατήγαγον αὐτὸν εἰς τὴν πόλιν ἐφ' ἅρματος. Fuit enim currus junctus equis quatuor, quo victores illi vehebantur, ut post planum faciam. De quadrigarum usu in ludis Circensibus apud Romanos, testimonia sunt innumera. Ovidius III. Amor el. 2.

*Maxima jam vacuo præco spectacula circo*
*Quadrijuges æquo carcere misit equos.*

Atq; sic Virgilius, sic Dionysius in verbis antea prolatis. Etiam Onuphrius ad tabulam Cecchinorum docet, quotiens non exprimatur genus, capiendum esse de quadrigis. *Annotatione dignum, quod quum dicitur, singulas, binas, ternas, & similia, sine aliqua adjunctione, quadrigas intelligendas esse, quarum cursus usitatus erat, nam in reliquis currus genus additur, ut bigæ, trigæ, sejugis, & septemjugis.* Quanquam & expresse legatur in eadem tabula his verbis: *Quo anno primum quadrigis victor extitit bis.* Quod fortassis ideo notatum, quia vicit ante, verum trigis bigisve, quod opinor levius fuisse. Vetus Epigramma:

*Hoc Rudis aurigæ requiescunt membra sepulchro*
*Nec tamen ignari flectere lora manu.*
*Iam qui quadrijugos auderem scandere currus*
*Et tamen à bijugis non removerer equis.*

Dicit, se retinuisse bijugos, licet ausus fuerit & quadrijugos currus agitare. Unde constat, majoris ausus rem fuisse, si quis agitare posset velletq; quadrijugos, quam si bijugos. Atque ita res se habuit haud dubie cum cæteris generibus. Quo plures ad currum juncti

erant equi, hoc difficilior fuit aurigatio. Inde tanta laus Dioclis in dicta tabula, quod septem juges primus junxerit, & vicerit. Et hæc satis de quadrigarum usu ad bella & spectacula. Præter hunc quadrigæ habuerunt proprium, apud Græcos quidem, quod ingrederentur eis victores ludorum Olympicorum, apud Romanos vero triumphantes. De victoribus Olympicis docet nos Vitruvius lib. IX. in procem. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pithia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia & in patrias invehantur.* Verbis apertissimis monstratur, quadrigas fuisse, quibus vehi mos esset. Atq; ita pridem observarunt alij, quos inter est Hospinianus in de Festorum origine, qui auctorem laudat Xenophanem Colophonium. *Xenophanes Colophonius*, ait, *scribit, Olympionicas cum reverterentur in suas civitates cum victoria triumphantes, disjecta parte muri per ruinas quadrigis invectos.* De triumphantibus Romanis cognovimus ex Dionysio Halicarnassensi, qui Romulo ipsi tribuit lib. II. ubi victoriam illius de Cæninensibus & triumphum describit. Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ περεμβεβικώς. *Ipse pompam extremus claudebat, ut regiam dignitatem tueretur, quadrigis invectus.* At Plutarchus vita Romuli: *Romulum fallitur Dionysius, quando usum dicit curru. Siquidem Tarquinium Demarati filium proditum memoriæ est, regum primum eam in speciem & fastum evexisse triumphum. Poplicolam scribunt alij primum curru triumphantem invectum.* Cum Plutarcho faciunt Scriptores Romani tantum non omnes. Quicquid vero sit, hoc constat, currum triumphantium solennem fuisse quadrijugum, jam inde ab initio ejus consvetudinis. Ideo & Florus, qui Tarquinium & ipse laudat triumphi auctorem, lib. I. c. 5. *Inde* (à Tuscis) *quod aureo curru, quatuor equis triumphatur.* Pedo Albinovanus in Consol. ad Liviam, ubi auguratur Drusi in campis Elisiis triumphos

-- -- *Quadrijugis aureus ibit eqis.*

Quanquam vero currus ille fuerit quadrijugus, speciem tamen habuit nonnihil diversam à quadrigis militaribus Circensibusve.

Zona-

Zonaras tom. III. An. Τὸ δὴ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστείῳ οὔτε πολεμιστείῳ ὧν ἐμφερὲς, ἀλλ' εἰς πύργου περιφερῆς τρόπον ἐξέργατο. *Currus non erat similis ei, cujus usus est in certaminib. ludicris, nec cujus usus in bello, sed rotunda figura instar turriculæ constructus.* Non de curru toto hoc intelligendum, verum capsa, sive illa parte, quam conscendunt occupantq;, qui vehuntur. Ea fuit rotunda, & clausa in ambitum. Cætera conveniebant cum quadrigis alijs: ut rotarum numerus, equorum jungendorum ratio, & similia. Quo vero melius structura ejus intelligatur, apponam hic, ut eam exhibent nummus Lepidi & Vespasiani.




Atqve ita speciem hujus currus proposuit & in libro, qvem de Triumpho scripsit, Onuphrius. Qvo magis miror in Triumpho majore, edito Antverpiæ per Gerhardum de Jode, triumphanti Imperatori dare vehiculum qvadratum, cum rotis qvatuor, & in supremo sella, cui insideat. Nihil habet veri tota ea pictura. Vehiculum erat rotundum, rotas habebat duas, triumphans deniqve non sedebat in eo, verum stabat. Ita manifestè nummi ante prolati docent. Et Ovidius III. de Pont. el. 4.

*Illa Ducis facies in curru stantis eburno.*

Juvenalis etiam Sat. VIII.

-- *Et stantes in curribus AEmilianos.*

Hinc Severus *Parthicum sibi deferentibus patribus triumphum recusavit, quod consistere in curru affectus articulari morbo non posset,* uti

ait Spartianus. Erat verò id vehiculum ex auro, si est fides Flori, qvi loco antea laudato testabatur à Tarqvinio imitatione Tuscorum institutos triumphantium *currus aureos*. At Demsterus in Paralip. cap. 29. lib. V. Rossini, ubi verba eadem adducit, non scribit *aureos*, sed *auratos*. Qvomodo non legendum, intelligendum saltem apud Florum videtur. Cum præsertim idem asserat tanto post Publ. Decius in oratione contra Appium apud Livium lib. X. c. 7. ubi post alia: *Iovis Optimi Maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium ascendit.* Et Propert. lib. I. el. 16. de Janua loqvens:

*Cujus inaurati celebrarunt limina currus.*

Et Porcius Latro apud Senecam contr. 30. *In Cn. Pompejum terra marique victorem fuit, qui carmen componeret. Fuit aliquis, qui licentia carminis tres auratos currus contemneret.* Vocat *tres auratos currus*, qvibus usus est in triplici triumpho Pompejus de tribus Orbis partibus. Faciunt tamen mentionem etiam de aureis. Eutropius lib. IV. de Paulo Æmilio agens: *Triumphavit magnificentissimè in curru aureo.* Qvanqvam fortè aureus hic currus ita debeat intelligi, ut apud Florum, cum Pompejus usus sit aurato. Sanè currus aurei sub Imperatoribus demum videntur orti. Horatius Epod. od. 9.

*Io triumphe, tu moraris aureos*
*Currus & intactos boves.*

Turnebus lib. II. Adv. cap. 16. explicans hunc locum ita ait: *Aurei in Horatio currus leviter audiuntur, auresque pæne nostras prætervehuntur aliud agentibus. Nec attendimus, tales triumphantium Augustorum fuisse currus. Mihi nolo credi, sed Philostrato in Dionis vita, quod dixi, tradenti hunc in modum:* Τραϊανὸς γὰρ Αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐλὸν ὅτι τῆς ῥυμης ἐς πλὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ Βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσιν, ἔλεγε θαυμαζόμενος πρὸς τὸν Δίωνα. Censet vir doctissimus, currus aureos in triumphis proprios Imperatorum sive Augustorum fuisse, unde sequitur, ante Cæsarum ætatem habuisse auratos. Differebant autem currus aurei ab auratis, qvod hi bracteis aureis solummodo, illi laminis ex auro essent inducti. Et conveniebat hoc splendori Cæsarum, ut alterum prioris ævi moderationi.

ni. Non verò aureos ſolummodo habuere currus Imperatores ſive Cæſares, verum etiam eburneos, id eſt, eburneis ſigillis cultos ornatosqvé, in illo ipſo auro, uti ſuſpicor. Ovidius lib. IV. Triſt. eleg. 3. de mente ſua, ſpectatura Cæſaris triumphum:

*Inveniet que viam, qua currus ſpectet eburnos.*

Et lib. III. ex Ponto, ep. 4.

*Illa Ducis facies in curru ſtantis eburno.*

Item Pedo de triumpho Druſi in campis Elyſiis:

*Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno,*
*Fronde triumphali tempora vinctus erit.*

Eburneo & aureo huic currui adjuncti erant eqvi coloris albi, fuitqve hoc de colore obſervatum ſtatim ab initio triumphorum, ipſoqve Romulo, ſi ſeqvimur Propertium, qvi lib. IV. el. 1.

*Quattuor hinc albos Romulus egit equos.*

Verum hæc de Romuli triumpho fidei ancipitis eſt narratio, ut ſupra indicavi. Magis Livio crediderim, qvi Camillum ſcribit primum ita triumphaſſe lib. V. cap. 23. *Maximè conſpectus ipſe eſt, curru equis albis juncto urbem invectus: Parumque id non civile modò, ſed humanum etiam viſum. Iovis Solisque equis æquiparari Dictatorem, in religionem etiam trahebant, triumphusque ob eam unam maximè rem clarior, quam gratior, fuit.* Sanè odium tam memorabile in virum de Republica optimè meritum ſine cauſa ortum eſſe non potuit. Non fuit autem hæc, qvam prodit Livius, cauſſa, ſi & ante ipſum illa triumphantium fuit conſvetudo. Adde, qvod hoc ipſum crediderit tradideritq; Plutarchus, Scriptor pari diligentia judicioqve præditus. Qvanqvam aſſeqvi non poſſim, qvod ne poſtea qvidem ſcribat qvenqvam iſtoc uſurpaſſe. Τέθριππον ὑποζεύξαμεν & λευκοπώλον ἐπέβη, καὶ διεβήλασε τῆς Ῥώμης, οὐδενὸς τοῦτο ποιήσαντος & ἡγεμόνος & πρότερον οὐδ' ὕστερον. *Quatuor equos albos adjunxit ad currum, eoque Romam eſt ingreſſus, quod nemo Imperatorum, neque ante, neque poſt ipſum, fecit.* Servius profectò tradit velut rem ſolennem ad lib. IV. Æn. v. 543. *Qui triumphat,* inqvit, *albis equis utitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris ſacrificat.* Verum poteſt Servius ad ſua reſpexiſſe tempora, qvomodo fortaſſe fecerunt & cæteri, qvi de qvadrigis albis loqvuntur.

qvuntur. Omnes enim Cæsarum ætate vixerunt. Ut Ovidius lib. I. de Arte:

*Quattuor in niveis aureus ibis equis.*

Plinius in Panegyrico cap. 22. *Priores* (Principes) *invehi & importari solebant, non dico quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat.* Apulejus in Apologia: *Peram & baculum Philosophis exprobrares? Igitur & triumphantibus quadrigas albas.* Similia habes apud Claudianum & alios, sed qvos puto respexisse cunctos Cæsarum ætatem, qva videtur primum invaluisse usus eqvorum alborum in curribus triumphalibus. Ante ista sanè tempora, ignoro, an qvadrigæ albæ triumphantium legantur. Nemo sanè ex his, qvi pro qvadrigis albis, etiam ante receptis, pugnant, vetustiorem aliqvem auctorem pro se nominat. Sed nec, qvi vetustiores descripserunt triumphos, albos eqvos memorant. Dionysius Halicarnassensis de triumpho Siccii, lib. VIII. Καὶ εἰσήλασεν ἅρμασι παρεμβεβηκὼς χρυσοχαλίνων ἵππων. *Invectus est in urbem curru cum equis aureis frænis insignibus.* Nudos vocat eqvos, non albos, qvos, ut χρυσοχαλίνους, sic λευκοὺς dicturus erat, si fuisset ista consvetudo. Sic Plutarchus de Æmilio Paulo: Εἶτ' αὐτὸς ἐπεβάλλεν, ἅρμασι κεκοσμημένῳ διαπρεπῶς ἐπιβεβηκώς. *Post ipse invectus est curru egregiè ornato.* Eqvos nullos albos memorat. Et sic alii, ut plane vera esse censeam, qvæ de Ἡγεμόσι, hoc est, Ducibus ante Cæsares, Plutarchus observavit. Habebant alias triumphales currus etiam hoc singulare præ Circensibus & reliqvis, qvod licet plerumq; unus tantum triumphans eis insisteret, aliqvando tamen accederent & plures. Triumphantes enim liberos assumere suos solebant, ac in eundem secum recipere currum. Valerius Maximus lib. V. cap. 10. de Æmilii Pauli filio: *Alter triumphali curru conspectus post diem tertium expiravit.* Tacitus de Germanico lib. II. Annal. cap. 41. *Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus.* Et intelligendi liberi utriusq; sexus. Capitolinus in Marco, cap. 12. *In triumpho autem liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt, ita tamen, ut & puellas virgines veherent.* Nec ad liberos hoc tantum pertinebat, sed & alios, qvos amabant. Sic de Commodo Lampridius

cap.

cap. 3. *Bellum, quod pater pæne confecerat, Regibus hostium addictus remisit, ac Romam reversus est. Romam ut rediit, subactore suo Antero post se in curru locato triumphavit.* Hoc prætextu Claudia videtur usa, cum seqveretur sive patrem, sive fratrem triumphantem. Svetonius in Tiber. cap. 2. *Etiam virgo Vestalis fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.* Aliud est, qvod habet Paulus Diaconus libro nono supplementi Eutropiani, nec huc trahi debet, ut est factum à qvibusdam. Verba Diaconi: *Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus id spectaculum fuit, patrem & filium, uno triumphali curru vectos, glorioſissimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse.* Vix est dubium mihi, qvin loqvatur de Vespasiano & Tito filio, nam Diaconus ipse qvidem nunc ad manus non est. At verò Titus à Vespasiano patre non assumptus est amoris gratia, ut solebant alias, vel propinqvitatis, verum debiti, ut particeps laborum, & confecti belli Dux supremus. Notat tamen ex hoc loco, nisi fallor, Onuphrius libro de Triumphis, Vespasianum & Titum primos extitisse, qvi uno curru triumpharent. *Duos Imperatores,* ait, *uno curru triumphali vehi, quanquam unà bellum aliquod confeciſſent, nunquam inveni: Singulis triumphos decerni mos erat. Primi omnium Rom. ducum Vespasianus Augustus & Titus Cæsar Iudaicum triumphum uno curru vecti una egerunt, post quos à sequentibus Imperatoribus id aliquando usurpatum,* Sed est error hic Onuphrij, qui errantem secutus est Diaconum. Nempe cum Diaconus apud Eutropium legisset; *hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphavit*; adjiciendum putavit, quod deerat scilicet, de curru uno, spectaculoq; cunctis antea ignoto. At hoc merum Diaconi commentum est. Josephus, quo certiorem verioremq; testem adducere alium non possumus, lib. VII. Bel. Jud. c. 24. ubi totam seriem triumphi memorat: *Post hæc Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur.* Vel, ut Græca habent; μετ' ἀὐτὸν Οὐεσπασιανὸς ἤλαυνε, καὶ Τίτος ἑπετο. Quibus verbis clare indicatur, habuisse utrumq; currum suum per se, Vespasianum priore loco, Titum vero posteriore. Arguuntq; idem nummi veteres, qui Vespasianum

semper exhibent unicum in curru, non omissuri Titum, si præsertim actum sic fuisset, quod nunquam antea consvetum fuit. Deniq; si quid accidit tum singulare, illud fuit, quod eodem die Pater atq; filius triumpharent. Sed nos de triumphis agere non proposuimus. Nec de usu quadrigarum nobis superesse quid dicendum arbitramur. Nisi forte, quod illarum honos magnus fuit apud Indos quoque, proximusq; ab elephantis. Arrianus in Indicis. Δεύτερον δὲ τιμὴ ἐπὶ τέτῳ, τὰ τέτρωπα. Loquitur de elephantis, & addit: *Proximus his honor, vehi quadrigis.* A quadrigis appellarunt *quadrigarios.* Svetonius in Nerone c. 16. *Vetiti quadrigariorum lusus, quibus inveterata licentia passim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat.* Uti tamen quadrigarij non sunt illi tantum, qui agebant quadrigas in Circensi ludicro, sed in universum omnes, currus quoscunque in Circo agentes. Ita Festus: *Factio & factiosus initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur.* Quadrigarij sunt agitatores Circenses cujuscunq; generis. Glossæ veteres. *Quadrigarius,* ἁρματηλάτης, ἱππηλάτης, ἡνίοχος. Atq; ita fere semper invenias, propter dignitatem & frequentiam quadrigarum. A quadrigis nummos etiam vocarunt *quadrigatos,* quia quadrigarum nota erant insigniti. Festus voce *Grave æs: Bello Punico Populus Romanus pressus ære alieno, ex singulis assibus librariis senos fecit, qui tantundem valerent. Item nummi quadrigati & bigati à figura cælaturæ dicti.* Habes ecce nummos quadrigatos. Sed quæ causa Festo hic agendi de bigatis atq; quadrigatis. Quomodo hæc verba; *Item nummi,* & quæ sequuntur, cum superioribus cohærent? Ego dubitare nequeo, quin Festus scripserit, *Iidem nummi,* scilicet de quibus antea locutus fuit, & intellexerit asses liberales, quatenus denarij effecti erant. Denariorum enim propriam hanc fuisse notam & diximus superius, & pleriq; docti confirmant. Quadrigatorum mentio & apud Plinium, cujus tamen verba quia nobis sunt allata in superioribus, hic non censemus esse repetenda.

Cap.

## Cap. XIV.

# De Sejugibus, & reliquis hujusmodi vehiculis.

*Sejuges. An habuerint & quinquejuges. Sejugæ.* Ἑξαίππους. Ἕξιπποι. Ἑξάζυγαι. *Vsus earum in circo. Argolus notatur. Plinius exponitur. Sejugas ſtatuas primus poſuit Auguſtus. Sejuges duplices in circo. Sejuges in pompa.* Πομπικὸν ἅρμα. *Interpres Dionis refutatur. Septemjuges. Onuphrius notatur. Quis eas primus invenerit. Equi in ſe juncti. Vincere ſejuge, & vincere ſejuges differunt. Onuphrius denuo notatur, & tabula Cechinorum exponitur.* Δεκάπολος.

EXplicavimus huc usq; illud genus, quod Græcis Latinisq; pariter cum ad alia, tum præcipue ad ludos & ſpectacula etiam antiquiſſimis temporibus in uſu fuit. Addemus nunc & alterum, quod & recentioris eſt inventi, nec niſi raro uſurpatum. Ex hoc primi ſunt *ſejuges*. Nam quinquejuges nec apud Græcos, nec apud Latinos invenio. Unde ne in uſu quidem exiſtimo fuiſſe. Videturq; hoc ideo factum, quia in excogitatione novorum vehiculorum id præcipue reſpiciebant, ut numerum ſimplicem equorum in vehiculis vetuſtis facerent duplicem. Sic ex biga facta eſt quadriga, ex triga ſejuges. Quanquam cum habuerint decemjuges, ut mox dicam, magis forte reſpexerint ad numerorum occultiorem rationem. Sejuges ita dicti, quod ſint juges equi ſex. *Iuges* porro pares, id eſt æqua fronte conſiſtentes. Feſtus: *Iuges, ejusdem jugi, pares, unde & conjuges, & ſejuges.* Alia igitur eſt ratio vocabuli hujus, alia bigarum quadrigarumq;. Quare Iſidorus jungere non debuit lib. XVIII. cap. 36. veluti communi ratione formarentur. *Quadrigæ*, ait, *& bigæ, trigæ & ſejuges ab equorum numero & jugo.* Niſi velimus à jugo dictum eſſe ſicut *jugis, juge*, ita, *jugus, juga, jugum*. A *jugis* eſſe *juges*, indeq; *ſejuges, ſeptemjuges, decemjuges*, & ſic deinceps. A *juga* eſſe *jugas*, indeq; *bijugas, trijugas, quadrijugas*, quas contracte poſtea dixerunt *bigas, trigas*, & deinceps. Quæ opinione mea eſt veriſſima ſententia. Neq; enim dari poteſt ratio, cur veteres credi debeant voluiſſe aliter appellare bigas & trigas,

aliterq; sejuges & septemjuges, cum sit similis ratio vehiculorum omnium. Sed nec monaci vox obstare potest, nam & illa per compendium ac contractionem à monajugo potest esse formata, ut primum fuerit *monajugus*, inde *monagus* & *monacus*. Erunt ergo hæc vehicula sic dicta non à *jugo* verbo, nec *jugo* nomine, sed nec ab *ago*, verum *jugis* vel *jugibus* adjectivo, quod significat æqua fronte consistentes, vel ut Festus reddit, pares, quia hoc præcipe à cæteris vehicula ista differebant, quod haberent equos pari vel æquali fronte collocatos. Neq; alia est causa, cur non modo *sejuges* vocarint, sed & *sejugas*. Ad quem modum quoniam dixerunt quoque *bijuges*, & *trijuges*, & *quadrijuges*, non erit necesse, ut *bigas*, *trigas*, *quadrigas* existimemus formatas ab *agendo* velut *agas* magis, quam à *bijugas*, *trijugas*, *quadrijugas*. Græci nominarunt ἑξαΐππους, si Philoxenum audimus. Ἑξάϊππον, ait, *Sejuga*. At apud veterem magistrum titulo de spectaculis ἕξευξις hac notione. Ita namq; habet, *Biga*, συνωρίς. *Sexjunge*, ἕξευξις. Ubi tamen mallem legere vel *sexjuga* vel *sexjuge*, ut intelligatur in posteriori *vehiculum*, in priori servetur ratio, quæ in biga & quadriga est. Ἑξάπωλον ἅρμα vocavit Herodianus libr. V. Athenæo pro ἑξάϊππον, est ἕξιππον. Sejugum vel sejugorum mentionem ipse, quantum scio, primus facit apud Græcos, tribuitq; Antiocho, quem exhibuisse scribit in solenni pompa. Verba ejus lib. V. inter reliqua ejus pompæ visu digna: Ἕξιππα μὲν ὧν ἑκατὸν, τέτρωππα δὲ τεσσαράκοντα. *Sejuges centum processerunt, quadrijuges vero quadraginta.* Johannes Antiochenus appellavit ἑξαζύγας ἵππους, in Excerpt. Peirescianis p. 829. ἐπὶ ἅρματι χρυσῷ καὶ λευκοῖς ἑξαζύγοις ἵπποις ἀναβίβασας. Num in ludis quoq; adhibuerint, ignoro, neminem profecto ex Græcis scio, qui hoc prodiderit. At vero apud Romanos in Circensibus non omnino fuerunt ignoti. Nam sic ait Isidorus: *Sejuga, maximus currus currit Iovi, propter quod maximum deorum suorum credunt.* Vocat currum maximum, non quod non major fuerit, aut plures equi unquam sint adjuncti, sed ad Circenses inter sacra vehicula, & in honorem deorum mitti solita majorem non usurparint. Unde tamen hoc colligitur, quod usurparint, & solenniter usurparint. Quare nescio,

cur

cur Argolus ab Augusto demum prodat inventas. Verba ejus in Notis ad Onuphrium, ubi Onuphrius id ipsum, quod Isidorus docuerat: *Sejuges ab Augusto primum inductos constat.* Unde vero hoc constet, ego sane ignoro, nec legere me recordor. Verum suspicor, deceptum Argolum à Plinio non satis diligenter inspecto. Plinius sic habet lib. XXXIV. cap. 5. *Serum hoc, & in his nonnisi à Divo Augusto sejuges, sicut & elephanti.* Hic quia sejuges dicuntur ab Augusto, ipse de sejugibus in ludis Circensibus accepit. Atqui totum illud caput agit de statuis, & inter cætera de curulibus etiam, quas ponebant apud Græcos Romanosque. Unde verba proxime præcedentia sic habent. *Sed illi* (Græci) *celetas tantum dicabant in sacris victores. Postea vero & qui bigis vel quadrigis vicissent. Vnde & nostris currus in his, qui triumphavissent. Serum hoc, & in his nonnisi à Divo Augusto sejuges.* Sententia est, fuisse receptum apud Græcos primum ut statuas equestres dedicarent illi, qui victores extitissent in ludis sacris celete. Postea factum, ut dicarent quoq; bigas vel quadrigas sculptas marmore vel fusas ære, qui vicissent isto genere. Inde consvetudinem venisse Romam, ut & qui triumphassent, dedicarent statuas triumphales, quadrigas puta: sed hoc factum sero, & adhuc serius, ut triumphales sejugas. Hoc enim primum auctorem habere D. Augustum. Nulla mentio ludicri Circensis, aut quod sejuges in eis miserit Augustus. Et si solenne fuit ut currerent Jovi, etiam ante Augustum longo tempore fuisse notas necesse est. Quanquam forte raro missi, cum rarissimam illorum fieri mentionem videamus. Sejuges profecto, quorum mentio in tabula Cecchinorum, Onuphrius inter extraordinarios putat referendos. Tabula sic habet: *Præmia majora vicit* LXXXXII. XXX. XXXII. *ex his Sejuges* III. XXXX. XXVIII. Item: *Diocles eminet, quod una die sejuges LTS. XL. missus bis utrag, victor eminuit.* Hic sejugum certamen existimat ex provocatione factum. Alij ergo sejuges ordinarij, Jovis honori dicati, quorum cæteri, excepto Isidoro, vix fecere mentionem. Leguntur sejuges adhibiti à Romanis etiam in pompa cujus rei Cajus Cæsar primus fuit auctor. Dio lib. LIX. Καὶ ὅτε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν ἵππευσαν, ἐς τὸ ἅρμα τὸ πομπικὸν, ἐφ' ἁπλοῦν, ἐξ ἵπποι εἵλκυσαν, ὅ μὲν πώποτε

πώπολε ἐγεγόνῃ. Vertunt: *Patricii pueri Trojam luserunt. Sex equis tractus est currus triumphalis, quo Cajus vehebatur, nunquam ante usitatum.* At verò toto illo loco nil de bello, multo minus de triumpho. Et πομπικὸν ἅρμα non est *currus triumphalis.* Loqvitur de eo curru, qvo est usus Cajus im pompa Circensi, antecedit enim, dedisse populo varia spectacula, etiam eqvestria curuliaqve. Hoc est πομπικὸν ἅρμα, qvo ipse, velut Dux illius pompæ, nisi fallor, utebatur. Hoc nunqvam ante visum erat, qvando currus tantum Jovis fuit sejugus. Venio ad SEPTEMJUGES. Hos Onuphrius ait in Circo fuisse usitatos Neronis temporibus. Verba ejus sunt, lib. I. cap. 9. *Septem decemque jugis aliquando aurigatum fuisse, refert Svetonius in Nerone, cap. 24.* Sed verò Svetonius nil ibi habet de septemjugis, decemjuges tantum memorat. Interim non repugnem, potuisse jam eo tempore cœptos esse usurpari, nec tamen, ut currus ordinarios, sed extraordinarios, & ex provocatione ac arbitrio certantium inter sese junctos. Nam ordinariorum qvidem currus maximus fuit sejugus, ut jam supra indicavimus. Qvanqvam, si seqvamur tabulam Cecchinorum, auctor septemjugum in Circo fuerit Diocles, qvi vixit tempore Hadriani atq; Antonini Pii. Verba sunt clarissima: *Suisque septem equis in se junctis, nunquam ante hoc numero equorum spectato certamine, ad LTS. L in abigeis victor eminuit.* Non possum hic eqvos *septem in se junctos* intelligere, nisi septemjuges, qvi *in se*, pro *inter se*, dicuntur juncti, sicut sæpe illud *in* pro *inter* solet usurpari. Atq; hinc est sine dubio, qvod præcedit in eadem tabula: *Inde Septejuge L. LXIII. vicit CCCXXXVII.* Ubi *vincere septejuge* est, vincere eqvo septejuge, pro vincere septejugibus, qvoniam victoria Circensis uni tantum eqvo in curru tribui consvevit, sicut alibi notavi. Onuphrius exponit *septejuge agitando*, qvasi qvarti casus esset, à primo casu *septemjuge*, cum sit casus ultimi, à primo *septemjugis*. Tabula sic habet: *Inde præmia majora vicit* LXXXXII. XXXII. *ex his Sejuges* III. XXXX. XXVIII. Qvæ verba sic exponit Onuphrius: *Ex his Sejuges III. Sejuge dicendum opinor, ut infra septejuge. Id est, horum majorum præmiorum, quæ duo & triginta fuere, tres vicit septejuge agitando.* Primum *sejuge* debebat

bat scribere, nam de eo sermo hic est, non septejuge. Deinde illud *agitando* erat omittendum, nec enim *sejuge* agitari dicitur, sed *sejuges* vel *sejugi*; Et in tabula præcedit *vicit*, ut non opus sit id *agitando* intelligere. Vicit *sejuge*, hoc est, vicit eqvo sejuge. Qvanqvam dubitem, an *sejuge* scribendum sit. Potest enim voluisse demonstrare, qvisqvis auctor fuit hujus tabulæ, vicisse Dioclem qvadrigis suis etiam sejuges adversarii. Nempe aliud est *vincere sejuge*, & aliud *vincere sejuges*. Vincit *sejuge*, qvi hoc genere currus certans fit superior. Vincit *sejuges*, qvi sejuges habet adversarios, qvibuscum cursu contendit. Sicut autem sejuge qvis dicitur vincere, sic plane & septemjuge: Eqvo videlicet inter septem præcipuos, cujus ope ac virtute victoria maximè obtinetur. Liqvet autem ex prædicta tabula, septemjuges non fuisse notos, saltem in Circo, & inter agitatores, ante Dioclis ætatem, ut de ætate Neronis frustra suspicemur, frustra Onuphrio affirmanti credamus. Qvod eo magis apparet, qvia tabulæ dictæ auctor ipsum ait *primum visum esse his novitatibus*, itemqve hanc ob causam *duplici ornatum esse gloria* Dioclem, qvod sic palam conspectui omnium in monumento publico proponere non potuisset, si ante septemjuges in Circo fuissent usurpati. Sed & hoc ex ista tabula cognoscimus, septemjugum certamen non fuisse solenne atq; ordinarium, sed ex provocatione natum, ut nec mirum sit, si postea non semper fuit observatum, ac iccirco nec commemoratum sæpe à Scriptoribus. Cum præsertim extra Circum nec in bello, nec in pompis aut triumphis, usurpatum videatur. Unde nec à Græcis usqvam reperitur nominatum. OCTOJUGES ac NOVEMJUGES nunc memorare deberemus. Verum hactenus non reperi neq; apud Græcos, neq; apud Latinos. Habet qvidem Livius octojuges, sed homines, non eqvos. Verba ejus extant lib. V. cap. 2. *Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: Nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire.* Hic octojuges appellat octo Tribunos militum ex patriciis creatos, qvos dominari juncta opera in plebem, constitutam in castris conqverebantur. Ergo ad DECEMJUGES est veniendum. Hos enim commemorat Svetonius in Nerone, c. 24.

*Aurigavit*

*Aurigavit quoque plurisariam, Olympiis verò etiam decemjugem.* Ubi per *decemjugem* intelligere *currum* debemus. Auctor vetus Olympiadum Collectionis nominat δεκάπωλον. Sic enim habet rem eandem enarrans ΟΛ.ΣΙΓ. Νέρων κηρύκων ἀγῶνα ἐστεφανώθη τραγῳδὸς, κιθαρῳδὸς, ἅρμα πωλικὸν, καὶ τὸ τέλειον, καὶ δεκάπωλον. Docet autem locus uterque, decemjugem vel decemjuges istos exhibitos in ludis Olympicis. Quanquam novum fuerit, nec visum antea, ut *etiam* apud Svetonium ostendit. Currus certè ibi certasse, qvadrigis majores, hactenus non observatum nobis. Sed nec Romani Circenses viderunt decemjugem, ne per Neronem qvidem exhibitum, ut arbitror, qvia nominatim Svetonius hoc factum ait Olympiis. Supra decemjuges num veteres habuerint, haud dixerim. Meminit eqvidem is ipse Svetonius currus alicujus cum eqvis duodecim, sed non verus fuit, verum visus in somnio, ac per qvietem. Sic enim habet in vita Augusti, cap. 94. de Octavio, Augusti patre: *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuviisque Iovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Sanè currum verum cum tot eqvis non legisse memini, multo minus cum pluribus. Et videtur fieri vix potuisse, ut tot simul eqvi regerentur ab uno, sicut in hoc genere necesse erat.

Cap. XV.

## De Curru, maximè falcato.

*Currus unde. Isidorus refutatur.* Ἅρμα. *Currus falcati, falciferi.* Ἁρμάλα δρεπανηφόρα. *Currodrepani.* Ἁρμάλα ὡπλισμένα. *Horum auctor num fuerit Cyrus. Xenophon exponitur.* Διφρεία Τρωικὴ. *Philelphus revellitur. Pugnandi ratio varia cum curribus. Argolus notatur.* Ψιλὰ ἅρμαλα. *Xenophon iterum exponitur & emendatur. Hermannus Hugo notatur. Hesychius exponitur & emendatur. Philelphi versio Xenophontis denuò rejicitur. In sellis vehiculorum janua. Curtii locus de quadrigis falcatis expenditur. Summi orbes rotarum.* Καλακλίσεις τῶν ἀξόνων. *Curtius notatur. Livius corrigitur. Currodrepanum. Ad currus falcatos equi quatuor, duo, unus. Arrianus exponitur. Stevechius notatur. Vsus falcatorum curruum.*

Currum

CUrrum à Latinis à currendo dictum, omnes veteres recentesqve consentiunt. Verum, qvæ denominationis ejus causſa ſit, non æqvè convenit. Iſidorus ita habet lib. XVIII. cap. 35. *Currus à curſu dictus, vel quia rotas videtur habere multas.* Qvibus verbis ſine dubio hoc voluit, currum eſſe dictum, qvod currat, tanqvam qvi rotas habeat multas. Qvaſi qvo vehiculum rotas habet plures, hoc ſit aptius ad curſum. Atqvi contra factum apud veteres videmus. Cuncta enim ea vehicula, qvibus certare curſu ſolebant ſive Græci, ſive Latini, rotis inſtructa erant ſolummodo duabus. Adde, qvod revera currus rotas non habuerit multas, verum duas tantum, ut deinceps demonſtrabo. Ut neceſſe ſit, hac parte Iſidorum eſſe lapſum. Melius Perottus, qvi ſic ait: *A curro deducitur & currus, hoc eſt, carrus, quod eo veteres ad curſum in ludis uterentur.* Bene dicit currum appellatum, qvod illius uſus eſſet ad curſum. Veteres nimirum, cum celerius qvid eſſet expediendum, nec adhuc invaluiſſet uſus eqvorum ſingularium, eqvos adjungebant currui, atq; ita currebant vehiculo ad negotium, qvod vehiculum inde *currum* appellarunt. In eo tamen erravit Perottus, qvod currum confudit cum carro. Carrus enim magis pertinebat ad onera, ut ſuo loco apparebit, currus magis ad homines vehendos. Deinde, qvod putavit, currus tantum adhibitos ad ludos. Contra enim & ad alias res longè plures uſurpatos, mox firmabimus. Currus ergo à Latinis à currendo dictus, qvia eo ferè currebant. Græcis ἅρμα eſt. Ideò, qvod Cæſar habet lib. IIII. B. G. c. *Vt inde ſe in currus citiſſimè recipere conſveverint*, id Metaphraſtes ejus reddit: Ὥστε ἐνθεῦθεν ῥᾳδίως εἰς τὸ ἅρμα ἐπαναχωρεῖσιν. Sed & Plutarchus, Dio, cæteri, qvotiens de Circenſibus loqvuntur, ſemper ἅρματα commemorant. At Circenſium ludorum vehicula Romanis nunqvam alter, qvam *currus*, appellata. Qvod & de curribus triumphalibus poteſt obſervari. Dio ita habet lib. XLIII. ubi agit de triumpho Cæſaris: Ἐν δὲ ἓν τῇ πρώτῃ τῶν νικητηρίων τέρας ἐκ ἀγαθὸν ἐγένετο. Ὁ γὰρ ἄξων τοῦ ἅρματος τοῦ πομπικοῦ συνετρίβη. Qvod Svetonius exponit iſtis verbis cap. 37. *Gallici triumphi die Velabrum præter vehens pæne curru excuſſus eſt, axe diffracto.* Currus igitur Svetonii, Dionis ἅρμα πομπικὸν eſt. Qvod propterea notandum,

qvia vulgo vertunt ἅμαξαν. At hoc generis est alterius, ejus videlicet, qvod *plaustrum* appellatur. Aliqvi vocant ὄχημα. Sed hi non observant, currum aliqvando generalius pro qvovis usurpari vehiculo, aliqvando verò certum ac peculiare denotare. Illo modo significare ὄχημα, hoc verò esse ἅρμα. Igitur & in Glossis habes: *Currus*, ἅρμα. Currus porro, cum peculiare notat genus, vehiculum significat cum rotis duabus, hominibus gestandis destinatum. In qvo differt à birota, qvæ oneribus ac sarcinis inservit. Duas habere rotas apparebit, qvando cunctas ejus referemus species. Nec enim est unius tantum modi, sed multiplicis & varii. Habuerunt nempe veteres currus bellicos, currus Circenses, currus triumphales, currus bijugos, trijugos, qvadrijugos, qvemadmodum jam in superioribus monstratum est. Omnes verò illi currus rotas non habebant nisi duas, qvod & ipsum est ostensum. Præter istos currus habuerunt & alios, de qvibus nunc agemus. Ut primum *currus falcatos*, qvorum mentio apud veteres creberrima. Curtius IV. cap. 12. *Hos quinquaginta falcati currus sequebantur.* Et cap. 15. *Ipse ante se falcatos currus habebat.* Valerius Flaccus lib. VI.

*Vndique falcatos deserta per æquora currus.*

Vegetius lib. III. cap. 24. *Nam difficilè currus falcatus planum semper invenit campum.* Lucretio sunt currus *falciferi* lib. V.

-- -- *Falciferos inventum ascendere currus.*

Græci pari modo ἅρματα δρεπανηφόρα. Xenophon lib. I. Anab. Ἅρματα διαλείποντα συχνὸν ἀπ' ἀλλήλων τὰ δρεπανηφόρα λεγόμενα. Diodorus Siculus lib. XVII. Καὶ ἐσκεύασε δ' καὶ ἅρματα δρεπανηφόρα. Philoxenus: Ἅρμα δρεπανηφόραν, *currus falcifer*. Recentiores Scriptores voce hybrida *Currodrepanos* appellavere, sicut liqvet ex Anonymo de Rebus bellicis, qvi triplici ratione describit. Sunt & ἅρματα ὡπλισμένα Xenophonti fine lib. VI. Cyrop. hoc est, *vehicula armata*, propter falces. Auctor horum curruum Cyrus putatur. Demsterus ad Rossin. *Horum curruum* (falcatorum) *auctor fuit Cyrus.* Brissonius lib. III. de Regno Pers. *Cyrus primus currus cum falcibus in prælia induxit, cujusmodi currus Græci, & in his Plutarchus in Lucullo & Arrianus lib. II.* δρεπανηφόρα, *Latini falcatos currus vocant.* Habent hoc ex Xenophonte, qvod

qvod ipsi fatentur. Et testatur Xenophon lib. VI. Pædiæ, Cyrum excogitasse currus falcatos, qvos & describit. Imò reddit caussam, cur excogitaverit. Adscribam locum, qvia dignus est, qvi expendatur. Sic autem sese habet ex versione Philelphi: *Trojanas quadrigas, quas antea habuissent, & qua Cyrenaica utuntur etiam nunc, curulem agitationem solvit. Superiore enim tempore & Medi & Syri & Arabes, & Asiatici omnes curribus ita autebantur, & nunc Cyrenaici. Visum est ei, quod in exercitu præstantissimum esset, haud consentaneum fore, quum optimi quique essent in curribus, id velitum vicem præbere, & ad vincendum non multum habere momenti. Currus enim trecenti, præbent pugnantes quidem trecentos, equis autem hi utuntur mille ac ducentis. Aurigæ verò his sunt, ut verisimile est, quibus optimates maximè fidem habent, ii verò sunt alii ad trecentos, qui nihil prorsus hosti nocent. Hos igitur sessiles currus sustulit. Pro his verò aptos ad bellandum paravit currus*, &c. Ubi porro falcatos describit. Hic Philelphus vocat *Trojanas quadrigas*, quæ Xenophonti διφρεία Τρωικὴ. Est autem διφρεία Τρωικὴ non *quadriga Trojana*, verum modus sive ratio pugnandi ex curribus. Habebant veteres pugnandi rationem duplicem, quotiens curribus prælia committebant, unam vetustissimam, quam appellat Τρωικὴν, quod temporibus Trojanis fuerit usitata, & aliam recentiorem, quam appellat Κυρηναϊκὴν, quod Cyrenaicis recepta esset. Cyrenaicam opinor esse, quæ habebat pugnatores perpetuo insistentes curribus, Trojanam vero, quę desilientes, cum pugnandum esset. Trojanos sane heroes fere semper sic describit Homerus. Inde illi versus Iliad. Α.

-- Ἐκ δ' Ἀγαμέμνων
Πρῶτος ὄρσε' --
Ἠτοι ὅ γ' ἐξ ἵππων κατεπάλμενος ἀντίος ἔστη.

*Agamemnon primus desiliit. Ille quidem desiliens ex equis contra stetit.* Item Iliad. Π.

Ἦ ῥα, καὶ ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἅλτο χαμᾶζε
Πάτροκλος δ' ἑτέρωθεν ἐπεὶ ἴδεν, ἔκθορε δίφρου.

*Dixit* (Sarpedon) *& ex curru cum armis saltavit humi; Patroculus autem*

*autem altera ex parte ut vidit, desiliit ex curru.* Ex eadem causſa & Virgilius desilientem fingit Æneam lib. ult.

*Dixit, & è curru ſaltum dedit ocyus armis.*

Ubi fruſtra Argolus in Notis ad Onuphrium p. 16. ſcribendum putat *auris*, pro *armis*, cum hic manifeſta imitatio ſit Homeri. At vero cæteros populos desilijſſe non legimus, quando prælium inibant. Itaq; & Xenophon hic ait, illud genus ἐν ἀκροβολισμῶν μέρει εἶναι quod Philelphus vertit: *vetitum vicem præbere.* Intelligit autem Xenophon ejusmodi genus, quod ſolum tela emittit, nec ad ulterius & gravius venit certamen. Unde liquet, non desiliiſſe, ſed è curribus tantum emiſiſſe tela. Quo proinde genere & Cyrenaicos eſſe uſos intelligimus, indeq; factum eſſe, ut Cyrenaicum totum diceretur. Genus hoc utrumq; ſuſtulit Cyrus, & hoc ideo, quia vidit primum viros optimos eo genere pugnare, nullo tamen vel exiguo cum fructu, quoniam talis ſolummodo & eminus utantur, cominus cum hoſte ne congrediantur quidem. Deinde, quia vidit equos poſtulare multos, quorum uſus eſſe poſſet magis aptus & neceſſarius ad alia. Dicit enim ad trecentos currus requiſitos equos mille ac ducentos, quoniam ex iis fere quilibet ab equis quatuor trahebatur. Poſtremo quia vidit tot in prælium ſequi otioſos plane, quot pugnantes, cum currus quilibet exigat aurigam ſuum, cujus nullus tamen uſus ſit in pugna. Nempe, quod jam, alibi oſtendi, currus ſinguli habebant viros duos, unum propugnatorem, alterum aurigam. Virgilius X. Æn.

*Interea bijugis infert ſe Lucagus albis*
*In medios, fraterq; Liger: ſed frater habenis*
*Flectit equos, ſtrictum rotat acer Lucagus enſem.*


Hunc aurigam otioſum ſuſtulit Cyrus, aliumq; ſubſtituit armatum, milite omiſſo, ut mox audiemus, totamq; illam curruum mutavit rationem. Nam ut ipſi currus etiam ad damnum hoſti afferendum eſſent utiles, falces eis appoſuit. Erant enim nudi hactenus Perſarum currus, & inermes, quales Arrianus noſter. Ψιλὰ ἅρματα vocavit c. 3. Tacticorum. Verba: Ἡ δὲ ἀπὸ τῶν ἁρμάτων μάχη πολυειδὲς ἑρα ταύτης. Ἦ γὰρ ψιλὰ ἦν τὰ ἅρματα, καθάπερ τὰ Περσικὰ ἦν, ἢ δρεπανηφόρα, ὧν ὕστερον τὰ

τὰ Περσικά. Quæ sic reddidimus in editione nostra: *At vero pugna, quæ vehiculis instituitur, plures habet species. Alia namq; nudis fit vehiculis, sicut illa ad Trojam, alia vehiculis falcatis, sicut sequentibus temporibus apud Persas factum.* Quando nominatim meminit Persarum, sine dubio respexit ad hoc institutum Cyri, ejusq; ἅρματα δρεπανηφόρα opposuit ψιλοῖς, & hæc Τρωϊκὰ illa Περσικὰ vocavit. Nec fortassis alia est Περσικὴ διφρεία, cujus Pollux meminit, quam ista Cyri, quæ non modo differebat eo à vetustiori illa, quod haberet currus falcatos, sed & eo, quod homines tantum singulos à quibus singuli regebantur. Sic enim ait Xenophon: Τὸν δ' δίφρον τοῖς ἡνιόχοις ἐποίησεν, ὥσπερ πύργον ἰσχυρῶν ξύλων. Ὕψος δὲ τούτων ἐστὶ μέχρι τῶν ἀγκώνων, ὡς δύνωνται ἡνιοχεῖσθαι οἱ ἵπποι ὑπὲρ τῶν δίφρων. Τοὺς δὲ ἡνιόχους ἐθωράκισε πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν. Vertit Philelphus: *Sellam vero fecit aurigis sicuti turrem ex validis lignis. Harum vero curulium sellarum altitudo est usq; ad cubitos, quo possint equi ab aurigis gubernari super sellas. At aurigas loricis totos armavit, exceptis oculis.* Habes hic aurigam solum unicumq;, qui est in curru. Nempe quicquid effici hoc genere debebat, id efficiendum erat non per homines, sed currus ipsos falcibus armatos. Hoc requirebatur solum, ut qui regebat equos, lædi facile ne posset. Eo fine sellæ factæ altæ rotundæq; ac undiquaq; clausæ, ipsi quoque qui regebant, muniti thoracibus & galeis clausis, ut nec inferne, nec superne quidquam ex eis pateret vulneribus, ac sic obsistentia quævis impune possent perrumpere. Ista loci hujus est sententia, quam non assecutus est Hermannus Hugo in de Militia Equestri libro 1. c. ultimo. Igitur in hæc erumpit verba: *Fateor, difficile capio qui ex hoc curru pugnaverit hoples, seu miles armatus. Qui enim posset, aut quo loco? Ante, an post aurigam? Ante aurigam inter habenas & verbera stabit: post aurigam quomodo pugnabit? nam aurigæ sella alta est quinq; cubitos. Forte à latere? Aqua mihi hæret: nam quanta, quam longa aurigæ scutica, quam longæ habenæ ex sella quinq; cubitorum.* Ita Hermannus, qui tamen frustra disputat de sella quinq; cubitorum, qualis nulla Xenophonti cogitata est. Etsi enim in quibusdam libris sit ἀγκώνων πέντε, tamen illud πέντε stulti esse glossam vel id ostendent, quod super illas sellas (ὑπὲρ τῶν

τῶν δίφρων) regi equi debuerint. Sed & Codex Camerarij aperte μέχρι τῶν ἀγκώνων τὸ ὠὐιόχῳ habuit, quod significat, ut ipse vertit: *altitudo harum pertinebat ad aurigæ cubitos usq;*. Si ad aurigæ cubitos, profecto quinq; cubitos non potuit esse alta. Neq; magis spectat huc, quod de loco ambigit armati, seu hoplitæ. Fuit is armatus in Trojano genere ac Cyrenaico. Cyrus vero eum sustulit, tanquam parum conferentem ad victoriam, ejusq; loco ipsum armavit aurigam. Ita docet locus totus, in quo nulla mentio militis armati. Quanquam autem apud Persas Cyrus primus immutarit veterem vehiculorum bellicorum formam, institueritq; currus falcatos, tamen non is primus auctor est currum falcatorum omnium. Nam diu ante ipsum Ninus quoq; habuit, ut est auctor Diodorus. Ait enim lib. II. Bibl. fuisse in exercitu ipsius ἅρματα δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων. *Curruum falcatorum paulo minus quam mille cum sexcentis.* Idem facit Ctesias, unde sua, ut opinor, Diodorus hausit. Quid? quod ante Ninum quoq; apud Cananæos memorent Monumenta Sacra. Dicitur namq; Judas cum Simeone non potuisse delere habitatores vallis circa Ascalonem atq; Accaron, *quia falcatis curribus abundabant*. lib. Judicum cap. 1. Sed & Rex Cananæorũ Jabin, qui regnabat in Aser, ducemq; belli habuit Sisaram, habuisse memorarur *nongentos falcatos currus*, ejusdem lib. c. 4. Fuerunt autem nõ ejusdem generis omnes illi currus falcati: Alios habuere Cananæi, alios Assyrij, & rursũ alios alij populi. Sic fortassis est intelligendũ, quod adfertur ab Hesychio de Macedonibus. Δρεπανηφόρα ἅρματα τὺς Μακεδόνας φασὶ πρώτους χρήσασθαι. *Currus falcatos ajunt Macedones primum usurpasse.* Qvanqvam mihi qvidem hoc de Macedonibus alibi non sit lectum. Imò contra ne habuisse qvidem videntur. Nemo certè nominat in exercitu Philippi, vel Alexandri, vel qvi eos proximè sunt secuti. Et Alexander suos docuit vim illorum curruum eludere, ut videmus apud Curtium lib. IV. cap. 15. Itaq; ignoro, utrum non exciderit negatio in verbis Hesychii, scribiq; debeat πρώτους ἀ χρήσασθαι. Ut sit sensus, primos Macedones noluisse curribus ejusmodi uti, qvippe qvos intelligebant parum ad bellum conducere. Cum autem fuerint generis tam varii,

videa-

videamus ac consideremus qvædam. Cyri currus ita describuntur à Xenophonte: Προσέθηκε δὲ καὶ δρέπανα σιδήρεα ὡς διαπήχεα πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν, καὶ ἄλλα κάτω ὑπὸ τῷ ἄξονι εἰς γῆν βλέποντα, ὡς ἐμβαλοῦντα εἰς τοὺς ἐναντίους τοῖς ἅρμασιν. Vertunt: *Apposuit etiam falces ferreas duarum ulnarum longitudine ad axes ex altera atque altera rotarum parte, & alias infra sub axe respicientes in terram, tanquam impetum in adversarios curribus facturi essent.* Ubi illud ἐμβαλοῦντα Philelphus retulisse ad homines videtur, qvod mea opinione respicit antecedens τροχῶν; qvia rotæ cum suis axibus & falcibus adjectis pugnaturæ erant magis, qvam homines. Liqvet autem ex descriptione ista, currus Cyri habuisse falces non in rotis, sed in axibus, qvarum aliæ prominebant à lateribus, aliæ spectabant terram, ista, ut opinor, specie.




Præter armaturam illam etiam hoc habebant singulare, qvod instructi essent sellis illi currus, iisqve non retrò apertis semicirculari forma, ut solebat cæteris in vehiculis, Trojanis ac Cyrenaicis, sed rotundis, & qvaqvaversum clausis, & ex lignis crassioribus constructis, ea ratione propemodum, qva currus triumphales construi apud Romanos solebant; Unde & per januas conscendebant, qvas post conscensum poterant claudere, ut indicat Xenophon, ubi ait: Καλὰ τὰς θύρας τῷ ἁρμαλοιᾷ διφρεῖα ἀνέβαινεν ὅπῃ τὸ ἅρμα. Ἐπὶ δὲ ἀναβαὶς καὶ αὐτὸς κατέκλεισε τὸν δίφρον ὁ ἡνίοχος. *Per fores currus in sellam conscendit, cumque conscendisset, sellam clausit auriga.* Itemqve, qvod in sellis illis starent

rent

rent aurigæ, regerentq; eqvos, nec haberent alios propugnatores. Atq; istiusmodi qvidem currus Persæ deinde servabant, etiam post Cyrum, qvod disertim docet Xenophon prædicto loco, ubi ait: *Vt autem hosce Cyrus tum fabricatus est, ita etiam hoc tempore utuntur curribus, qui in Regis sunt regione.* Attamen describit eos multo aliter Curtius in exercitu Darii, ut vel non satis Græcos assecutus sit, qvos habuit auctores, vel Darius rationem Cyri immutaverit. Verba Curtii sunt lib. IV. cap. 9. *Ex summo temone hastæ præfixæ eminebant: Vtrinque à jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: Aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ, quicquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Hic, ut omittam alia, falces hærent non in axibus, sed summis orbibus rotarum: Ubi orbes rotarum omnes intelligunt curvaturas, apsidesqve, nec videntur posse aliter intelligi. Hinc rota Stevechii ad Vegetium, ubi totum depingit currum, & alia Raderi ad Curtium, neutra satis commoda. Qvanqvam multo ineptior Raderi, qva tamen se putabat alteram emendare. Nec enim ab ipsa ullum adversariis adferri potest malum, qvod intelligent omnes, qvi picturam satis intelligent. Respiciunt in ea falces sese mutuò: Pars scindendo apta intrò versa est una cum mucronibus, ut ne attingere qvidem aliqvem inter prætereundum possit. Spicula non sunt inter radios, sed inter falces. Adeò est nil in ea, qvod descriptioni Curtianæ conveniat. Rota Stevechiana ægrè circumagitur, nec ibi falces demissæ in terram, neq; spicula ulla. Itaq; nec ipsa qvidem, qvalis Curtio descripta. Qvomodo tamen illæ falces summis orbibus adhæserint rotarum, si, qvemadmodum huc usq; factum, orbes illos intelligamus, ægrè dixerim. Atq; miror, nostrum solum collocare in his orbibus, ita intellectis, neminem alium. Nam & Livius lib. XXXVII. cap. 41. *Item, ab axibus rotarum utrinque binæ eodem modo diversæ deligabantur falces.* Et in Auctore veteri Rei Bellicæ tres habes currus falcatos, qvorum neuter falces habet in apsidibus, omnes in axibus. Deniq; Diodorus, qvi describit illos ipsos currus, qvos Curtius, longè aliter. Verba ejus extant lib. XVII. Τούτων (ἁρμάτων δρεπανηφόρων)


φόρων) ἑκάστου παρ' ἑκάτερον τῶν σειραφόρων ἵππων ἐξέκειτο προσκλωμένα τῷ ζυγῷ ξύστρα παραμήκη τρισπίθαμα, τῷ ἐπιστροφὴν τῆς ἀκμῆς ἔχοντα πρὸς τῷ κῶ πρόσωπον ἐπιφάνειαν. Πρὸς ᾗ ταῖς καλαμαξὶ τῶν ἀξόνων ἐπ' εὐθείας, ἄλλα δύο, τῷ μὲν τιμὴν ὁμοίαν ἔχοντα πρὸ τῷ κῶ πρόσωπον ἐπιφάνειαν τοῖς πρότερον, τὸ δὲ μῆκος μείζω καὶ πλατύτερα. Συναρμοστὸ δὲ ταῖς τούτων ἀρχαῖς δρέπανα. *Ex singulis* (falcatorum curruum) *juxta equum utrumq; funalem spicula jugo affixa trium spithamarum longitudine prominebant, acie in adversas hostium facies directa. Vbi in axibus recumbunt, alia duo spicula hærebant in rectum, quæ eodem modo aciem habebant faciei hostium obversam, ut priora, longiora tamen erant atque latiora. Ipsis autem falces adjunctæ erant in summo.* Nullæ falces hic in apsidibus, sed ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῶν ἀξόνων, hoc est, initiis, seu capitibus summis axium. Jam verò necesse est, ut sua Curtius desumserit ex Græcis, usqve, è qvibus hausit & Diodorus. Qvi cum ipse qvoq; Græcus sit, rectius sine dubio sententiam expressit eorum, qvam Curtius. Nisi credimus, Curtium scripsisse *axibus*, sed factum *orbibus*, qvia primum factum sit *axsibus*, inde *arsibus*, tum *orsibus*, indeq; ad postremum, veluti per emendationem, *orbibus*. Vel putamus locum non satis integrum, cum præsertim libri veteres non *summis* habeant, sed *summissæ*, ut *summissæ orbibus* intelligi possint missæ sub orbes, & extantes ab axibus. Qvicqvid fuerit, in ipsis orbibus vel apsidibus rotarum falces nunqvam habuere, (licet Suidas qvoqve, voce Δρεπανηφόρα, de Darii curribus: Τῶν τροχῶν ἦσαν εἰς τὸν κύκλον περικεχαλκευμένα δρέπανα. Qvippe cujus nobis contra veteres, ipsamqve rei naturam, auctoritas neq; debet, neq; potest esse magna), sed in axibus, & qvidem duas: Unam prominentem in rectum, aliam demissam in terram. Hanc reponit Diodorus πρὸς ταῖς καλαμαξὶ τῶν ἀξόνων, qvod significat eum locum, ubi recumbere vel qviescere solet capsa vehiculi, ut opinor. Alteram reponit ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἀξόνων, in extremis axis capitibus. Hanc propria voce δρέπανον appellat, illam ξύστρον. Ξύστρον alias, qvod Curtio est *gladius*, cujus descriptio etiam in eo non convenit, qvod fingat *spicula inter radios rotarum*, qvalia nemo alias commemorat. Deniqve, si omnia examines, Diodori figura pæne eadem cum ista Cyri, unde fidem meretur majorem, Curtii recedit longius, sive illa hodie

die imperfecte ad nos venerit, sive ipse Græcorum descriptiones non satis fuerit assecutus. Certe sicut nunc se habet, imperfecta est; quid enim volunt ista, *aliæ in terram demissæ?* ubi demissæ? quo collocatæ loco? an in summis orbibus rotarum? quomodo autem ibi demissæ in terram, ut tamen rota potuerit circumagi? Sed nec cætera tam evidentia, ut possint satis intelligi: Ecquid enim? *spicula eminebant inter radios?* Ubi fuere defixa, quæ sic eminebant? an in orbibus, num in modiolis? nam in radiis non potuere, quia eminebant *inter radios*. Ac ut appareat evidentius, inutilem esse rotam Curtij, delineabo eam, sicut ex descriptione hodierna potest intelligi, eiq; opponam Diodori, ut liqueat, quam illa sit præstantior, & negotio, cui debet inservire, accommodatior.




Hic Curtij est, cui A littera, Diodori, cui lit. B. adscripta est. In Curtij spicula omnia inter radios sunt otiosa, sed nec falces à modiolo demissæ quidquam prosunt. Quanquam, ut jam ante dixi, liquido non constat ubi vel spicula infixa, vel unde falces demissæ fuerint. At in rota Diodori omnia infesta, quod per se intelligere quivis potest. Et hæc quidem de falcatis curribus Darij. In quibus tamen & hoc porro annotandum, quod *propugnatores* Curtius nominet. *Circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt,* ait. Propugnatores autem πρόμαχοι, quod Xenophon jam à Cyro demonstrat fuisse abolitos. An à Dario revocati? Non opinor;

nor; neque locus totus docet, pugnam ullam ab ipsis commissam cum aliis. Postremo confundit cum aurigis. Ita enim sequitur, post superiora: *Ingens ruina equorum aurigarumq; aciem compleverat.* Hic *aurigæ*, qui paulo ante dicti *propugnatores*, apud Curtium, ut vix esse possit dubium, quin obscure multa & ambigue posuerit. Persas sane post ætatem Cyri alios propugnatores, præter aurigas, in falcatis suis habuisse curribus, verisimile haud est. Verum veniamus ad Antiochi currus: eos sic describit Livius lib. XXXVII. cap. 41. *Armatæ in hunc maxime modum erant: cuspides circa temonem ab jugo decem cubita extantes velut cornua habebant, quibus quicquid obviam daretur, transfigerent: & in extremis jugis binæ circa eminebant falces, altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quicquid ab latere objiceretur, abscinderet, hæc, ut prolapsos subeuntesq; contingeret. Item ab axibus rotarum utrinq; binæ eodem modo diversæ deligabantur falces.* An hi currus sunt, quos Hesychius usurpasse primum ait Macedonas? Multum sane differunt à Persicis. Habent enim cuspides non à temone, ut vult Curtius, sed jugo extantes, quomodo tamen Diodorus etiam Persicos describit. Sunt deinde illi cuspides decem cubita extantes. Ubi est ambiguum, an τὸ *decem* ad *cubita*, num ad *cuspides* referri debent. Mihi posterius videtur, cum prius sit enorme, nec negotio conveniat. Quid autem est *extantes cubita*? Ego dubitare nequeo, quin *cubito* legi oporteat. Nam plutalis numerus rem facit incertam, & in singulari clara omnia. Sequuntur falces etiam in extremitatibus seu capitibus jugi, eæq; tuæ, una recte prominens, altera demissa ad terram, cum in alijs sint nuda spicula vel gladij. Postrema falces aliæ in axibus eodem modo se habentes. Ita species eorum fuerit hujusmodi in rota & jugo.



Rursum alia est species illius currus falcati, quem vocarunt *currodrebanum*. Nam primum nulla in eo sella, ubi auriga consistat, verum equo insidet. Deinde totum illud spacium, ubi sella esse debebat, cultris est munitum. Vetus auctor: *Posterior supra currum pars cultris in ordinem extantibus communitur*. Falces quoq; nullæ demissæ in terram, neq; à jugo, neque ab axe. Deniq; quæ à capitibus axis prominent, eæ mobiles, ut adducto fune erigi, ac sic currus agi possit absq; damno, remisso vero explicari. *Falces acutissimæ*, inquit auctor, *axibus ejusdem currus aptantur, in lateribus suis ansulas habentes, quibus innexi funes pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repressi autem erigunt falces*. Hujus generis inventio est nova, & excogitata contra Parthos. Idem Auctor de Rebus Bellicis. *Hujusmodi pugnacis vehiculi genus reperit Parthicæ pugnæ necessitas*. Sunt in eodem scriptore alia quoq; genera nonnihil à prædicto diversa, nec convenientia tamen cum superioribus, inventis à Cyro, aut Antiocho usurpatis, adeo non potest mirum videri, si plures diversiq; horum curruum dicãtur auctores. Habuerunt autem illi veteres adjunctos equos fere quatuor: inde passim dictæ *quadrigæ falcatæ*. Curtius lib. IV. *Ingens hostium terror, ducentæ falcatæ quadrigæ*. Livius lib. XXXVII. *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ*. Plutarchus in Lucullo, ἄνευ τῶν δρεπανηφόρων τεθρίππων. Atq; sic & apud alios reperias. Memorantur tamen aliquando

equi

equi tantum duo, imo & unicus. Auctor sæpe laudatus, de Reb. Bellicis: *Hoc vehiculum singulis bene munitis invecti equis duo viri, vestitu & armis diligenter muniti, citato cursu in pugnam rapiunt.* Et non ita multo post in alio genere: *Hic non ut ibidem duos equos duorum etiam hominum, sed unius tantum sagacitas regit.* In utroq; genere sunt equi duo. At in eo unus tantum, quod iccirco *currodrepanus singularis* nominatum est. *In hoc curriculo*, ait Auctor, *quod singularis equi tractu discurrit, quodq; unius hominis arte regitur &c.* Fuit autem illa equorum adjunctio diversa quoq;, nam vel ad unum jungebantur temonem, vel ad plures. Auctor Arrianus noster in Tacticis c. 3. Τὰ ἅρματα δρεπανηφόρα ἦν ἢ πεφραγμένων τῶν ἵππων, ἢ ἀφράκτων, ἢ ἁπλοῦ τε ῥυμοῦ, ἢ διπλοῦ, ἢ πολύρυμα. *Currus falcati erant vel equis cataphractariis, vel nudis, qui iterum vel ad temonem unum juncti, vel ad duos, vel etiam ad plures.* Quanquam quæ de pluribus temonibus commemorat, pertinere videantur ad vetustiora tempora, quibus nondum æqua fronte omnes collocare equos fuit notũ aut receptum. Et fortassis hausit ex Pædia Cyri à Xenophonte scripta, ubi fere similia. *Exhinc*, ait, *videns Abradatas Cyrum studiosum esse falcatorum currum & cataphractorum cum equorum, tum equitum, enitebatur ei perficere ad centum currus ex equitatu suo illius similes curribus, & ipse ut eorum ductor futurus se parabat in curru. Conjugavit autem currum suum quatuor temonibus, & equis octo.* Græca postrema habent: συνεζεύξατο δὲ τὸ ἑαυτοῦ ἅρμα τετράρυμόν τε καὶ ἐξ ἵππων ὀκτώ, unde sine dubio illud suum πολύρυμα Arrianus accepit. At sequentibus temporibus mihi non est dubium, quin ut in Troicis & Cyrenensibus, ita & in vehiculis falcatis juncti fuerint æqua fronte. Unde neq; plures equos habuisse, quam quatuor, videntur, cum vetustiores illi cũ temonibus pluribus habuerint aliqvãdo etiam octo ut apparet ex superioribus. Licet observare illã quoq; differentiã, quod posterioribus tẽporibus his ipsis equis consveverint insidere, cum olim starẽt in curribus, & selliș ad hoc fabrefactis, qui equos regebant. Et hæc quidem curruum falcatorum est varietas. Nam in aliis videntur convenisse, rotis præcipue, quas nõ habuere, nisi duas, cujuscunq; forent generis. Cyrus certe generi Trojano

Cyrenaicove, ſicut falces, ita rotas plures addidiſſe non commemoratur. Sed nec apud veterem Auctorem Rerum Bellicarum videas depictas aliter, qvam cum rotis duabus, ut ignorem, cur Stevechius formare auſus ſit cum qvatuor. Id peculiare fuit, qvod haberent axes longiores, rotas qvoqve firmiores, qvam bigæ aut qvadrigæ communes, auctore Cyro. Xenophon: Πολεμικὰ ἅρματα ἐσκεύασεν ἁρματοτροχοῖς τε ἰσχυροῖς, ὡς μὴ ῥᾳδίως συντρίβηται, ἄξοσί τε μακροῖς. Ἧττον γὰρ ἀναστρέφεται τὰ πλάτεα. *Ad bellandum aptos paravit currus rotis validis, quo non facilè contererentur, & longis axibus, minus enim evertuntur lata omnia.* Qvibus verbis ſimul diſcas, cur longos axes eſſe voluerit, videlicet, ne currus poſſent facilè everti. Ac ſic videas in picturis veteris Auctoris ſæpius nominati. Rotæ breves ſunt, & craſſæ, axis longiſſimus, ſicut qvidem exprimit editio Baſileenſis Frobenii Anno MDLII. excuſa. Nam in cæteris ſe iſta cuncta minus rectè habent. Uſus curruum falcatorum vel ex dictis liqvet. Scilicet ad prælia uſurparunt, & præſertim perturbandos rumpendosq; ordines hoſtiles. Plutarchus in Artaxerxe: Ἔταξε τῶν δρεπανηφόρων τὰ ῥωμαλεώτατα, πρὸ τῆς ἑαυτοῦ φάλαγγος, ὡς πρὶν ἐν χερσὶν γενέσθαι, διακόψοντα τὰς τάξεις, βίᾳ τῆς εἰσελάσεως. *Collocavit ex curribus falcatis firmiſſimos ante ſuam phalangem, ut, priusquam veniretur ad manus, ipſo impetu diſſolverent ordines.* Curtius lib. IV. *Darius ante ſe falcatos currus agebat, quos, ſigno dato, univerſos in hoſtem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum ſatis proviſo impetu obtererent. Nec ſenſim Macedones cedebant, ſed effuſa fuga turbaverant ordines.* Neq; mirum, ordines turbaſſe, cum qvos offendebant, miſerabili ratione mutilarent. Diodorus lib. XVII. *Tantus aciei vigor, tanta vis erat in ſpiculis, ad exitium fabricatis, ut multis brachia una cum clypeis amputarentur: Nec paucis cervice præciſa integro adhuc viſu & retento vultus habitu capita ad terram volverentur. Quibusdam lethali ictu latera diſſecarentur, unde mors repentè ſubſecuta.* Suidas voce δρεπανηφόρα τέθριππα: *Falces aliis pedes, aliis manus amputabant, aliquos cum armis comprehenſos trahebant longo ſpacio, atrociterque necabant.* Ut autem vim exercere ſuam poſſent, duabus rebus opus habebant, campo æqvabili, & ſolo firmo. De poſteriori teſtis Curtius lib. VIII. cap.

Vix

*Vix ullus usus hujus auxilii eo die fuit, namque imber violentius, quam alias fusus, campos lubricos & inequitabiles fecerat, gravesque & propemodum immobiles currus illuvie ac voraginibus hærebant.* De priori Vegetius lib. III. cap. 24. qvando ait: *Difficilè currus falcatus planum semper invenit campum.* Nempe talem exigit, ubi asper est, & inæqvalis, non potest progredi. Tacitus in Agr. de simili genere loqvens, cap. 36. *Densis hostium agminibus & inæqualibus locis hærebant.* Sed de curribus falcatis satis.

## Cap. XVI.

## De Curru Magistratuum & Sella curuli.

*Curules Magistratus qui, & unde dicti. Plinius expenditur. Zamoscii sententia refutatur. Gellius liberatur à glossa. Currus Magistratuum veteres, quales. An sella curulis à Curibus Sabinis. Lipsius rejicitur. Olim nulla littera geminata. Vossius commendatur. An Vetulonii auctores dictæ sellæ. Chimentellius rejicitur.* Διφρῳ ἁρμάτι. *Gelenii & Sylburgii versiones Dionysii Halicarnassei notantur. Scholiastes Cruquii refutatur. Virga Imperatoris. Curis. Casauboni lapsus. Martialis exponitur. Chimentellius denuò notatur. Cassiodorus exponitur. Gradus ad tribunal. Papias & Vossius rejecti. Sella curuli & curru utendi jus quibus concessum. Sella propria Regum. Livius explicatur. Brissonii versio Plutarchi rejicitur.* Εἰσελαύνειν. *Brissonius iterum notatur, & Curtius exponitur.*

VEnio ad currus Magistratuum. Curru enim vectos apud veteres Romanos esse, indeq; nomen Magistratuum curulium accepisse Festo credimus, qvi sic habet, voce *Curules: Curules Magistratus appellati sunt, quia curru vehebantur.* Firmat nempe idem Gabius Bassus apud Gellium lib. III. cap. 18. qvi Gellius sic ex eo: *Senatores dicit* (Bassus) *in veterum ætate, qui curulem Magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi.* Sed videtur infirmare hanc sententiam, qvod habet Plinius lib. VII. c. 43. de Metello: *Tribuit ei Populus Romanus, quod nunquam ulli alii à condito ævo, ut, quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam.* Si hoc Populus Romanus uni tribuit Metello, qvi Bassus potest dicere fuisse solitum in veterum ætate? Nec de fide Plinii est dubium, qvando

do vetus extat monumentum, à Grutero p. 377. inter alias inscriptiones positum, qvo id ipsum confirmatur. Verba inter cætera sunt ista:

TRIBUIT EI P.R.UT, QVOTIES IN SENATUM IRET, CURRU VEHERETUR AD CURIAM. QVOD A CONDITO ÆVO NULLI ALII CONTIGIT.

Atq; hoc est, qvod Zamoscium qvoq; fecit Basso dissidentem lib. I. de Senatu Romano. *Mihi*, ait, *non satisfacit Bassus. An enim credemus Q. Metellum, inter cætera summa, cum patrem suum in funere laudaret, relaturum fuisse, quod mediocres homines, mediocribus honoribus usi, omnes sunt consecuti?* Attamen vix est verisimile, fuisse Bassum tam oblitum consvetudinis senatoriæ morumqve veterum, ut Zamoscius arbitratur. Qvid, si culpa sit Librarii vel Glossatoris, qvæ putatur Bassi. Scilicet videtur mihi Bassus scripsisse: *Curru solitos honoris gratia vehi.* Qvod cum sciolus non satis intelligeret, adposuit, *in curiam*, qvia nempe sermonem esse de Senatoribus observavit. Certè, si abjiciamus duo ista verba, convenit primum Festo, qvi & ipse nil de curia, tantum curru vectos ait. Deinde Plinio non adversatur. Aliud enim est, habere jus utendi currus, & rursum aliud, habere jus eundi curru in Senatum. Concesso igitur, qvod hoc posterius soli sit tributum Metello, non obstabit tamen, qvo minus vehi curru alias potuerint Magistratus, indeqve dici curules. Adde, qvod vetustioribus temporibus freqventer versati fuerint in agris, ut nil mirum sit, si concessos currus Magistratus habuerint. Isidorus lib. XX. cap. 11. *Apud veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru provehebantur.* Testatur manifestè, propter itinera longiora, qvæ sæpe Magistratibus facienda, curru vehi solitos. Sed & seqventibus temporibus hoc non concessum eis modò, verum qvoq; imperatum. Ita patet vel ex lege unica Codicis *de Honoratorum vehiculis*, & ex insignibus Præfecti Urbis in Notitia Imperii expressis. Nominatim deniq; de Senatoribus testatur Æl. Lampridius in Alexandro Severo cap. 43. *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit.* Verum de carrucis rhedisq; suo loco. Illud saltem demonstrare

ſtrare hic voluimus, non abſurdum poſſe videri, ſi credamus Feſto Baſſoque, habuiſſe olim antiquiſſimis etiam temporibus Magiſtratus Romanos currus ſuos, quibus vehebantur. Sed qui currus illi, qualesve fuere? Hoc vero facile non dixerim, cum non viderim vel obſervaverim deſcriptos. Loquor de vetuſtis illis, unde nomen accepere Magiſtratus curules, non carpentis, rhedis, carrucis, quibus poſtea ſunt uſi; nam de his alio agendum loco. Illud tamen primo facile crediderim, cum vocentur *currus*, rotas habuiſſe tantum duas. Ita enim obſervavimus in curribus etiam cæteris. Deinde ſuſpicor id, ubi alias eſt conſidendi locus, non fuiſſe, inſtar capſę quadratum, vel hemicicli, aut turris rotundum, ſicut cæteris in curribus, ſed planum, atq; inſtar tribunalis in altum nonnihil erectum. Cauſſa, quia non in ipſo ſedebant, ſed in ſella peculiari, currui ſuperne impoſita. Sic expreſſe G. Baſſus. *Senatores qui curulem magiſtratum geſſiſſent, dicit curru ſolitos honoris gratia vehi, in quo curru ſella eſſet, ſupra quam conſiderent, quæ ob eam cauſam curulis apellaretur.* Vides plane, ſediſſe non in curru, verum ſella, currui impoſita, eſſeq; hinc illam ipſam, quæ alias curulis dicebatur. Unde etiam cognoſcimus, non fuiſſe fixam in curru, verum potuiſſe demi. Solebant enim ſella iſta magiſtratus uti, cum dicendum jus eſſet, vel quid aliud honoratioris negocij conficiendum, uti poſtea monſtrabimus. Iſidorus quidem paulo aliter de iſta ſella, loco ſupra indicato: *Sellæ curules erant, in quibus magiſtratus ſedentes jura reddebant. Dictæ autem curules, quia apud veteres Prætores & Conſules propter itineris longinquitatem curru provehebantur. Sellæ autem, quæ poſt eos vehebantur, quibus ſedentes jura dicere ſolebant, à curru curules ſellæ ſunt nominatæ.* Hic non inſediſſe ait eis ſellis, verum habuiſſe poſt ſe vectos. At quo pacto vectæ poſt eos? Et ſi vectæ poſt, cur dictæ curules? Ergo Iſidorum ſuſpicor nugari, certe contra Baſſum, longe vetuſtiorem doctioremq; fidem ipſi nullam tribuo. At poſtremum currus illos cenſeo fuiſſe, qualis Auguſtæus, qui hoc nummo eſt expreſſus. apud Goltzium pag. 77.




Solent *thensam* explicare. Verum aliud est thensa, sicut dicam alibi, & *currus* nominatim appellatur Svetonio in Claud. c. 11. *In Circensi pompa currum elephantorum, Augustæo similem, decernendum curavit.* Liquet autem, si ejusmodi fuerunt currus, de quibus sermo nobis, pertinere ad id genus, quod duabus tantum incedebat rotis, ac sic vere currus dici debeat. Sed & de sella superne posita hinc constare potest. Id majorem habet dubitationem, an à curru hoc curules magistratus dicti fuerint, num à curuli sella; item an curulis sella nomen suum acceperit ab hoc curru, & non aliunde potius. Sunt enim, qui sellam ita putant dictam non à curru, sed à Curibus, quod fuit oppidum Sabinorum. Adferuntq; hujus sententiæ rationem duplicem, quia derivationi priori repugnat & scriptura, & quantitas syllabæ initialis. Lipsius in libello de Magistratibus cap. de Ædilibus. *Curulis sella à curru dicta, ut vulgi opinio est. Cui tamen derivationi scriptura & dimensio repugnat; veriusq; à Curibus (opidum olim Sabinorum erat) dicta.* Verum quod scripturam attinet, *curule* una simpliciq; littera & in aliis occurrit, quæ aperte veniunt à *curru.* Ut in *curulibus quadrigalibus* Festi, quod & Vossio notatum. Amplius, in *equis curulibus* Codicis Theodosiani lib. XV. t. 10. Ita enim edidit Cujacius, ita Jacobus Gothofredus. Neq; aliter in ipsis legibus habetur. ut l. 3. ejusdem Codicis tit. de Spectaculis: *Nemo judicum ex quacunq; civitate in aliud oppidum, vel ex provinciæ solo equos curules, aurigas cives temptet traducere.* In *curulibus stabulis,*

quo-

quorum meminit Symmachus lib. II. ep. 77. Lectius sic publicavit: *Curulibus stabulis urbis æternæ etiam quina mancipia largiamur.* Neq; potest esse mirum, quando usitatum fuit priscis nullas geminare litteras. Festus in *Solitaurilia. Quod sit à sollo, & tauris, earum hostiarum ductum nomen, antiquæ consvetudinis per unum L. enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. Quam consvetudinem Ennius mutasse fertur, utpote Græcus Græco more usus,* Marius Victorinus lib. I. *Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius, Lucullus, Memmius.* Si non geminarunt ante Ennij ætatem, ut nos Festus docet, quis non videt, à *curu* fieri *currule* potuisse? Quod vero spectat quantitatem primæ syllabæ, mutari ea solet etiam alias per litteræ abjectionem, ut exemplo *ligulæ* à *lingua, diserti* à *dissero, mamillæ* à *mamma* pridem Vossius monstravit. Sed tamen verius à Curibus derivatur, ait Lipsius. Ad quod recte Vossius: *Obstat, quod Florus & alij dicant, Tarquinium Priscum, ut alia imperij decora insigniaq;, ita & sellas curules ab Hetruscis sumsisse, non à Curibus, Sabinorum oppido.* Ut hoc eludat Chimentellius in erudito commentario de honore bisellij, auctores sellæ curulis facit Vetulonios, id est Viterbienses, qui Hetrusci, & auctorem sententiæ hujus laudat Silium, apud quem sic legitur lib. VIII.

*Moconiæq; decus quondam Vetuloniæ gentis.*
*Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,*
*Et junxit totidem tacito terrore secures.*
*Hæc altas eboris decoravit honore curules.*

Sed hoc nihil obstat nostræ veterumve sententiæ, nec Lipsium quidquam juvat. Sive numq; in universum dicas ab Hetruscis sumptas, sive nominatim à Viterbiensibus seu Vetuloniis, populo Hetruriæ, à Curibus Sabinis derivari negabis. Danda vero est ratio, quamobrem curules dicantur. Quæ si non à Curibus desumi potest, supererit, ut cum Festo atq; Isidoro venire à curru asseramus. Cum præterea & Servij hæc sit sententia, licet aliam afferat rationem, quę est manifeste falsa. Verba ejus sunt XI. Æn. *Sciendum, sellam curulem à curru dictam, quod ea tantum utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent.* Curulis igitur sella, quoniam in curru, quo


Romani magistratus vehebantur, dignitatis & honoris gratia. Inde Græci quoq; δίφρον ἀρμάτιον nominavere, si est vera Gelenij & Sylburgij interpretatio Dionysij Halicarnassensis, qui sic habet lib. V. de triumpho Menenij. Μενίνιον μὲν τῷ μείζονι (θριάμβῳ) καὶ τιμιωτέρῳ, παρεμβεβηκὼς ἐφ' ἁρματίου δίφρου βασιλικοῦ. Hoc enim ita vertunt: *Menenio majori* (decretus triumphus) *& honoratior, ut regia sella curuli in urbem inveheretur.* Atq; idem & in Indice repetierunt, deq; sella curuli hic sermonem esse, demonstrarunt. At vero sellæ curuli locum esse in triumpho, nemo alius ostendit. Et de curru triumphali aliud demonstravimus in superioribus, videlicet non sedisse in eo, verum stetisse. Deniq; opponitur hic δίφρον ἁρμάτιον nudis simplicibusq; pedibus, quibus incedebant, qui minori urbem triumpho repetebant. Ergo δίφρος hic non sellam denotat, sed currum, sicut sæpe fieri apud Homerum videmus, diciturq; ob hoc ipsum ἁρμάτιος ne quis putet de communi sedentariaq; sella esse sermonem. Unde quoq; mox appellat ἅρμα, quod ante δίφρον ἁρμάτιον vocaverat. Loquitur de differētia triumphi utriusq; : διαφέρει δὲ θάλερος, ὅτι πεζὸς εἰσέρχεται, ἀλλ' ἐπὶ ἅρματος, ὥσπερ ἐκεῖνος. Etsi autem falsa sit τοῦ δίφρου ἁρματίου explicatio manet tamen, quod de sella curuli dictum est in præcedentibus. Nam quod Scholiastes Cruquij existimat à *curia* vocatā, rationem habet nullam. Verba ejus sunt ad lib. I. ep. 6. *Curule ebur sellam curulem vocat, in qua magistratus residens jura dabat, dicta vel à curia, vel à curru, unde etiam virga, quam imperator in curiam ferebat, curulis vocabatur.* Quando putat posse à curia accepisse nomen sine dubio est falsum, qvum analogia repugnet, per quam necesse foret, ut *curialis*, non *curulis* diceretur. Nam à *curia* non *curule* oritur, sed *curiale*. Sed tamen hinc ait dicta quoq; virga, *quam imperator ferebat in curiam*. Primum scire volo, quæ hæc virga fuerit. Nam curulis virgæ, quantum scio, alius nemo facit mentionem. Deinde virgam peculiarem gestitasse impetatorem, & quidem cum in curiam ingrederetur, istud quoq; alibi non lectum est. Forsitan intelligit scipionem eburneum, quem tenebant manu, quando jus dicebant in curia Consules, ut ait vetus Scholiastes Juvenalis Sat. X. Is enim & Imperatoribus tribuitur in nummis, ut Domitiano, Antonino

nino, atq; aliis, tanquam consulatus perpetui insigne. Verum magis credi potest agere de *curi*, hoc est hasta, qua ornati erant reges veteres, ad denotandam potestatem. Servius ad Virg. I. Æn. *Romulus Quirinus dictus, quod hasta utebatur, quæ Sabinorum lingua curis dicitur. Hasta enim, id est curis, telum est, cum longiore ferro, unde & securis, quasi semicuris.* Jam vero ne à *curi* quidem derivari *curule* potest, sed vel *curinum*, quomodo Romulus ipse *Curinus*, vel *Quirinus* dictus est, vel *curite*, quomodo Juno vocata est *Curitis* ex hac voce, Festo auctore. Neutrum autem horum facit ad *curule*, ut persistamus merito in sententia posteriore, qua & Scholiastes ipse putabat descendere à curru. Fuit porro sella illa, quod jam alij prolixe docuerunt, alta, tecta ebore, cælata sculptaque, denique incurvis pedibus. Postremum testantur Glossæ, quando ita habent: *Curulis sella*, ἀγκυλόπους, θρόνος βασιλικός. Item Plutarchus in Mario, ubi de ædilitate curuli ait: ἡ μὲν ἀπὸ τῶν δίφρων, τῶν ἀγκυλοπόδων, ἐφ' ὧν καθεζόμενοι χρηματίζουσιν, ἔχουσα τὄνομα τῆς ἀρχῆς. Quod non male ita reddunt: *Altera à sellis curulibus, quæ incurvis erant pedibus, ex quibus munia magistratus explicabant, nomen traxit.* Quanquam τὸ *curulibus* in Græco non sit, sed ex cæteris debeat intelligi. Casaubonus alias ad Svetonij Augustum c. 43. describit in hunc modum. *Sella curulis quatuor lignis pluribusve constabat incurvis in modum fere literæ S productæ, & minus curvatæ ab utraq; parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri claudiq; posset. In aperta sedebatur super loris & linteis. Martialis*

*Recensq; sella linteisq; lorisq;.*

Ista Casaubonus. Verum locus Martialis ad curulem sellam nihil facit, de vulgari namq; loquitur, & gestatoria. Itaq; de loris linteisque necdum penitus assentior. Super corio aut pelle potius sederunt. Ita videntur ostendere nummi veteres apud Ursinum aliosq;, in quibus sella ista est proposita. E quibus simul liquet, quæ lignorum quatuor Casaubono memoratorum fuerit ratio. Conjungebantur duo in medio, ut referrent speciem litteræ X, & iterum alia duo. Ita sella quatuor sustinebatur pedibus, in modum

dum pedis leonini, vel alterius animalis deformatis. In quo sella curulis differebat à sella communi. Nam in hac pedes erant recti, in illa decussatim juncti, ut prædixi. Testanturq; nummi veteres, Ædilium præsertim curulium & plebejorum. Ecce unum ex utroque genere.







Prior nummus est P. Fourij, quem fuisse Ædilem Curulem docet manifeste facies aversa, in qua scriptum ÆD. CUR. juxta caput cum corona murali, exhibeturq; ab Ursino in familia Fouria. Posterior est M. Fannii, quem fuisse Ædilem plebejum itidem monstrat inscriptio partis aversæ, in qua exhibetur AED. PL. habet & hunc Ursinus in Fannia familia, sive gente. Erat quoque plana curulis sella, nec habebat surgens à tergo tabulatum, in quod reclinari posset, Græcis ἀνάκλιθρον vocatum, uti nummi docent, in quo differebat à soliis, hemicyclis, & id genus. Quod autem dicunt, nuncupatam esse altam, *non quod sella ipsa altissima, sed quod adjuncti plures gradus*, id vix credo recte dici. Habet equidem Cassiodorus ita lib. VI. in formula Consulatus: *Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende.* Verum non necesse est, ut gradus illos hic intelligamus veros. Nusquam enim tales in sellis curulibus leguntur, nusquam cernuntur in earum imaginibus, quotquot exhibent vel nummi veteres, vel monumenta. Potius videntur gradus hic intelligendi munerum honorumque inferiorum, per quos ascenditur ad consulatum. Unde quoque jam *enisum* gra-

gradus illos Cassiodorus ait, consulatus candidatum. Aut si veri gradus hic signantur, mallem accipere de gradibus tribunalis, in quo curulis sella collocari solebat. Fuit namq; satis altum tribunal. Inde *celsum* Juvenio

*Interea celsum dominus stans ante tribunal.*

Claudiano est *sublime* hac de caussa lib. I. in Eutrop.

*Increpat Augustum, scandat sublime tribunal.*

Porro si sublime celsumque, per gradus conscendisse illud videntur: quomodo in descriptione urbis Constantinopolitanæ Regione secunda legimus *tribunal purpureis gradibus extructum*. Sic per gradus veniisse quoq; ad curulem sellam poterat, quæ in tribunali stabat. Nec enim tribunal, quod nonnulli somniarunt, ipsa fuit sedes, verum ex tabulis erectum quadrata forma suggestum, longum latumque, in summo planum, in quo sella curulis magistratuum una cum aliis non paucis ad ministerium paratis stare poterant. Ita nobis exhibent nummi veteres, ut Augusti apud Goltzium pag. 57. Vitellij apud Arschotanum p. 23. atq; alij, ut de scriptoribus nunc sileam. Adeo non debuit habere fidem Papiæ vir magnus, & sic scribere in Etymologico: *Tribunal proprie est sedes tribuni, ut Papias exponit, hoc est solium, sive locus sublimior, ubi jus dicit*. Multa dicit vero minime convenientia, id ante alia, quod tribunal facit solium aut sedem, cum in eo nunquam sederint, sed in sella posita in tribunali. Verum hac de re agemus alibi. Hoc amittere non debui, ut constaret, quare gradus credi possint sellæ curuli tributi. Quanquam mihi verior videatur prior explicatio, nec de gradibus sic proprie vocatis Cassiodorum existimem locutum. Quod ex eo etiam colligitur, quia sellæ huic assignat magnitudinem eximiam, quæ si speciem respicias, non fuit major, quam sellarum aliarum. Ut proinde magnitudo non structuræ operisve, sed dignationis debeat intelligi. Cæterum cum curulis sella fuerit, quæ in curru stetit magistratuum, necesse arbitror, ut jus usurpandi eum currum habuerint, quicunq; sella curuli fuerunt honorati. Erant porro hi, ut recenset Lipsius, Dictator, Consul, Censor, Prætor, Ædilis curulis, & præter istos Magister equitũ, Flamines,

Mune-

Munerum editores, alijque, ut confirmat Chimentellius. Quos proinde vero simile, habuisse jus vehiculi prædicti. Ante cunctos vero sella curuli usus Rex Romanus. Unde Macrobius lib. I. Satur. c. 6. *Tullus Hostilius Hosti filius rex Romanorum tertium debellatis Hetruscis sellam curulem lictoresq;, & togam pictam atq; prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus ut Romæ haberentur, instituit.* Neq; alia, opinor, causa, quare *sella regia* est dicta. Livius lib. I. c. 20. de Flamine agens: *Curuli sella regia adornavit.* Nempe sella hæc insigne regis. Virgilius lib. XI. Æneid.

*Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.*

Servius hoc loco: *Bene, nostri: Romanorum enim Imperatorum insigne fuit sella curulis & trabea.* Quasi pertinuerit ad solos Imperatores. Poëta ipse de regibus testatur, nominatimq; de Latinis. Neq; aliter res sese habuit cum regibus populorum reliquorum. Imo proprium hoc decus Regum apud veteres fuisse asserit Donatus isto loco. *Idcirco*, ait, *addidit, Regni insignia nostri, ut appareat, sellam & trabeam solis esse regibus attributam.* Recte igitur curulis sella Livio est regia, non quod Reges Romani tum habuerint, postea enim demum à Tarquinio cœpit usurpari, sed quod Reges passim vicini ea fuerint ornati. Atq; ita habes & in Glossis: *Curulis sella,* θρόνῳ βασιλικὸς. Ita reperies & in aliis Scriptoribus. Neque mihi dubium, cum Rex Romanus sellam curulem habuerit, quin frequenter usus sit & curru ipso. Cum præsertim curru vehi fuerit inter ea, quibus Reges dignitatem suam maxime ostentabant. Et jam ante Mosis tempora Ægyptiorum Reges usurparunt. Inde illud de Pharaone Genes. c. 41. *Fecitq; eum* (Josephum) *adscendere super currum suum secundum.* Cur *secundum?* quia primo ipse vehebatur. Sed nec Hebræorum regibus videtur fuisse ignotus. Inde legimus illud Eliæ Prophetæ ad puerum suum III. Reg. cap. 18. *Ascende, & dic Achab; junge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia.* Apud reges Persarum nihil fuit usitatius. B. Augustinus Quæst. ex Utroq. Test. cap. 115. *Persarum reges vehiculis feruntur. Nam veteres reges Persarum nec videbantur à populis.* Quod *vehiculum* appellat, Xenophonti ἅρμα est, lib. VIII. Cyropæd. ubi describit

scribit Cyrum ad sacrificium euntem: Ἐπὶ δὲ τούτοις, ἤδη αὐτὸς ἐκ τῶν πυλῶν προφαίνετο ὁ Κύρος ἐφ' ἅρματος, ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν. *Post hæc vero jam ipse Cyrus prodibat in conspectum ex portis super currum, rectam tiaram habens.* Vehitur hic Cyrus super ἅρμα more Regum apud Persas. Ideo cum Demaratum Lacedæmonium jussisset petere, quod vellet Xerxes, petiit, ut liceret sibi curru ingredi Sardes. Plutarchus in Themistocle: ἠτήσατο τὼ κίθαριν, ὥσπερ οἱ βασιλεῖς, ἐπαράμενος εἰσελάσαι διὰ Σάρδεων. Male intelligens Brissonius scribit postulasse, *ut sibi equo insidenti Sardes cum recta tiara ingredi liceret.* εἰσελαύνειν enim hic, non *equo insidere*, verum *curru incedere.* Seneca lib. I. de Benef. c. 31. eandem rem commemorans: *Petiit ille, ut Sardis, maximam Asiæ civitatem, curru vectus intraret, rectam capite tiaram gestans: id solis datum regibus.* Quem locum cum adducat ipse Brissonius, miror, hoc non observasse. Nec enim Suidas aliter ex Philarcho, quem primum laudat Brissonius. Verba ejus voce Τιάρα. ἠτήσατο ἐν ὀρθῇ τῇ τιάρᾳ εἰς Σάρδεις εἰσελάσαι. Εἰσελάσαι hihil aliud hoc loco, quam *vehi curru*, sive ἅρματι *incedere.* Ἅρμα enim illud Regum Persicarum semper *currus* est Latinis. Curtius lib. V. c. 10. *Darius signo ad eundum dato, currum pristino more conscendit.* Seneca III. de Ira. c. 221. de vehiculo Cyri agens: *Unus ex his equus, qui trahere regium currum albi solebant*, &c. Porro quia curru vehi regibus Persarum fuit usitatum, ideo & Alexander victo Dario captaq; Perside Babylonem curru intrat. Curtius lib. V. c. 1. *Ipse* Alexander) *cum curru urbem ac deinde regiam intravit.* More triumphantis factum notant hoc loco; sed revera factum more regum apud Persas. Voluit enim se victorem Darij, ac regem Persidis Babylonisque Alexander demonstrare. Consvetudo ista regum, curribus vehendi, observata quoq; Phrygibus & Trojanis fuit. Priamus profecto apud Homerum, cum deberet interesse fœderi pangendo,

-- -- Ἐκέλευσε δ' ἑταίρους
Ἵππους ζευγνύμεναι -- --
Αὐτὰρ ὁ βῆ δ' ἄρ' ἔπειτα; καλὰ δ' ἰώια τεῦχεν ὀπίσσω.

*Iussit socios equos jungere, & ascendit Priamus, habenasq; attraxit re-*

*trorsum*, Iliad. r. Neq; aliter fecere Latini. Hinc Virgilius de rege Latino, interfuturo pactis, quibus definiri certamen singulare inter Æneam Turnumq; debebat, lib. XII. Æn.

*— -- Ingenti mole Latinus*
*Quadrijugo vehitur curru — --*

Ut proinde mirum esse nequeat, si hoc ipsum asseramus factitatum à regibus Etruscis, & sic ab iisdem derivatum ad Romanos, primum Reges, postea & magistratus reliquos. Sed de hisce regum magistratuumq; curribus jam alibi in priore libro egimus.

## Cap. XVII.

## De Carpento.

*Carpentum unde. Vossius rejicitur, bis. Isidorus exponitur.* κάρπεντον, ἁπάνη. *Carpentum non est pilentum. Carpentum pro vehe. Vehes quid. Nonnunquam carpentum significat plaustrum, sarracam, rhedam. Carpenta rhedarum. Codex Theodosianus exponitur. Significat & bennam, vel essedum. Casaubonus contra Iac. Gothofredum defenditur.* ἐγκύκλιος ἁμάξα. *Lipsius rejicitur. Dio explicatur.* ἅρμα ὅλον. *Harmamaxæ.* ἁρμάμαξαι. *Valla, Xylander, & alij notati. Harmamaxa est* ἁπλοῦν. σκηνή. *Vehiculum contectum pellibus. Clausum vehiculum.* Καμάραι. Κάναθρα. Καμαρωτὰ. *Athenæi versio rejecta.* κάναθρον *quale. Casaubonus revellitur. Hesychius emendatur.* Περικεφαλαιόμενον. Ῥεδίον. Περικεφαλαία ὄχημα. *Ad carpenta juncti equi, vel boves, iisq; vel bini, vel quaterni. Vsus Romæ spectabat ad matronas. Num & Vestales. Lipsij sententia examinatur. Tacitus exponitur. Lipsius notatur. Carpentorum usus nullus ad sacra. Dio explicatur. Casaubonus rejicitur. Festus exponitur. Carpenta in viis. Harmamaxæ etiam virorum. Vnde dicantur. Onuphrius refutatur. Dio exponitur. Vallæ versio rejicitur.* ἅρμα & ἁρμάμαξα *differunt. Carpenta magistratuum. Carpentum nunquam est tribunal. Petrus Faber & Savaro refutati. Tribunal quale fuerit. Faber denuo notatur, & Vopiscus exponitur. Carpentum judiciale quare dictum. Thronus. Carpenta sacerdotum, item Augustarum.*

Ad

AD carpentum nunc accedo, de cujus appellatione ita Vossius: *A carpendo, carpentum, sive qua notione dicimus carpere iter, sive potius, qua carpere est scindere, quia ex scissis fieret lignis. A qua significatione Gallis hodie charpentier dicitur faber tignarius, quia ligna carpit, id est, cædit.* Ego vero dubitare nequeo, quin Gallorum *charpentier*, sit à Latinorum *carpentario*. Porro *carpentarius* à *carpento*, ut ex Gallico hic nil doceri debeat vel queat. Adde, quod denominationis ratio sit nulla. Nam & reliqua vehicula non ex integris, sed scissis fiunt lignis: nec tamen ideo carpenta nominantur. Quare necdum video, cur deserere Ovidium debeamus, qui sic dicta putat à Carmenta. Verba ejus sunt Festorum lib. I.

*Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant:*
*Hæc quoq; ab Evandri dicta parente reor.*

Parens Evandri, Carmenta est. Hinc dicta censet carpenta. Videturq; ejus hanc sententiam probare historia, Plutarcho etiam in Quæstionibus Romanis, aliisq; tradita de matronis Romanorum, quando templum posuerunt Carmentæ, cum prohibitum ante à Senatu, recepissent carpentorum & vehiculorum usum. Plutarchus sic enarrat: *Memoria proditum est, matres, cum usu vehiculorum, quibus trahendis jumenta jungũtur, Senatus ipsis interdixisset, inter se conspirasse, neq; uterum gerere se, neq; parere velle, ac viros hac ratione ulciscì. Idq; fecerunt, donec mutata sententia usus vehiculorum concessus fuit. Exinde cum parerent, fœcundæ & claræ liberorum copia, templum Carmentæ posuere. Ea Carmenta Evandri mater fuit, nomine suo Themis, aut ut alij volunt, Nicostrata.* Sane cur Carmentæ potius, quam deæ alij, posuerint templum, post impetrata denuo vehicula, ratio idonea non potest reddi, si repudiamus istam, quod auxilio matronis fuerit, ut exemplo suo vehiculis ac carpentis possent uti. Carpentum ergo, veluti carmentum, quod esset vehiculum, quali Carmenta olim utebatur. Dissentire tamen Isidorus videtur, quando ita habet lib. XX. c. 12. *Carpentum pompaticum vehiculi genus est, quasi carrum pompaticum.* Vossius sic de hoc loco: *Censet, carpentum conflatum esse ex carrus & pompa. Nempe quia vehiculum esset honoratorum.* Mihi aliter videtur, nec describi carpen-

tum simpliciter & Isidoro, verum carpentum pompaticum. Atq; ita mea editio, apud Guilielmum Læmarium An. M D XCV. publicata; τὸ *pompaticum* refert ad præcedens *carpentum*, non subsequens *vehiculi genus*. Est autem carpentum pompaticum, cujus usus est in pompis, Circensibus puta, & similibus, de quo postea dicetur. Istiusmodi carpentum ait vocari, quasi carrum pompaticum, non quod τὸ *pompaticum* compositionem vocis *carpenti* constituat, quomodo enim à *pompatico*, fieri possit *pentum* in voce *carpentum*? Sed quod carpentum sit velut carrus, sive carrum. Nempe illud *pentum* appendicem τῦ *carrum* putavit, quasi *carripentum* esset dictum; sive potius à *carro* primum *carrimen* & *carrimentum*, contracte *carmentum*, postea *carpentum* censuit esse factum. Quanquam vero ista non sint tam obsurda, tamen caussas nullas video idoneas, cur abire à sententia priori debeamus. Carpentum Græci quoq; imitatione vocis Latinæ κάρπεντον dixere. Dio lib. LX. Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. Item alio loco, ubi de Agrippina loquitur: Καὶ τιμὰς ἄλλας τε, καὶ τῷ καρπεντίῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι, καθὰ τῆς Βιλλῆς ἔλαβεν. Quanquam hic sit καρπέντιον, quod ibi κάρπεντον, si non vitiosa est scriptura. Alias ἀπωλώνην reddunt. Nam quod habet Livius lib. I. c. 48. de Tullia, Tarquinii uxore: *Carpento certe in forum invecta, evocavit virum*, id Dionysius Halicarnassensis ita reddidit: ἐπὶ τῆς ἁπήνης καθεζομένη παρὰ τὸν ἀγορὰν. Est autem, quod notandum ante omnia, carpentum genus aliud, quam *pilentum*. Manifeste namq; distinguit Livius lib. V. c. 25. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosq;, carpentis festo profestoq; uterentur*. Neq; tamen idem semper, sed varium. Primum enim est agreste: quomodo leguntur *carpenta stercoris* apud Palladium lib. X. c. 1. *Vni jugero asserit Columella XXIV. stercoris carpenta sufficere*. Hæc carpenta vehes sunt. Sic enim exponit Columella ipse lib. II. c. 16. quem locum Palladius respexit: *Plani loci*, ait, *jugerum duodeviginti, clivosi quatuor & viginti vehes stercoris teneant*. Item c. 5. ejusdem libri. *Iugerum autem desiderat, quod spissius stercoratur, vehes quatuor & viginti, quod rarius, duodeviginti*. Porro vehes nullum genus signant vehiculi, sed mensuræ. Columella ipse

ipse lib. XI. *Vehes stercoris habet modios octoginta.* Licet tamen aliunde discere, Palladium per carpenta intellexisse plaustra, quia plaustris stercus evehebant. Valer. Maximus lib. I. c. 7. *Corpus suum à caupone trucidatum tum maxime plaustro ferri adportam, stercore coopertum.* Cicero eandem rem commemorans de divin. I. *Se interfectum in plaustrum à caupone esse conjectum, at supra stercus injectum.* Chrysippus, unde hæc desumpta est historia, vocavit ἅμαξαν. Suidas, voce Τιμωρέντος. Εἶτα ἔμελλεν ἐκκομίζειν ἐφ' ἁμάξης ἀγόσης κόπρον. *Postea evehere ipsum voluit super plaustrum, quod vehebat stercus.* Sed de plaustro alibi. Carpentum aliquando genus illud quo portantur conjuges & liberi Alanorum. Ammianus Marcellinus lib. XXXI. *Omnes sine sedibus fixis absq; lare vel lege aut ritu stabili dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant: ubi conjuges tetra villis vestimenta contexunt, & coeunt cum maritis, & pariunt, & ad usq; pubertatem nutriunt pueros.* Hoc genus ipse paulo post *sarracas* explicat. *Cumq; ad gramina venerint, in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur: absumptisque pabulis, velut carpentis civitates impositas vehunt.* Sed & de sarracis alibi dicemus. Sunt vehicula interdum, quæ ad cursum publicum destinata, veteribus *carpenta.* Ut in libr. VIII. C. Theod. l. 18. *Illud etiam sublimitas tua observari omni cautione præcipiat, ne amplius in singulis quibusque carpentis, quam bini, aut ut summum terni homines invehantur.* In lege 30. ejusdem tituli cum addito *carpenta redarum* appellantur, h. e. istiusmodi carpenta, qualia sunt redæ. *Perspicue sanxeramus, ut in carpentis redarum mensuram subditam nullus excederet.* Loquitur auctor hujus legis nominatim de redis, unde cōstat, redas esse, quæ interdum carpenta vocantur. Invenimus & carpenta posita pro vehiculis, quibus homines vehebantur publicis in viis. Ita usurpavit Apulejus lib. XII. Metam. *Romam versus profectionem dirigo, tutusq; prosperitate ventorum, hausi partum celerrime, ac dehinc carpento pervolavi.* Juvenalis Sat. VIII.

*Præter majorum cineres, atq; ossa volucri*
*Carpento rapitur pinguis Lateranus* --

Mancinellus generatim hic *vehiculum* exposuit, Valla *currum.* Ve-

teri Scholiasti *rheda* est, credo, quali faciebant iter. Nam ubi agit de sufflamine, de quo sequitur apud Poëtam; *inter radios mittitur, dum clivum descendere ceperit rheda.* Atq; tali sensu poni & à Floro crediderim, quando ait lib. I. c. 18. *Ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum vidisses.* Nam de rhedis alias testantur, quod sint propriæ Gallorum. Idem posuit pro vehiculo seu curru militari Gallorum, qui alias est *benna*, uti suo loco demonstrabo. Verba extant libro III. c. 2. *Nil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat.* Usurpavit & pro Britannorum curribus lib. III. c. 10. *Plena erant tumultu hostico littora, & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant.* At hoc currus Cæsar ipse, unde sua Florus hausit, *essęda* vocavit lib. IV. Bel. Gal. cap. 33. Inde ipsum hoc describens, quod à Floro dicitur, sic habet c. 24. *At barbari consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essędariis, quo plerumq; genere in prœliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant.* Ex quibus omnibus jam liquet, non unius esse generis, sed varij, vehiculum, quod *carpentum* nominatur. Ut ignorem, quare *virum doctissimum*, hoc est Casaubonum, vir itidem doctissimus reprehenderit in Commentariis ad Codicem Theodosianum, lib. XIV. t. 12. quod *quodcunque vehiculum apud Historiæ Augustæ Scriptores carpentum vocari* scripserit. Interim negari non debet, esse tamen genus aliquod, peculiariter sic dictũ, quod commune habet nil cum cæteris. De hoc constat quod ex parte fuerit cõtectum, vel ex Apulejo, qui sic habet lib. X. Metam. *Spretis luculentis illis suis vehiculis, ac post habitis decoris prædarum carpentis, quæ partim contecta, partim revelata, frustra novissimis trahebantur consequiis.* Dicit manifeste, carpenta partim contecta, partim revelata fuisse. Erat autem tecti ratio semicircularis, instar arcus. Unde quoq; *currus arcuati* dicta sunt carpenta, si qua Lipsio est fides. Currus arcuatos Livius commemorat lib. I. c. 21. *Ad id sacrarium Flamines bigis, curru arcuato vehi jussit.* Jam Lipsius exponẽs ista in opusculo de Vesta c. 11. *Quis ille currus arcuatus? carpentum, id est tectum superne, & cameræ in modum.* Bene, cameræ in modum, hoc

hoc enim proprie *arcuatum*. Onomasticon Argentoratense: *Arcuatus*, καμαρωτός. Ergo currus arcuati, carpenta camerata. Sane arcuato tecto carpenta fuisse operta docet nos & carpentum Agrippinæ, cujus hodieq; species servata est in nummis. Ecce tibi eam, cum effigie carpenti, quod est Juliæ tributum, ex nummo Illustris. Comitis Magni de la Gardie, Regni Cancellarij.







Nummum Agrippinæ carpenti exhibere figuram docet nos vel Svetonius, quando ita de Caligula, filio Agrippinæ c. 15. *Instituit matri Circenses, carpentũq;, quo in pompa traduceretur.* Porro liquet, hoc carpentum tecto arcuato superne fuisse clausum. Neq; aliter se habet in carpento Juliæ. Nisi quis existimet hoc valuisse solum in carpentis pompaticis. Vere namq; nummi illi nobis exhibẽt pompatica carpenta, uti postea ostendam. Sed tamen & Dionysius hac caussa videtur ἐγκύκλιον vocasse. Verba ejus sunt lib. III, ubi agit de ostento, quod accidit Tarquinio proficiscenti Romam. Ἀετὸς τὸν πῖλον ἀπὸ τὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς κείμενον ἁρπάσας ἄνω πάλιν ἀνέσπη, καὶ ἀπὸ τὴν ἐγκύκλων ἀμάξαν φερόμενος. Hic non agitur de carpento pompatico, sed itineribus parato. Livius eandem rem sic memorat lib. I. c. 34. *Ibi ei carpento sedenti cum uxore, aquila suspensis demissa leniter alis pileum aufert, superq; carpentũ cum magno clamore volitavit.* Quod Livio *carpentum*, quo Tarquinius facit iter cum uxore, id Dionysio ἐγκύκλιος ἁμάξα. Potest autem ἐγκύκλιον esse dictum, sicut à Latinis *arcuatum*. Nisi τὸ ἐγκύκλιον revera exponamus *contectum*. Nam habemus apud Hesychium, ἐγκυκλήσω, ἐγκαλύψω. Sed fortassis neutrum voluit Dionysius

nysius, verum per ἐγκύκλιον simpliciter vehiculū intellexit, quod incedit rotis, à κυκλέω, quod à κύκλοις h.e. rotis. Simili namq; ratione fecerunt & δίκυκλον, & τετράκυκλον, de quibus vehiculis jam alibi est dictum. Ut sic ex hoc loco nihil liceat producere ad cōfirmanda tecta in carpentis non pompaticis. Nam Dionis locus, quo de tectis illis agi Lipsius putavit, ne huc quidem pertinet. Verba Lipsij extāt in opusculo de Vesta c. 11. *Quia igitur carpentum ita tectum & velut solidum perfectumq; vehiculum; Dio Cassius dixisse videtur & circumscripsisse,* ἅρμα ὅλον. *Vt in honoribus Iulio Cæsari, tanquam Deo decretis:* Ἕτερον δὲ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις, μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. Hic quia nominatur ἅρμα ὅλον, putavit Lipsius, significare carpentum penitus tectum, solidum, & perfectum. Quasi vehicula quæ nō fuerunt tecta, dicta sint μὴ ὅλα, & non perfecta, & perfectiora habita, quæ tecta. Atqui multa genera vehiculorum, interq; illa etiam non tecta, quæ tamen perfecta sunt in suo genere. Imo vero ἅρμα ὅλον hic est dictum in comparatione ferculi, quod Cæsari ante fuit decretum, sicuti ostendimus, cum de Ferculo ageremus, nec tam in respectu ad partes usurpatur, quam rei magnitudinem ac dignationem cum pondere nō minimo atq; emphasi declarat. Adde quod τὸ ἅρμα eo loco non carpentum sit, sed thensa, quod ne Lipsius quidem ipse nō vidit, quando dicta verba sic exponit: *Denique & currum integrum, sive thensam una cum Deorum statuis in Circum inferri decreverunt.* Sed nimirum is putavit, carpentū & thensam nō nimis diversa fuisse. At nos aliud ostendemus, quando thensas declarabimus. quare manet adhuc dubium de tecto in carpentis vulgaribus, nisi quatenus ex Apulejo hoc colligitur. Sane Præfecti urbis carpētum nō fuit tectum, ut deinceps indicabo, sed nec de carpēto Tarquinij certi sumus, cum ipsi aquila sustulerit pileum sedenti in eo. At hoc fieri difficulter potuisse videtur, si carpentum fuit tectum. Nec tamen aperta omnia existimo fuisse, verum illa sola, quibus viri utebantur. Nisi forte ipsi illi viri essent delicati. Mulierum carpenta credo habuisse tecta sua, sic enim svadere videntur etiam pompatica carpenta, quæ vix est credibile tam longe structura sua recessisse à vulgariter receptis. Sed & ex Persarum harmamaxis hoc colligitur, quas *carpenta* reddidere. Glossæ græcolat.

Ἁρμά-

ἁρμάμαξα, *carpentum*. Erant quidem harmamaxæ peculiares Persarum. Unde Maximus Tyrius Serm. 34. θαυμάζεις τιάραν Μηδικὴν, καὶ τράπεζαν βαρβαρικὴν, & ἁρμάμαξαν Περσικὴν. *Miraris tiaram Medicam, & mensam Barbaricam, & harmamaxam Persicam.* Et hæc causſa, quare Curtius suo, non Latino reddere vocabulo voluerit lib. III. c. 3. *Quindecim inde, quas armamaxas appellant, sequebantur.* Valla vertit *essedas* apud Herodotum in Polymnia. Xylander, vel quisquis alius interpres Dionis, *bigas* lib. LIX. Verum neutrum explicat τὸ ἁρμάμαξα. Proxime accedit *carpentum*, vel propter hoc ipsum, quoniam ἁρμάμαξα habuit lectum. Ita docet Plutarchus in Themistocle, ubi de Persarum cura circa uxores pellicesq; custodiendas: Τὰς παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτὸς, ἀλλ' ἐν ταῖς ὁδοιποιίαις ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι. *Pellices anxia sepiunt custodia, ne à quoquam non domestico conspiciantur, sed in itinere sub tectis undiquaq; clausæ harmamaxis vehuntur.* Diodorus Siculus rem eandem memorans sic ait lib. XI. Ἐθῶ δὲ πρὸς τοῖς πέρσαις τὸν ἀγῶνα πολλακὶς τῷ βασιλεῖ, νομίζειν ταύτην ἐπὶ ἀπήνης κεκρυμμένην. Ubi nominat ἀπήνην, quæ Plutarcho ἁρμάμαξα, quod observandum. Neq; tamen tectum scribit fuisse vehiculum, sed pellicem. Ut de harmamaxa videatur posse dubitari, cum Plutarchus quoq; memoret solummodo σκηνὰς ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν, hoc est, quasi tuguriola seu tentoriala super harmamaxis. Sed opinor sicuti carpenta, sic & harmamaxas generis non ejusdem fuisse, alias tectas, alias apertas, vel potius apertis, quotiens ita visum esset, superne tecta potuisse imponi, hocq; factum esse, cum mulieres ipsis veherentur. Σκιωαὶ profecto, quas commemorat Plutarchus, explicari nequeunt, ut ad harmamaxas nihil referantur. Idem docet Xenophon lib. VI. Cyropæd. ubi de Panthea: καὶ αἱ θεράπαιναι λαβοῦσαι αὐτὴν ἀπῆγον εἰς τὴν ἁρμάμαξαν, καὶ κατακλίναντες καλὲκάλυψαν τῇ σκιωῇ. *Ancillæ capientes ipsam deduxerunt ad harmamaxam, ingq; ea composuerunt, & operuerunt tabernaculo.* Τῇ σκιωῇ ait, ut appareat de eo loqui, quo solenniter harmamaxa tegi consveverat. Pari modo quod de Dario refert Arrianus lib. III. Βῆσσος δὲ καὶ οἱ ξὺν αὐτῷ ἱππῆς μὲν ἐφ' ἁρμαμάξης Δαρεῖον μετὰ σφῶν ἐκόμιζον: id sic reddit Curtius lib.

V. c. 12. *Rex captivus servorum suorum in sordidum vehiculum pellibus undiq; contectum imponitur.* Ἁρμάμαξα est *vehiculum pellibus undiq; contectum.* Justinus *clausum vehiculum* nuncupavit lib. XI. c. 15. *Cognovit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum.* Habuerunt igitur auctore Plutarcho σκιὰς, id est tecta, tuguriola, tentoriola, qualia & in carpentis ideo fuisse credimus, quoniam ἁρμάμαξαι sunt carpenta, sicut vidimus. Nisi quod in harmamaxis possent tolli, in carpentis forte non possent, quæ prima vehiculi utriusq; differentia fuisse videtur. Sed & hæc fortassis causa est, quare Herodotus appellaverit καμάρας lib. I. Nec enim de alio agere vehiculo vel inde colligo, quod de Babyloniis loquatur, tum adjectis Persico imperio, & à quibus, ut id genus alia, Persæ forsan didicere. Πολλαὶ καὶ κκ ἀξιουμέναι ἀναμίσγεσθαι τῇσι ἄλλῃσι, οἷα πλούτῳ ὑπερφρονέουσαι ἐπὶ ζευγέων ἐν καμάρῃσι ἐλάσασαι, πρὸς τὸ ἱερὸν ἰοῦσι. Valla ita verrit: *Cæterum quum pleræq; sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusent, hæ vehiculis cameratis vectæ, pro templo consistunt.* Ubi *camerata vehicula*, sunt tecta cameris, id est velut curvis fornicibus, sive arcubus, unde *arcuata* Livij exemplo possent nuncupari. Meminit hujus loci Pollux, & exponit στεγαστὰ ὀχήματα lib. X. c. 12. Τὰ δὲ κατάστεγα στεγαστὰ ἐχήματα καὶ καμάραι. Οὕτω γὰρ ὠνόμασεν Ἡρόδοτος. *Tecta & operta vehicula & camaræ; sic enim Herodotus appellat.* Athenæus ab his καμάραις quædam Spartanarum virginũ vehicula vocat κάναθρα καμαρωτὰ. Verba extant lib. IV. c. 7. Τῶν δὲ παρθένων αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται, πολυτελῶς κατεσκευασμένων. Ubi perperam interpres: *Virginum autem aliæ canathris tectæ, aut sub fornice ligneorum curruum vehuntur, magno sumptu ornatorum.* Quasi sermo sit de pluribus generibus, & canathra tantum tecta fuerint. Canathrum non tectum fuit, sed vehiculum Laconicum ex ligneis bacillis contextum: inde est, quod ἅρμα ξύλινον appellat. Nempe κάναθρον alias fiebat ex cannis, hoc est arundinibus, unde quoq; habebat nomen. Hesychius: Κάνναι, ψιάθοι, καὶ τὰ αἰγύπτια πλέγματα, ἀφ' ὧν καὶ τὰ κάναθρα. *Cannæ, storeæ, & contexta Ægyptiaca, è quibus fiunt & canathra.* At illa Laconica erant ex bacillis ligneis. Hoc amplius habebant quoq; tecta. Inde vocat non κάναθρα simpliciter, sed

κάνα-

κάναθρα καμαρωτὰ. Ubi καμαρωτὰ sunt camerata vel concamerata, quomodo & Germani mei hodie genus non absimile **Kammerwagen** nuncupat. Nam quod Casaubonus κάναθρον in universum à Didymo exponi putat καμαρωτὸν ξύλινον ἅρμα ad dictum Athenæi locum c. 6. sine dubio erroneum est. Nam ne πείρινθα vel ὑπερτερίη, vel ploxemum aut sirpiculum, quibus appellationibus alias venisse ait, tectum genus vehiculi ac ne vehiculum quidem significant. Itaq; hoc pertinet privatim ad Laconum κάναθρα. Hæc erant καμαρωτὰ, sive tecta, non contextu aliquo ex cannis, calamisve, verum lignis. Atq; hactenus revera carpentis similia. Rectissimeq; Casaubonus: *Cantharis Spartanarum virginum respondent Romanorum carpenta & pilenta, quibus ad deorum ædes feminæ vehebantur, item plebejæ arcera & capsi.* Quod de capsis & arceris adnectit, melius omisisse poterat. Nam *capsa* non vehiculum, sed ejus pars est, sicut alibi ostendi. *Arcera* vero nil commune habet cum carpento, ut proin utrique generi Spartanorum canathra non potuerint respondere. Verum de carpenti tecto satis. Rotas quod concernit eas vero habuere duas, si sic omnia fuere structa, sicuti pompatica. Plures certe non cernuntur in eorum imaginibus exhibitis superius. Neque tamen ausim hoc de cunctis affirmare. Nam Præfecti urbis video habuisse quatuor, ut post indicabo. Nescio quoque an ex eo fuerit genere, quod pependit inter rotas. Nam videtur velle, quod ἐγκύκλιον αἰώραν appellavit Dionysius. Αἰώρα certe Græcis, quicquid in sublimi suspensum est, ut fiscella, in qua caseus exsiccatur, lectus pensilis, & id genus. Inde & Hesychius: ἀιωρήσας, ἐκπρεμάσας; & Phavorinus: ἀιωρεῖμαι, ἐν ἀέρι φέρομαι. Juvat, quod vehiculum fuit delicatum, maximeq; usurpatum mulieribus. Trahebatur vero carpentum à mulabus plurimum. Ideo habemus *carpentum mulare* apud Lampridium in Heliogabalo c. 4. *Facta sunt senatusconsulta, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari.* Atq; *mulionem* ad carpentum apud Auctorem Viror. Illustr. c. 7. *Mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere præcepit.* Loquitur de carpento Tulliæ, Tarquinij uxoris, de quo agens Dionysius non modo & ipse nominat ὀρεωκόμον, i. e. mulionem, sed & mulas, deniq; quod La-

tinis omnibus carpentum est, hac de caussa vocat ἀπήνλω. Verba ejus extant lib. IV. Στενὲ δὲ ὄντες πάντε τῆ ϛενοπῆ δι' ἕτλὼ ἀπήνλω ἔδῃ διελθεῖν, αἱ ἡμίονοι τὸ πτῶμα ἰδῆσαι διεταράχθησαν, ϛ ὁ προηγόμεν ϑ αὐτῶν ὀρεωκόμ ϑ παθών τι ἐωὶ τὸ τῆς ὄψεως ἐλεεινὸν ἐπέϛη. *Cumq; admodum angustus esset vicus, qua carpentum agendum erat, mulabusq; ad conspectum cadaveris pavefactis, ipse quoq; mulio, qui ducebat eas commotus esset tam miserabili spectaculo, &c.* Nempe vehiculum mulare Græcis proprie ἀπλώη. Scholiastes Pindari Olymp. V. Απήνη δέ ἐϛιν ἅρμα ἐξ ἡμιόνων ζευχθέν. *Apene currus est mulis junctus.* Ad eundem modum habet Phavorinus, & Hesychius: ἀπήνη, ἅμαξα, οἱ δὲ ζεῦγ ϑ ἡμιόνων. *Apene, vehiculum; alij vocant bigam mularem.* Aliquando dicitur λαπλώη, vel λαμπλώη. Quod posterius occurrit apud Pollucem lib. X. c. 13. ubi perperam *lecticam* explicarunt. Theodoretus Quæst. 60. in 3. Reg. Λαμπήνη εἶδός ἐϛιν ἁρμαμάξης, ὥϖπερ ἀνὴ ἀπήνη. *Lampene, genus harmamaxæ, ut & apene.* Atq; quia eadem fuere hæc vehicula cum carpentis, ideo & leguntur tecta. Hesychius: Λαμπήνη, εἶδ ϑ ἁμάξης, ἐφ' ἧς ὀχοῦνται. ἔνιοι, ἀπλώη. ἢ ἁρμαμάξης περιφανὲς βασιλικῆς. ἢ ῥεδίον ϖεϖεκεφαλαιόμενον ὅ ἐϛιν ἅρμα σκεπαϛὸν. Sic puto locum valde depravatum emendandum. Veteres habuere ἀπήνη, ἢ ἅρμα ἁμάξης, item, ἢ ῥαβδίον ϖεὶ κεφαλὴν, ex quo fecere, ἢ ῥάδιον ϖεριφανὲς ex Suida. Verum in priori mala est distinctio, in posteriori nimis longe omnia recedunt. Ῥέδιον ϖεϖεκεφαλαιόμενον interpretor rhedã, quæ superne tecto rotundo velut galea est operta. Quomodo περικεφαλαίαν δίφρε ἁρμάλλε Auctor Etymologici Magni exponit ἄνλυγα, ut totius loci ea sit sententia. *Lampene, species vehiculi, in quo vehuntur, (alij vocant apene) aut harmamaxæ nobilis & regiæ; aut rheda galeata, id est currus contectus.* Nisi malis in postremis ἢ ἱρίδιον ϖεὶ κεφαλὴν, cum sit apud Suidam ἴρδιον, & accipere de corona radiata, ut λαμπήνη sit à λάμπω, *fulgeo*, ac tandem legere ἢ ἔϛιν ἅρμα σκεπαϛὸν. Qvicqvid sit de lectione, hoc apparet, λαμπήνην vel ἀπήνην esse vehiculum σκεπαϛὸν, id est, contectum. Id qvod & de harmamaxa discimus ex hoc loco, in qvo λαμπήνη per ἁρμάμαξαν exponitur; Qvemadmodum superius & à Theodoreto factum. Neq; aliter Plutarchus in Themistocle, ubi de pellicibus Persarum: Παραφυλάτλσιν, ὡς ὑπὸ σκηνὰς κύκλῳ περιπεφραγμένας ὅπῃ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖδζ. Τοιάυλης πῷ Θεμιϛοκλεῖ καλασκευασθείσης

ἀπήνης

ἀπήνης καλασθὺς ἐκομίζετο. Qvod ante ἁρμάμαξαν, id post ἀπήνην nominat. Qvanqvam, cum adjiciat τοιάυτης ἀπήνης, id est, *hujusmodi apenes*, simul ostendit, non fuisse unum semper genus, sed ἀπήνην unam hoc, aliam alio modo fuisse paratam, id qvod supra qvoqve, cum de apene Circensi vel Olympica loqveremur, testati sumus. Sanè, qvoniam apene tecta fuit, ideò qvod Seniores, ὃ ἤνεγκαν τὰ δῶρα αὐτῶν ἔναντι Κυρίᾳ ἓξ ἁμάξας λαμπηνικὰς, id Interpres vetus vertit: *Obtulerunt munera coram Domino sex plaustra tecta.* Omnes tamen trahebantur mulis vel mulabus, sicut ante diximus. Ideò Homerus ipse Il. Ω. v. 324.

Πρόσθε μὲν ἡμίονοι ἕλκον τετράκυκλον ἀπήνην.

*Ante quidem muli trahebant quatuor rotarum apenen.* Atq; Apollonius Argonaut. lib. III. v. 840.

Εσυμένως ἁρπᾶς ὑποζεύξασθαι ἀπήνῃ.

*Festinatè mulos adjungere apene.* Neq; aliter de harmamaxa Ctesias in excerptis apud Photium: Αἱ γὰρ ἄγουσαι τὴν ἁρμάμαξαν ἡμίονοι, ὥσπερ ἀναμένουσαι καὶ τὸν τοῦ παιδὸς νεκρὸν, οὐκ ἤθελον πορεύεσθαι. *Nam mulæ, quæ harmamaxam trahebant, tanquam filii, cadaver expectarent, iter facere nolebant.* In carpentis tamen credo usurpatos aliqvando eqvos. Ita sanè videas in carpento Præfecti urbis in Notitia Imperii. Qvanqvam illud ipsum docere videatur, factum esse in carpentis virorum, non & mulierum. Qvin imò & boves in carpentis legimus. Lampridius in Heliogab. cap. 4. *Facta sunt Senatusconsulta ridicula de legibus matronalibus, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum.* Heliodorus tribuit & harmamaxis. Ita namq; habet lib. III. Æthiop. ubi agit de Chariclea: Ἤγετο μὲν γὰρ ἐφ' ἁρμαμάξης δὴ συνωρίδι λευκῆς βοῶν ὀχουμένη. *Vehebatur harmamaxa, quam jugum album boum trahebat.* Numerus animalium binarius plurimum fuit. Sic videmus in nummis, antea propositis, qvibus carpenta exhibentur. Similiter ἀπήνη hac de caussa ζεύγη ἡμιόνων dicta Hesychio; Et Polybius in Excerptis XXXI. Καὶ τῶν ὀρεοκόμων, καὶ τῶν ζεύγους, καὶ τῆς ἀπήνης αὐτῆς ὑπαρχούσης. *Mulionibus, & bijugis, & apene sua existente.* Sed & in harmamaxa paulò ante Heliodorus συνωρίδα λευκὴν memoravit, qvo id ipsum indicatur. Συνωρὶς enim duos tantum notat junctos sive eqvos, sive alios jugales, uti alias tradidimus. At carpentum Præfecti

cti Urbis in Notitia Imperii qvatuor juncta habet animalia. Qvod, opinor, accidit & in aliis. Usus carpentorum maximè spectabat ad mulieres, nominatimq; matronas honestiores. Apud Romanos sanè Tullia, Tarqvinii uxor, qvi deinde Rex est factus, usa carpento. Inde Livius de ea, *carpento invecta in forum*, item, *carpentum flexit in Vrbium vicum*, item, *per patris corpus carpentum egit*. Qvanqvam ignorem, an tum pertinuerit ad alias, qvam Reginas vel ex regia stirpe oriundas. Saltem libera Republica videmus impetrasse hoc peculiaris beneficii caussa, qvod conferendo in publicum omnem mundum suum civitati præstiterant, ut ex eo votum Apollini à Camillo nuncupatum solveretur. Meminit Livius lib. V. cap. 25. *Grata ea res, ut quæ maximè, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.* Ergo, si is honor tum his habitus, carpentis antea non fuerunt usæ. Nec enim fuisset honor, si concessum esset id, qvo ante utebantur. At temporibus belli Punici secundi consvetudo ista est sublata. Nam Q. Fabio & T. Sempronio CSS. interdictum matronis, ne porro uterentur, qvoniam ad ipsas portas urbis grassante Annibale inconveniens videbatur superbire mulieres, reliqvis omnibus in timore luctuq; constitutis. Factaq; lex auctore Oppio, Tribuno plebis, *ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur*, sicut idem Livius lib. XXXIV. cap. 1. testatur. Qvæ tamen lex vigesimo post anno iterum est abrogata, vel ob continuas matronarum preces, ut vult Livius ejusdem libri cap. 8. vel ob earum conspirationem tacitam, qva convenerant inter se, ne qva uterum gereret aut pareret, nisi honor pristinus sibi redderetur, uti tradit Plutarchus in Qvæstionibus Rom. Sic deinde mansit carpentorum usus apud matronas. Qvæ Romanorum, eadem vicinarum gentium fuisse consvetudo videtur, maximè Latinorum, ut apud ipsos matronæ veherentur carpentis. Ideò L. Valerius caussam matronarum agens contra legem Oppiam apud Livium dicto libro, cap. 7. *At herclè, universis dolor & indignatio est, quum sociorum Latini nominis uxoribus vident ea concessa ornamenta, quæ sibi adempta,*

*adempta sint: Quum insignes eas esse auro & purpura, quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi.* Jam ut carpenta spectarunt ad matronas, ita nescio, an ad virgines etiam, apud Romanos. Nisi fortè ad Vestales, sicut qvidem Lipsius existimat. Qvanqvam loca veterum, qvæ pro hac sententia adducit, nihil evidenter probent. Nam Prudentius qvidem de pilentis loqvitur, qvæ frustra Lipsius existimat à carpentis nil fuisse diversa. Plutarchus de Φορείῳ, id est, sella, vel lectica. Tacitus verò nullam Vestalium facit mentionem. Verba ejus XII. Ann. *Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos, Sacerdotibus & Sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ.* Hic Sacerdotes Lipsius existimat intelligendas de Vestalibus, qvod eqvidem necesse non est. Magis inde qvis colligeret, qvod indultum ipsis fuerit jus omne matronarum. Qvanqvam hoc ab Augusto demum factum teste Dione lib. LV. Ταῖς ἀειπαρθένοις πανδ', ὅσαπερ καὶ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο. *Vestalibus virginibus omnia, quæ matres habebant, indulsit.* Ita ergo & indulserit iisdem, vehi carpentis. Nisi qvis existimet, exoleviſſe tum carpentorum usum, receptis scilicet lecticis, qvæ est Lipsii sententia. Sic enim ait ad superiorem locum Taciti: *Olim commune fuisse videtur, ut matronæ vulgo carpentis uterentur ad sacra. Sed exolevit scilicet ille mos, utique post repertas lecticas, & mansit saltem in veneratione Sacerdotum Deorumque. Prima Messalina honorem hunc à Senatu cepit:* Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ, *ait Dio*, τὸ προεδρίαν, ἣν καὶ Λιουία ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. *Et juxta eam Agrippina nunc, de qua idem Scriptor:* Καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλίνα ἐγένετο, καὶ μᾶλλον ἀεὶ καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. At hic multa sunt non satis proba. Primum enim totum falsum, qvod carpentis scribit usas ad sacra matronas. Nunqvam vehebantur ad ea carpentis, sed pilentis, ut deinde demonstrabo. Postea Messalinæ dicit primum datum honorem, ut carpento veheretur ad sacra, putatq; se probare ex Dione. At verò Dio nil de sacris, sed simpliciter: Καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. Sed sic tamen postea. At verò ἐν ταῖς πανηγύρεσι non significat *in sacris*, verum *in conventibus publicis*, per qvos fallor admodum, si non intellexit Circenses. *Ludos* generatim

tim reddidit interpres: *Vtque carpento ludis veheretur.* Casaubonus de hoc loco toto Dionis ita disserit ad Svet. cap. 17. vitæ Claudii: *Narrat Dio, Senatum, accepto nuntio de subacta per Claudium Britannia, inter alios honores Claudio uxorique ejus Messalinæ tributos, permisisse Messalinæ carpenti usum. Supplendum autem diebus festis & ludorum Circensium, sicut supra scriptum de matre Claudii: Decernendum curavit matri carpentum, quo per Circum duceretur.* Putavit vir eruditissimus, fuisse similia ista Senatusconsulta. Mihi secus videtur. Nam matri qvidem Claudii carpentum decretum est jam defunctæ, at Messalinæ vivæ. Matri Claudii carpentum, qvo deduceretur ejus post Deorum aliorum imago. At sic Messalinæ vivæ decretum non existimo. Certè *carpento per Circum duci* nihil aliud, qvam in solenni pompa Circensi duci in carpento, qvod in defuncta qvidem aliter, qvam de imagine ipsius, intelligi non potest, cum præsertim istoc de imagine confirment nummi, qvi imagines sedentes in carpentis illis habent, qvod colligitur ex eo, qvia cusi post earum obitum, qvarum præferunt imaginem, & cum jam numerati essent inter divas. Hinc inscriptiones nummorum, qvales de defunctis: *Memoriæ Agrippinæ, Memoriæ Domitillæ, Divæ Faustinæ æternitas,* & ejusmodi. Neq; unqvam, nisi de defuncta legas. Nam & de Caligula, cap. 15. *Matri Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur,* qvod ad honorem pertinebat jam defunctæ. Igitur hoc qvidem genus nil ad Messalinam adhuc vivam. Qvid ergo est, qvod ei tributum est carpentum? An simpliciter, ut eo uteretur *diebus festis & ludorum Circensium,* uti Casaubonus ait, Lipsium fortasse secutus? At de his nil Dio. Non diebus illis inqvit, sed verò ἐν ταῖς πανηγύρεσι, qvod haud dubie ad certum referendum est negotium. Existimo autem, datum conjugibus Imperatorum, ut, sicut Imperatores ipsi pompam Circensem aliqvando ducebant, sicut Magistratus eam comitabantur, ita ipsæ qvoq; jus haberent in ea procedendi utendiq; carpento. Et hoc esse, qvod sit datum Messalinæ primum, & mox non Paulinæ Lolliæ, qvod memoria lapsus scripsit Casaubonus, verum Agrippinæ. Cæterum est aliud *carpento uti,* & carpento *uti in solenni pompa,* ut ex eo, qvod tributum

tributum Messalinæ fuerit in illa pompa jus utendi carpento, Lipsius colligere non debuerit, carpentorum usum ista ætate penitus desiisse, neq; remansisse, nisi apud sacerdotes. Contra enim de illa ipsa Messalina, cum Claudius ex Britannica expeditione venisset domum, & haberet triumphum, Svetonius c. 17. *Currum ejus Messalina uxor carpento secuta est.* Sed nec Tacitus hoc docet. Non ait simpliciter, morem sacerdotum fuisse tum, utendi carpentis, sed carpentis ingredi Capitolium. Vulgo nempe cum veniissent ad Capitolium, curru aut carpento exibant, incedebantq; pedibus, reverentia loci. Soli sacerdotes proprium hoc habuere, ut una cum sacris ingredi carpento capitolium fas haberent. Itaq; usus carpentorum non mansit apud solos sacerdotes, neq; Messalinæ denuo primum habitus is honor, quod vult Lipsius. Et qui honos esse tantus potuit? Fatetur ipse Lipsius, obsoleviisse usum carpentorum propter repertas lecticas. Si propter lecticas, ergo lecticæ in majori fuerunt honore, quippe quibus loco cedere coactæ sunt. Quomodo ergo retineri potuerunt *in veneratione sacerdotum deorumq;*, sicut ait Lipsius? quomodo per ejus usum augeri veneratio Agrippinæ? Non conveniunt hæc inter se, rem usu vulgatam alia nova magisq; æstimata commutare, & tamen vulgata ista uti deinde ad dignationis suæ firmamentum sive incrementum. Quare Tacitus non aliter accipiendus est, quam ut dixi. Retinuerunt ex matronis carpenta, quotquot vellent, etiam post lecticarum usum. Id peculiare fuit institutum, quod carpento in Circensi pompa veheretur imago Liviæ, quod carpento in eadem incederet Messalina, non enim aliis nisi diis deabusq; ac heroibus, itemq; viris qui in magistratu essent, hoc tributum. Item quod carpento ingredi Agrippina Capitolium permitteretur, quod alias concessum fuit nemini exceptis sacerdotibus ac sacris. Et quoniam retinuerunt, ideo legimus sub Heliogabalo factum esse Senatusconsultum *de legibus matronalibus, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum,* ut Lampridius testatur. Nempe honoratius carpentum mulare, quam boum fuit. Ideo per ambitionem eo utebantur cunctæ, etiam fortunæ tenuioris. Quod emendare voluit Heliogabalus.

balus. Vehebantur autem mulieres carpentis communiter, & quotidie, nisi quando eundum esset ad sacra, tum enim pilentis utebantur. Unde Livius in verbis supra laudatis: *honorem cum matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosq; carpentis festo profestoq; uterentur.* Voluit hoc idem Festus, quando ait: *Pilentis & carpentis per urbem vehi matronis concessum est.* Non enim de promiscuo agit usu, verum tali qualem dixi. Jam quod de carpentis observavimus, idem pertinet ad ἁπλοΐδας etiam Græcorum. Nam in ipsis quoq; vehebantur mulieres. Quomodo Nausicaa apud Homerum suo docet exemplo. Sed & Diodorus Siculus lib. XI. pellices Persarum vehi ἁπλοΐδαις facit. Ἔθος γὰρ ὂν τοῖς Πέρσαις τὸν ἀγῶνα παλλακὴν τῷ βασιλεῖ, κομίζειν ταύτην ἐπὶ ἁπλοΐδος κεκρυμμένην. Quanquam hic ἁπλοῒς proprie, quæ alias est harmamaxa, de quo genere notissimum, pertinuisse ad mulieres. Et jam pridem observavit vir eruditissimus, mihiq; amicissimus, cum viveret, Jo. Freinshemius ad Curtij lib. III. c. 3. ubi ait: *Currum hoc genus ad mulieres aliosq; molles proprie pertinuisse, exinde apparet, quod in omnibus Xenophontis locis, ubi harmamaxarum, ibidē & mulierum est mentio.* Quanquam cubuisse videantur in his harmamaxis, non sedisse, sicut in ἁπλοΐδαις aut carpentis. Ita sane Xenophon lib. V. Cyropæd. ubi loquitur de Panthæa: αἱ θεράπαιναι λαβοῦσαι αὐτὴν ἀπῆγον εἰς τὴν ἁρμάμαξαν· καὶ καλακλίναντες κατεκάλυψαν τῇ σκηνῇ. *Ancillæ abduxerunt ipsam ad harmamaxam, ingq; ea compositam ad decumbendum operuerunt tabernaculo.* Nisi fors putamus, factum id tum ideo, quia Panthæa erat mœsta propter viri discessum. Nam Chariclia quidem in ea sedet, apud Heliodorum, ut ostendit facile totus locus. Tamen & Charicliæ harmamaxa videri potest non vulgaris, sed pompatica fuisse, cum ne tecta quidem fuerit, sicut alias solebant. Quanquam vero hæc vehicula spectarint ad mulieres, usurparunt tamen & viri. Ita observamus de carpentis, maxime cum iis faciendam esset iter. Ita Tarquinius vectus est carpento cum uxore Tullia, cum veniret primum Romam, ut ex Livio apparet. De Laterano Juvenalis Sat. VIII.

*Præter majorum cineres, atq; ossa volucri*
*Carpento rapitur piguis Lateranus --*

Sed

Sed & de ἁπλοΐδι hoc discimus ex Plutarcho, quando de Timoleonte: ὁ δὲ κομιζόμενος δι' ἀγορᾶς ἐπὶ ζεύγους, πρὸς τὸ θέατρον ἐπορεύετο. καὶ τῆς ἁπήνης, ὥσπερ ἐτύγχανε καθήμενος, εἰσαγομένης διακούσας τὸ ζητούμενον ἀπεφαίνετο γνώμην. *Ille jumentis vectus per forum ibat in theatrum. Introductaque apene, in qua sedebat, audiebat rem, de qua consulebatur, sententiamq; dicebat.* Quanquam fecerit hoc Timoleon jam senex, & luminibus captus, quod fortasse sine observatione non prætereundum. Idem colligimus ex Luciano, quando in de Mercede Cond. facit, ea vehi Philosophum cum cinædo. Τὰ δ' ἄν ἄλλα, παρ' ὅλην τὴν ὁδὸν μυρίας λάς ἀηδίας ἀνάσχεσθαι, ὑπάδοντος, καὶ τερετίζοντος, εἰ δὲ μὴ ἐπεῖχεν αὐλὸς ἴσως ἂν καὶ ὀρχουμένου ἐπὶ τῆς ἁπλοΐδος. *Præterea hoc itinere molestias innumerabiles pertulisse sese* (Philosophum) *illo* (Cinædo) *cantante garrienteque, denique, nisi hominem coercuisset, etiam saltatum in apene.* Observamus & de harmamaxis. Xenophon lib. III. Cyrop. ἀναβάντες ἐπὶ τὰς ἁρμαμάξας σὺν ταῖς γυναιξίν. *Adscendebant harmamaxas una cum uxoribus suis.* Quin imo videntur aliquando propria virorũ significasse vehicula. Ita sane legimus apud Auctorem Etymologici Magni, qui propterea existimat harmamaxas esse nominatas. Ἁρμάμαξα ἡ πρὸς ἀνδρῶν καθέδραν κατεσκευασμένη ἅμαξα, οἷον ἅρμα καὶ ἅμαξα, ἢ ἀνδραμάξα τις οὖσα, ἡ ἄνδρας ἄγουσα. *Harmamaxa currus paratus ut in eo viri sedeant, velut harma, id est currus, & hamaxa, id est plaustrum, aut andramaxa, id est currus virorum, qui vehit viros.* Varias dat rationes appellationis, inter eas illam quoq;, quod fuerit ἀνδράμαξα, id est vehiculum, quo ducãtur viri. Quanquã sine dubio hæc nulla sit, cum manifeste satis appareat, compositam esse vocem, non ab *arma* & *maxus*, uti habet Onuphrius, sed *harma* & *hamaxa*. Onuphrij hæc verba sunt lib. II. de Lud. Circens. c. 2. *Armamaxi erant curruum Scythicorum genera ex duobus veluti curribus compositi, & diversis rebus exornati, ut coronis aureis, thoracibus, clypeis exuviis, & similibus. Arma enim currus & maxus plaustrum significat.* Sic Onuphrius, in quibus tamen vix est aliquid, quod probari potest. Primum enim nũquam legitur ἁρμάμαξος seu *armamaxus* in masculino, verum semper ἁρμάμαξα, *harmamaxa*. Deinde non est genus Scythicum vehiculi, sed Persicum ut superius ostendi. Nam quod legitur de Scytharum Nomadum

quibusdam regibus, quod sint vecti harmamaxis, huc nõ pertinet, ut post ostendam. Sed & quod sic exornatas scribit fuisse, nescio an verum sit. Equidem intelligo hic agi nõ de harmamaxis omnibus, sed iis, quæ solebant duci in pompa circensi. Verum de his ipsis ambigo, neque ductas ullas sic ornatas credo, vel omnino aliquas harmamaxas, nisi eas, quas Latini appellarũt carpenta, sive currus. Deniq; hausisse illas harmãmaxas suas Onuphrium ex Dione puto, qui sic lib. LXI. Καὶ οἱ ἐλέφαντες, οἱ τὴν τοῦ Αὐγούστου ἁρμάμαξαν ἄγοντες ἐς μὲν τὸν ἱππόδρομον ἐσήλθον. Loquitur de elephantis, qui currum Augusti ducebãt. Ita enim Latini nominarunt, uti liquet ex Suetonio, qui sic clarissime c. 11. Claudij: *Aviæ Liviæ Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit.* Fuit ergo currus id vehiculum, quod decretum Augusto in circensi pompa. Dio tamẽ harmamaxan vocavit, non quod harmamaxæ aliquæ ducerẽtur in circensi pompa, quod Onuphrius hinc collegisse videtur, sed quod harmamaxa sæpe vehiculũ apud Græcos, cujus esset usus in pompa vel itinere splendidiore. Sic enim & harmamaxa dicta qua cadaver vehebatur Alexandri. Athenæus lib. V. c. 9. Ἱερώνυμος θαυμάζεται ἐν τῇ κατασκευῇ τῆς ἁρμαμάξης, ᾗ συνέβαινε κατακομισθῆναι τὸ Ἀλεξάνδρου σῶμα. *Hieronymus admirationem sibi peperit ob fabricam harmamaxæ, qua corpus Alexandri deferri contigit.* Quod autem Onuphrius harmaxam vocatam scribit ab *arma* & *maxus* prorsus est erroneum, nam *maxus* vox est nihili, scribiq; *hamaxa* debebat. Nam *hamaxa* est *plaustrum*, & *harma* currus. Porro ex his intelligitur, quomodo harmamaxã compositã ex duobus velut curribus putaverit, videlicet ex curru, & ex plaustro. Atq; ita quoq; Dalechampius ad Athenæi lib. V. c. 9. Dicit enim fuisse vehiculum, *cujus forma partim currus fuit, partim plaustri.* Neq; tamen qualis illa forma compositiove fuerit declarant. Ego similem fuisse currui existimo cum propter sellam, in qua sedebant, tum propter jumenta, ut in curribus juncta æqua fronte, plaustra vero propter longitudinem, & rotas quatuor, quas videntur harmamaxæ habuisse. Quicquid vero sit de hac re, harmamaxa virorum quoq; fuit vehiculum, & quidem usurpatum ad splendorem. Testem habemus etiam Herodotũ, qui sic lib. VII.

Ἐξη-

ἐξήλασε μὲν δὴ οὕτω ἐκ Σαρδίων Ξέρξης, μετεκβαίνεσκε δὲ, ὁκόσ μιν ὁ λόγ@ αἰρέοι, ἐκ τοῦ ἅρματος ἐς ἁρμάμαξαν. Quod sic vertit Valla: *Hunc quidem in modum Sardibus processit Xerxes, sed è curru, quoties ratio exigebat, in essedum transcendebat.* Ubi male *essedum* vocavit, quod est *harmamaxa.* Volunt autem hinc colligere, viliorem fuisse currum sive ἅρμα, quam harmamaxam. Quod ego non intelligo. Non enim credibile, vilioris genere uti Xerxem voluisse, cum iter faceret per urbem. At expresse ait, Sardibus incessisse curru, sive ἅρμασι. Quare non hæc fuit differentia, sed alia. Ἅρμα, hoc est currus pertinebat magis ad bellū, harmamaxa vero ad negocia urbana. Curru inibant prælia, non vero harmamaxa, in qua potius vehebantur molliter, vel si sic necesse foret, capiebant quoq; somnum. Xerxes igitur cum expediendum aliquid videbatur in exercitu, conscendebat currum sive ἅρμα, cum dabatur otium, conferebat se in harmamaxam. Ἅρμα ergo nō deterius aut vilius vehiculum, quāquam harmamaxa quoq; usurpata ad splendorem. Ideo & regibus adhibita, ut vidimus exemplo Xerxis. Et Aristides de Scytharum regibus quibusdam: οὐκ ἐφ' ἁμαξῶν περιήεσαν, ἀλλ' ἁρμαμαξῶν νομάδες τινὲς βασιλεῖς. *Non in plaustris, verum harmamaxis Nomadum quidam reges circumvehebantur.* Uti nota, quod quemadmodum superius ab ἅρμασι seu curribus, ita hic ab ἁμαξαῖς seu plaustris distinguantur. Quod de harmamaxis diximus, interdum pertinet & ad ἁπλώας. Nam & illæ usurpatæ regibus. Saltem apud Homerum Priamus ea vehitur, Iliad. Ω. Ubi nota δίφρον in ea ut in curribus, & tamen fuisse τετράκυκλον, ut plaustra. Quo efficitur ut & de harmamaxis aliquibus hoc suspicer. De carpentis eadem invenimus. Imperatores sæpe iis vecti regesque. De Constantio Ammianus lib. XVI. *Insidebat aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum.* Simile Heraclij carpentum, quod expressum nummo, & à Lipsio propositum in de Cruce III. hic exhibemus.



Multa hoc carpentum habet notabilia, & quæ docēt, harmamaxis non dissimile fuisse. Primum enim cernitur in eo σκλωὴ seu tugurio-lum in fronte fastigiatum, sicuti σκλωαὶ consveverunt. Deinde factū id tuguriolum apparet ex pannis pretiosis, ut sit vero simile, tolli ac reponi potuisse. Sed & à fronte vela habet utrinq; remota suspensaq;, unde colligitur, eis obductis potuisse claudi. Etiam aulea habet picta, quibus in ambitum est ornatum. Plane sicuti de iis testatur Diodorus lib. XI. aitq; fuisse πολυτελέσι περιπετάσμασι κεκοσμημένας, *pretiosis auleis exornatas*. Ad postremum rotis quoque incedebat quatuor, plane sicut de ἁπλώῃ supra demonstravimus, & de harmamaxis vel ex nomine suspicionem fecimus. Etiam Gallorum reges iter facere carpentis consveverunt. Eginhartus vita Caroli de Rege Francorum: *Quocunq; eundum erat, carpento ibat*. Sed præcipue hic honos fuit apud Romanos magistratuum, videturq; currui antiquo,

tiquo, unde dicti sunt curules, successisse sub Imperatoribus carpentum. Primum autem ita vectus est Præfectus Prætorij, auctore Cassiodoro lib. VI. Var. in formula Præfecti Prætor. ubi de Josepho, quem Prætorij Præfecto comparat: *Ipse primum hujus dignationis insulas consecravit, ipse carpentum reverendus adscendit ad hoc gloriæ culmen evectus.* Et observavit jam lib. I. Semestr. c. 3. Petrus Faber. Quem tamen valde miror, voluisse hoc carpentum explicare per tribunal. *Duo potissimum prætorianæ præfecturæ insignia in veterum auctorum libris agnovimus, carpentum sive tribunal, sella curuli magistratuum & ordinariorum judicum altius, & item gladium.* Et statim post: *De carpento sive tribunali Cassiodorus*: adducit dein verba nobis laudata. Atq; sic Savaro quoq; ad Sidonij lib. I. ep. II. Sic enim habet ad ista Sidonij: *Tribunal industrium potestatum ) id est carpentum Præfectorum prætorio.* Atq; addit rationes: *In eo enim*, inquit, *sedentes jus dicebant majores magistratus, antea pro tribunali.* Quod ut probet, dicit carpentum hoc Vopisco in Aureliano vocatum *judiciale carpentum*, additq; post: *Idcirco carpentum præfecti prætorio tribunal vocatur Cassiodoro, quod in eo, sicut prius in tribunali, ante carpenti usum jus dicerent majores magistratus.* Quæ omnia haud dubie ex Fabro hausit, quippe qui & ipse, quæ de carpentis altitudine prodit, colligit ex iis Cassiodori verbis, quæ superioribus immediate subdit; *Tribunal tuum ideo tam excelsum factum esse noveris, ut locatus ibi nihil humile abjectumq; cogitares.* Quasi quæ de tribunali dicit Cassiodorus, ea intellecta velit de carpento, remq; eandem prius carpentum, mox tribunal appellaverit. Quod tamen falsum esse vel ex eo liquet, quia intercedunt plurima inter ea, qua de carpento, & ea, quæ de tribunali habet. Et quis unquam de carpento jus dixisse quenquam magistratuum apud Romanos scripsit legitve? Deniq; carpentum adeo à tribunali differt, ut non possim non mirari, quenquã voluisse ista inter se miscere. Tribunal fuit ingens tabulatum forma quadrata, uti alias exposui. Id hic excelsum vocat, non quod carpentum esset, rectisve altis impositum incederet, sed quod revera extructum foret altius à terra. Sicut *celsum* hac de causa nominavit Juvencus, uti supra demonstravi. Ecce tibi spe-

speciem in hoc Trajani nummo, quia plurimum ad rem intelligendam facit.




Id tabulatum, super quod Trajanus Imperator sedet in sella curuli, extructum altiuscule, atq; ut videtur, aulæis cinctum ornatumq;, tribunal est, quod non video, quo pacto possit quis formare in carpentum. Itaq; hic quidem lapsi sunt viri longe doctissimi. Carpentum nunquam fuit tribunal, nunquam ex eo jus dixerunt magistratus, verum vecti eo sunt honoris gratia, & inter ipsos primus Prætorio Præfectus. Nam & illud falsum, quod putavit Faber, fuisse hunc illius unius honorem, ac iccirco erasse Vopiscum, vel pro sella curuli posuisse, quando tribuit Præfecto urbis. Extant enim, quod jam observavit vir doctissimus Jacobus Gothofredus ad t. 12. lib. XIV. Cod. Theod. testimonia clarissima de Præfecto urbis quoque, quod carpenti jus habuerit. Omnium instar est, quod habet dictus supra Cassiodorus in formula Præfecti urbis lib. VI. Var. 4. *Carpento veheris per nobilem plebem.* Meminit & Symmachus, ipse Præfectus urbis lib. x. ep. 33. Quod si non esset, constaret tamē manifeste ex Notitia imperij utriusq;, in qua inter Insignia cum Præfecti Prætorij, tum Præfecti urbis carpentum refertur. Ut proinde vere proprieq; Vopiscus ita scripserit in Aureliano c. 1. *Vehiculo suo & judiciali carpento præfectus urbis vir illustris, ac præfata reverentia nominandus, Iunius Tiberianus accepit.* Ubi vehiculum & judiciale carpentum ponit, non ut duo diversa, sed ut uno alterum explicetur. Nam cum vehiculi significatio sit generalis, quale vehiculum intelligat, putavit adponendum, ac iccirco id *vehiculum* se dixit innuere

nuere, quod est *judiciale carpentum*. Appellavit autē judiciale carpentum, non quod ex eo jus diceret, quod sine caussa finxerunt Faber & Savaro, sed quod spectaret ad Judicem. Ubi per judicem intelligimus ipsum Urbis Præfectum, cujus pars non exigua, judicem esse atq; judicare. Unde Cassiodorus in Formula Præfecturæ Urbanæ: *Sic ergo locum tuum tracta, ut omnes te judicem honoratæ congregationis agnoscant*. Et paulo post: *Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere antiqua jura voluerunt: ne tantæ civitatis judicem muralis agger includeret, cum Roma omnia possideret*. Hinc igitur *judiciale carpentum*, quod nimirum pertinet ad judicem honoratæ congregationis, ad judicem civitatis. Quo sensu etiam Rectori Provinciæ Ammianus tribuit, cujus verba postea adferemus Justinianus in Novella 70. de carpento isto loquens Græce nominat ἁπήνην, quod conveniens est iis, quæ in præcedentibus notavimus. Loquitur de Præfecto utroq; Prætorij & Urbis; id honoris ait delatum ipsis, ὥς τε μεγάλης αὐτὲς ἠξιωμένους τιμῆς ἁπήνητε ἐποχομένους. Vertunt totum locum ita: *Renovamus igitur hujusmodi legem, sancientes ita libertate frui* (eo honore à nobis ornatos) *quatenus magno promeriti honore & in carpentis vecti, & clamores præconum audientes, insuper judiciales conscendentes sedes, hujusmodi fortuna liberi constituantur*. Quibus verbis observandum est distingui *vehi carpento*, & *judiciales sedes conscendere*, ac iccirco verum esse, quod superius attulimus de tribunali. Carpentum nempe non fuisse tribunal. Tribunal conscendisse, ac in eo occupasse judiciales sedes; carpento vero esse vectos. Quomodo & de carpento Aureliani Vopiscus: *Ibi cum animus à causis atq; à negociis publicis solutus ac liber vacaret, sermonem multum à Palatio usq; ad hortos Valerianos instituit*. Dicit, *ibi*, nempe in carpento, in quod à Tiberiano præfecto urbis Vopiscus fuit assumptus. In eo ait animum vacasse à causis, unde liquet manifeste, caussas ibi cognovisse nullas, nullum jus dixisse, sed, quod sequitur, sermones inter sese miscuisse, atq; vectos esse. Fuit autem hoc carpentum paulo aliter, quam cætera, formatum, quod colligimus ex pictura ejus, quæ servata est in Notitia Imperij hoc modo.



Primum obſervamus hic in carpento Præfecti Prætorio & Urbis rotas quatuor, quales non fuere in carpentis cæteris, niſi forte Imperatorum. Deinde cernimus ſuperne non *ſellam curulem*, ut exponit Pancirollus, quando ei nulla ratione ſimilis, quod ſuperiora docent, verum *arcuatam*, inſtar throni. Sic enim vocabant ſellam iſtiusmodi. Gloſſæ veteres titulo de Supellectile; *Sella arcuata*, θρόνος. Ubi θρόνος notat ſellam ſemirotundam ex uno ligno, ſoliditatis gratia, quali utebantur Reges corporis cuſtodiendi cauſa, ne quis à tergo vel lateribus facile ipſos poſſet adoriri. Iſidorus: *Sedes proprie regni eſt, quod Græce* θρόνος *dicitur. Item thronum Græci dicunt, nos ſolium, in quo Rex ſedet propter tutelam corporis ſui, ſecundum quoſdam à ſoliditate dictum, quaſi ſolidum, ſecundum alios per antiſtichon, quaſi ſodium à ſedendo.* Illi alij, quos hic nominat, intelligendi ſunt de ſolo Aſpero, qui hoc cenſuit. Diſcimus ex Servio, qui ſic lib. VII. Æn.

*Solium*

*Solium est veluti armarium de uno ligno ad regum tutelam factum, secundum alios à soliditate dictum, secundum Asperum per antistichon quod solum unum capit, quasi sodium à sedendo.* Tale igitur sive solium, sive thronus, sive sella arcuata est in carpento antea proposito. Unde ἄντυξ est in Epigrammatis lib. II. c. 5. titulo εἰς Θεμίστιον τίνα, φιλόσοφον, γενόμενον ὕπαρχον πόλεως ἐπὶ Βαλεντινιανοῦ καὶ Βάλεντος, i.e. *In Themistium quendam, factum Vrbis Præfectum sub Valentiniano & valente.* Verba hæc sunt:

Ἄντυχος ἀρανίης ὑπερήμενος εἰς πόθον ἦλθες·
Ἄντυχος ἀργυρέης ἅιχος ἀπειρέσιον.

Docet titulus, sermonem esse de Præfecto urbis, cui cum tribuatur ἄντυξ, dubium non potest esse, quin sit sermo de carpento. Jam vero ἄντυξ proprie est sellæ curvatura in curru seu carpento. Hesychius: Ἄντυξ, ἅρμα τοῦ περιφέρεια. Auctor Etymolog. Magni. Ἄντυξ ἡ ἀνωτάτω περικεφαλαία τοῦ ἁρμαλίου δίφρου. Talem ergo intellexit auctor Epigrammatis & in carpento, ac ex ea integrum appellavit. Equidem non nescio, ἄγλυγα esse proprie in sella currus militaris, ac antrorsum flecti; quia tamen ei fuit similis curvatura carpenti, licet flexa retrorsum, mihi non est dubium, quin eam auctor Epigrammatis intellexerit. Docet autem dictum Epigramma, carpentum illud cultum fuisse argento. Namq; ἄντυξ ἀργυρέη est *argenteum carpentum.* Atque meminit argenti hujus in carpento illo Symmachus lib. X. ep. 33. ad Theodosium: *Cum clementia vestra meminisset, faciendæ carrucæ impendium de sacro ærario esse decretum: censuit ut ejus argentum publicis conditis redderetur, D. Imperator. Sed examinis reperit fides, ex aliis titulis assumptam speciem, quam vehiculi ornatus accepit.* Habes aperte argentum ad vehiculi ornatum. Vocat equidem vehiculum carrucam: verum intelligere carpentum, cum superiora docent, tum quod apud ipsum sequitur: *ex Argentariorum parsimonia argentum jusso operi ministratum est. Cujus solutio, si carrucæ usus maneret, de thesauris Imperialibus jure peteretur. Sed nunc carpenti novitate summota suum quisq; deposcit.* Hic enim quod carrucam ante nominavit, postea carpentum explicat. Cultum alium majoremq; instituerat Gratianus, &, quod suspicor, ipsam carpenti formam veterem

immutaverat; sed impetravit Symmachus à Theodosio & Arcadio, ut usus ejus aboleretur. Docet integra ad imperatores dictos epistola, quæ est libri X, 13. ubi vocat *peregrinum ac superbum vehiculum, cujus cultus insignior est, & quo moderator urbis tanquam Salmoneus alius invehitur*. Præter utrumq; hunc præfectum carpento usum testatur Cassiodorus etiam Vicarium urbis. Ita namq; habet in formula Vicarij Urbis Romæ, quæ legitur lib. VI. ver. 15. *Ad similitudinem summorum carpento veheris*. Uti per *summos* intelligere illos ipsos Prætorij Urbisq; Præfectos arbitramur. Præter summos hosce magistratus carpentis quoq; utebantur sacerdotes, quod ex Tacito jam supra vidimus. Qui Annali XII, de Agrippina: *Suum quoq; fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus*. Ubi per sacerdotes non tam Virgines Vestales, quod facit Lipsius, quam revera sacerdotes viros, præsertim Flamines existimo intelligendos. Quos cum alias carpentis vectos arbitror, tum præsertim cum in Capitolium deducerent sacra, nemini conspiclenda. Hoc enim fieri optime in Carpentis, tectis scilicet superne, poterat. Erat autem ille carpentorum usus, si respicimus matronas, ad itinera quotidie in urbe facienda. Ita videmus ex Tullia Tarquinij, quæ in publicum proditura utitur carpento. Sed & decreto Senatus hoc innuitur, quo conceditur eis carpentorũ usus festis profestisq; diebus. Postea translata sunt & in pompam Circensem, primum ut imagines defunctarum Augustarum eis veherentur, qualia carpenta ideo Isidorus appellavit *pompatica*. Hoc enim peculiare habebant Augustæ, quod ipsarum imagines veherentur carpentis, cùm Augustorum veherentur curribus. Svetonius in Caligula, c. 15. *Instituit matri Circenses, carpentumq;, quo in pompa traduceretur*. Deinde ut ipsæ vivæ una cum magistratibus in pompa cum carpentis incederent, quod ambitioni Messalinæ primum datum in superioribus ostendimus. Viri utebantur carpentis partim ad itinera commodiora, partim ad testationem muneris ac dignitatis, qua ornati essent in republica, ut supra vidimus. Et hæc etiam de harmamaxis apud Persas, & apenis apud Græcos possunt observari. De quibus plerisq; jam in præcedentibus monuimus.

Cap.

## Cap. XVIII.

## De Ciſio.

*Ciſia, unde. Voſſius rejicitur. Δίτροχον. Cum rotis duabus incedunt. Pincianus notatur. Geſtatorium vehiculum ſpeciali notione, quod non eſt onerarium, veteribus incognitum. Ad ciſium mulæ tres. Vehiculum eſt virorum. Ad itinera celerrime conficienda idoneum. Senecæ lectio vetus reſtituta. Ciſiarij prævertere ſe mutuo ſtudebant. Vlpianus exponitur. Ciſia conductitia. In ciſiis tabellarij. Tabellarij domeſtici. Ciſia peregrinantium diſpoſita inter urbes. Cur Gallis ciſia tributa.*

AD vehicula, quæ binis volvebantur rotis pertinent & ciſia, ut mox indicabo. Mentio eorum apud Tullium Philippica II. *Inde ciſio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto.* Item Senecam ep. 72. *Quædam ſunt, quæ poſſis & in ciſio ſcribere.* Unde nomen ſuum hæc vehicula habuerint, incertum eſt, nec de eo veteris alicujus ſententiam invenimus. Voſſius de eo ſic in Etymologico ſuo: *Dicitur à cædo, quaſi cæſium, quia duæ rotæ quaſi reciſæ.* Putat, quantum conjicio, inde ſuum habuiſſe nomē, quod non haberet, ſicut alia non pauca vehicula, rotas quatuor, verum duas tantum, duabus reciſis, id eſt ſublatis. Sed jejunum nimis hoc videtur, nam & alia ſunt vehicula cum rotis duabus, & cur tandem in ciſio ſolo reciſa debeant intelligi, ratio non poteſt dari aliqua idonea. Ego arbitror à *cito* eſſe dictum, id eſt prompto celeri, quia vehiculum fuit, quo celeriter confici potuit iter. Quod jam liquet ex ſuperiori loco Ciceronis, & mox amplius monſtrabitur. Nempe ſicuti à *novus, a, um* factum eſt *novitius, a, um*; ad eundem modum & à *citus, a, um* exiſtimo formatum *citius, a, um*, poſtea pro *citio* ſvavitatis cauſſa dictum eſſe *ciſium*. Ut proinde *ciſium* adjectivæ ſit ſignificationis, in quo intelligi debeat *vehiculum*, & ſignificet *vehiculum citum*, quo celeriter fiat iter. Quæ illius apud Græcos appellatio extiterit, hucusq; necdum exploratum eſt. Δίτροχον, pro eo invenimus in Antiquis Lexicis, ut mox dicam. Sed commune hoc vocabulum cum multis aliis vehiculis. Structuram quod concernit, primum duas habuiſſe rotas obſervamus ex Nonio, qui ſic habet:

bet cap. 2. *Ciſium, vehiculi biroti genus.* Vehiculum *birotum* eſt, quod binas habet rotas. Ita namq; generatim hic accipere debemus, non privatim de *birota* de qua egimus in præcedentibus. Porro Nonium ſequitur & Perottus. Confirmatq; utriusq; ſententiam Onomaſticon vetus Argentoratenſe, in quo ita legitur: *Ciſium, δίτροχον.* Errat ergo Pincianus, quando explicat *vehiculum geſtatorium.* Verba ejus ſunt, ad indicatum ſupra locum Senecæ: *Eſt ciſium genus vehiculi geſtatorij, autore Nonio Marcello.* Nihil tale Nonius Marcellus, uti vidimus, biroti genus ait eſſe. Sed nec locus Ciceronis ex Philippica II. nobis quoq; in ſuperioribus allatus, tale quidquam docet. Sed fortaſſe *geſtatorium* vehiculum accepit pro eo quo vehuntur homines, & oppoſuit *oneraris.* Quomodo jam factum à Corraſio lib. III. Miſc. c. 20. *Sciendum*, ait, *ex vehiculis aliqua oneraria eſſe, vehendis marmoribus, & grandi materiæ accommodata, ut plauſtrum, ſarracum & carpentum: alia geſtatoria ad vectandos homines, veluti carruca, rheda, eſſedum, ciſium, petoritum, pilentum, & cætera id genus.* Ubi & Corraſius inter geſtatoria vehicula ciſium numerat. Verum aliter fecere veteres. *Geſtatoria* vocarunt, quæ portantur, & oppoſuerunt illis, quæ trahuntur. Ita habemus *ſellam geſtatoriam* apud Svetonium in Nerone c. 26. & Vitellio c. 16. item Cœlium Aurelianum lib. I. c. 5. & alios. Quandoq; pro lecticis ponuntur, ut apud Sidonium lib. VIII. ep. 8. ubi *geſtatoriæ bracteatæ*, lecticæ videntur. Quicquid ſit, hoc plane conſtat, ciſium inceſſiſſe rotis, non fuiſſe geſtatum. Ad hæc rotas habuiſſe non plures, quam duas. Fuit porro in ciſio capſum, quale veteres vocarunt *ploxemum.* Ita docet Feſtus, in voce *ploxemi*: Verba hæc ſunt: *Ploxinum appellari ait Catullus capſum in ciſio capſamve, cum ait: gingivas vero ploxini habet veteris.* Teſtatur manifeſte, ploxinum in ciſio fuiſſe. Dicebatur autem ploxinum, ſive ploxenum, aut ploxemum (his enim modis omnibus reperitur ſcriptum) quod eſſet non ex tabulis conjunctum, ſed contextum ex virgultis aut viminibus, quod jam loco alio monſtravi. Liquet igitur, vehentes ſediſſe in ejusmodi ploxeno contexto è virgultis, ſicut hodieq; fieri per Daniam conſvevit. Videntur autem tali genere in eo uti voluiſſe, quia

quia servire celeritati debuit, ut mox dicam. Reliqua enim magis ponderosa. Trahebatur vero à mulabus, quod colligo ex carmine veteri, quod est inter Catalecta Virgiliana, scripto in Sabinum:

*Sabinus ille, quem videtis hospites,*
*Ait fuisse mulio celerrimus*
*Neq; ullius volantis impetum cisi*
*Nequisse præterire -- --*

Dicit hunc Sabinum præterire cisia omnia potuisse, quòd intelligendum est de cisio ipsius. Sic enim solebant, contendentes inter se, ut mox demonstrabo. Porro eum Sabinum appellat mulionem; unde constat, mulas in cisio suo habuisse. Id quod amplius ostendunt sequentia, ubi nominatim appellat,

*-- -- Læva, sive dextra*
*Stringere mulas, sive utrumq; cœperat.*

Numerus mularum videtur fuisse ternarius, quoniam Ausonius *trijuge cisium* appellat epistola 8. Ita vero habet:

*Vel cisio trijugi, si placet, insilias.*

Vix potuisset hoc modo vocare, nisi valde fuisset receptum, mulas tres in cisio adjungere. Utrum autem æqua fronte fuerint adjũcta, num vero duas conjugatas una antecesserit, an pro se quælibet una post alteram cucurrerit, haud dixerim. Quoniam de eo nihil apud veteres occurrit. Vehebantur iis viri. Sic colligimus ex Cicerone, Ausonio, Carminis incerto auctore de Sabino, & aliis, qui ubiq; quando cisiorum mentionem faciunt, viros tantum memorant in ipsis, nunquam feminas. Pertinebat autem ad itinera extra urbem, non quovis modo, verum cum celeritate facienda. Ita supra Cicero de Antonio: *Perpotavit ad vesperum: inde cisio celeriter ad urbem advectus domum venit, capite involuto.* Et adhuc clarius in pro Sex. Roscio: *Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit.* Ubi nota, quod ad denotandam maximam celeritatem *pervolasse* dicat. Et solebant sic de cisio, hanc ob causam. Auctor sæpe laudatus de Sabino in Catalectis.

*Neque*

*Neq; ullius volantis impetum Ciſi*
*Nequiſſe præterire -- --*

Atq; quoniam cum ciſio celerrime non tam currebant, quam volabant, ideo non ſine cauſa dubitatur de correctione Pinciani apud Senecam eo loco, quem ſuperius produxi. Scribit ipſe: *Quædam ſunt, quæ poſſis & in ciſio ſcribere.* At libri veteres non parum variant: alij *inciſe*, alii *incedendo*, alij *in circo* habent, ut notarunt viri docti. Et *in circo* mallet Lipſius, nec Grutero diſplicet. Sane quomodo in ciſio celeritate tanta volante ſcribere quis potuerit, non video. Et opponuntur huic, quicquid ſit, *lectus*, *otium*, *ſecretum* apud Senecam, quæ non pugnant adeo cum ciſio, in quo & otium poteſt eſſe & ſecretum. At non ſic in circo. Quanquam cur omnino circum nominare hic debuerit, non videam. Quare mihi potius videtur, *incedendo ſcribere*, quod & meis in membranis legitur. Accipio autem illud *incedere*, non tam de inceſſu pedeſtri, quam qui fit cum ſella, vel lectica, quomodo & qui vehuntur equo, *incedere* dicuntur Virgil. V.

*Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum*
*Frenatis lucent in equis -- --*

Et in ſellis ac lecticis ſcribere conſveviſſe, dum geſtantur per plateas, alibi monſtravimus. Quoniam vero feſtinatione tanta properabant ſuis ciſiis, propter a quotiens ſimul plura ibant, unius auriga prævenire alterum ſtudebant. Quo reſpexit Auctor carminis in Sabinum, quando *nullius ciſij licet volantis impetum non præterire potuiſſe* dicit Sabinum iſtum. Fuit autem neceſſarium hoc caſu, ut interdum ciſium everterent. Hinc quæſtio apud Jurisconſultos, qua teneatur actione iſtiusmodi auriga, qui occaſione hujuſcemodi evertit ciſium, & ſervum, quem vehebat pro mercede, attrivit. Reſpondetq; Ulpianus, actione locati poſſe conveniri. Verba ſunt in l. 13. ff. Locat. *Item quæritur, ſi ciſiarius, id eſt carrucharius, dum cæteros tranſire contendit, ciſium evertit, & ſervum quaſſavit vel occidit: puto ex locato in eum eſſe actionem.* Patet ex hac ipſa quæſtione inter Jurisconſultos agitata, fuiſſe non inſolitum, ſed frequentem caſum, unde ſequitur, ſolenne illud ſtudium alterius præveniendi

ac

ac prætereundi alterum fuisse. Discimus vero ex hac lege illud amplius, fuisse ista cisia non modo singulis propria, sed publice quoq; conductitia, quæ sub mercede certa solebant elocare. Inde nãq; actio ex locato nascebatur. Ac videtur cisia hujusmodi disposita habuisse passim publicis in viis, & extemplo potuisse conduci ab iis, qui faciebant iter. Ideo namque supra Cicero ajebat nescio quem decem horis nocturnis tot millia passuum pervolasse *cisiis*. Non dicit *cisio*, in singulari, verum *cisiis* in plurali, ut una eademq; nocte, ac spacio paucarum horarum plura cisia conduxisse ac conscendisse necesse sit. Fieri hoc vero aliter vix potuit, nisi ea, quam prædixi, ratione. Consveverunt autem cisiis uti frequentissime litterarum perferendarum gratia. Observamus ex prædicto Ciceronis loco. Nam post verba, quibus Antonium Romam advolasse scribit cisio, & venisse domum, specie tabellarij, subdit: *Ianitor* (qui scilicet ædes, ad quas venerat, custodiebat) *quis tu?* Respondet Antonius: *à Marco tabellarius*. Neq; aliud colligitur ex Orat. pro Roscio Amerino: Adscribam verba: *Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, sed T. Capitonis inimici*. Subdit postea, quomodo paucis horis nocturnis tot millia confecerit, ut supra vidimus. Pertinebant igitur ad nuncios & tabellarios, & fortassis hæc est causa, cur in lege antea allata mentio sit facta servi. Scilicet servorum fere munus fuit apud veteres, ut epistolas huc illuc q; perferrent: Cicero lib. XI. epist. 11. *Eodem exemplo litteræ à te mihi redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt*. Idem lib. XIV. ep. 5. memorat Acastum servum suum cum litteris uxoris amicorumq; ad se Roma missis Athenas, quod iter confecit spacio uno & vicesimo die. Atque idem alij testantur. Atq; hi fortassis *tabellarij domestici*, quos idem memorat lib. II. ep. 7. Porro consveviisse hos vehiculis ire novimus & ex Petronio, qui sic habet: *Forsan pernoctassemus in limine, ni Tabellarius Trimalcionis interveniisset decem vehiculis dives*. Quæ vehicula jam scimus ex superioribus plerumq; cisia fuisse. Habebant tamen alias quoq; cisia, quæ solenni itinere inter urbes certas commeabant, & ultro citroq; de-

ferebant peregrinantes. Talia memorat, quæ petebant Mantuam, item Brixium auctor sæpe nominatus carminis de Sabino.

*Neq; ullius volantis impetum cisi*
*Nequisse præterire, sive Mantuam*
*Opus foret volare, sive Brixium.*

Quin imo per Galliam illam universam isto genere feciſſe iter videntur, quæ vocatur Cisalpina. Unde item:

*Cremona frigida, & lutosa Gallia*
*Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima*
*Ait Sabinus, ultimæ ex origine.*

Atq; hæc opinor causſa est, cur Scaliger in Notis ad hunc locum: *Cisium proprium fuit Galliæ Cisalpinæ vehiculum.* Item cur Quintilianus lib. I. c. 5. Catullum dixerit ploxeni vocabulum inveniſſe circa Padum. *Catullus*, inquit, *ploxenum circa Padum invenit.* Ubi *invenit* nõ significat *excogitavit*, sed cum in usu ibi esſet, primum audivit, primum ibi didicit. Et hæc quidem de cisio.

## Cap. XIX.
## De Plaustro.

*Plaustrum unde. Varro, Vossius, & Scaliger refutantur. Plautum quid.* ἅμαξα. *Varro corrigitur. Hamaxa. In plaustro rotæ duæ.* ἅμαξα τετράκυκλος, ἑξάκυκλος. *Plaustra majora. Rotæ. Plaustrorum tympana. Quomodo pellucida plaustra. Plaustra tecta. Iustini lectio defensa. Versio Hippocratis rejecta, ipse expositus. Quædam plaustra tecta ex parte.* Μέρος ἐσκεπασμένον. *Pollux emendatur. Carpenta pro plaustris. Convolvere carpenta. Ammianus exponitur. In plaustris lecti.* ἅμαξα τετράκλιν. *Erasmus notatur. Boves ad ea juncti, vel muli.* ἀπλοῦν *de plaustro, & quare juncti etiam asini. Semper fere bini.* ὀκτάποδες ζύγος. *Usus plaustrorum ad onera in agris. Vehiculum vulgatum usu. Curtij lectio vetus defensa. Vulcanij versio Ammiani rejecta. Currus pro plaustro. Vina in plaustris, & oleum, & lapides. Spartianus explicatur. Plaustra onusta urbem ingredi prohibita. In plaustris columnæ lapideæ, arboresq;. Gementia, stridentia plaustra. Gravia, onusta, inania, vacua. In plaustris sarcinæ militares. Vehicula cohortis. Ar-*

*ma*


*ma in sarcinis. Curtius explicatur. Balistæ in plaustris. Rigaltius notatur. Plaustra peditibus præcipue serviebant. Naves in plaustris. Quandoq; & homines. Vehere, ire plaustro, junctis bobus. Boves, muli juncti. Columella explicatur. Vulcanij versio Arriani rejicitur.*

AD id genus, quod instructum rotis est duabus, plaustrum quoque referendum. Id Varro putat dictum, quod in eo cuncta sint palam, atq; cerni possint, quæ vehuntur. Ita namq; ait lib. IV. de LL. *Plaustrum ab eo, quod non, ut in his, quæ supra dixi* (arceris) *sed ex omni parte palam est, quæ in eo vehuntur, quod perlucent lapides, asseres, tignum.* Existimavit igitur, quantum intelligo, *plaustrum* esse dictum veluti *palaustrum*. Sed repugnat, quod non *plaustrum* modo dixerint veteres, verum quoq; *plostrum*. Cato sic frequenter in de R. R. ut c. 3. *Vendat lanam, pelles, plostrum vetus.* c. 5. *Tarram carioſam caveto ne ares, neve ploſtrum, neve pecus impellas.* Et sic locis aliis. Neq; aliter solebat Fl. Vespasianus, improbante licet Floro, forsan ipsa ista motus ratione, quod deductum vocabulum à *palam* existimaret. Sveton. c. 22. *Mensorium Florum consularem, admonitus ab eo plaustra potius, quam ploſtra dicenda, die postera Flaurum salutavit.* Apparet, Vespasianum improbasse hanc sententiam, & excepisse risu. Ac profecto invenimus ipsum Tullium scripsisse *ploſtrum*. Ut in III. Ver. *Omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus, ploſtris eventa asportataq; esse.* Prætulit & Probus ad Horatij lib. II. Sat. 3. Confirmat quoq; factum ex *ploſtro, ploſtellum*, quod *plaustellum* nusquam legitur. Jam vero *ploſtrum* à *palam* non potest derivari, unde liquet, haud probari posse sententiam Varronis. Audiamus Isidorum: is de plaustro ita sentit: *Dictum plaustrum quia volvitur, quasi dicas* (ita scribo, non *dicat*) *pilaustrum.* Sed non video, quomodo illud *pilaustrum* indicet, quod volvatur. Vossius existimat respexisse *pilam*, id est, *sphæram*. Verum pila etiam, rotunditatem quidem monstrat, motum vero ac volutionem non monstrat. Forte magis respexit Græcum πολεῖσθαι, sed sic rectius *polaustrum* scripsisset. Deniq; volvuntur etiam reliqua vehicula, ut vix dari possit ratio, cur in solo plaustro voluerint attendere. Adfert quoq; Scaliger sententiam, nam vel à *palando* id est

*extendendo* ait dictum, vel à *plaudenda terra*, quam posteriorem derivationem etiam Vossius amplectitur. Nobis plaustrum dici à *plauto* videtur, quia vehiculum fuit latum, id est, non in ambitum structum tabulis, aut cum sella superne, verum planum. *Plautum* enim apud veteres seu *plotum*, quod latum est & planum, à πλατὺς, quomodo & Germani, Belgæ, alijq; *platt* usurpant. Ita *Plauti* dicti canes. Festus: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt & flaccidæ, ut latius videantur patere.* Ita *plauti* homines cum planis latisq; pedibus. Festus idem: *Ploti appellati sunt Vmbri, pedibus planis quod essent.* Ab hoc plauto ergo sive ploto, plaustrum est & plostrum. Græci appellarunt ἅμαξαν. Philoxenus: *Plaustrum*, ἅμαξα. & paulo post: *Plostrum*, ἅμαξα. Varro de L. L. *Septem stellas Græci, ut Homerus, vocant ἅρκτον, nostri boves & triones. Et plaustrum appellatum, à parte totum, ut multa.* Ita lego, & distinguo, non, ut habent vulgo: *ut Homerus vocat.* Hyginus: *Majorem arctum complures plaustro similem dixerunt, & ἅμαξαν Græce appellarunt.* Idem colligas ex scriptorum locis aliis. Ut cum Livius de L. Albini pietate ita scribit lib. V. c. 4. *In eo clivo eas cum L. Albinus de plebe Romana homo conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens, &c.* Plutarchus hoc sic reddidit in Camillo. Ἐνταῦθα Λεύκιος Ἀλβῖνος, ἀνὴρ δημοτικὸς, ἐν τοῖς φεύγουσιν ἔτυχε τέκνα νήπια καὶ γυναῖκα μετὰ χρημάτων ἀναγκαίων ἐφ' ἁμάξης ὑπεκομίζων. Vocat ἅμαξαν, quod Livius *plaustrum.* Et fuisse plaustrum firmat Florus lib. I. c. 13. *Lucius Albinus*, ait, *depositis uxore & liberis, virgines in plaustrum recepit.* Idem facit Valerius Maximus lib. I. c. 1. *cum L. Albinus plaustro conjugem & liberos vehens eas adspexisset.* Ita quando idem Valerius lib. II. de tibicinibus, qui concesserant Tibur, nec reverti volebant: *mero somnoq; sopitos, plaustris in urbem devehendos curarunt:* hoc sic explicat in Quæstionibus Romanis Plutarchus: Περιαγαγὼν τὰς ἁμάξας ὁ συωρῶνλας αὐτὸς διὰ τὸν οἶνον καὶ τὸ σκότος, ἔλαθεν εἰς Ῥώμλιν καταγαγὼν ἅπαντας ἑωθεν. Etiam Latine *hamaxas* Capitolinus usurpavit in Maximinis. c. 6. *Iam illa prope in vulgi ore sunt posita, quod hamaxas manibus attraheret.* Habuit autem plaustrum, ut de specie nunc ejus dicam, rotas duas. Ita clare Isidorus: *Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferunt.* Idem docent

docent monumenta vetera, quæ mox adferemus. Omnia nobis exhibent plaustra cum duabus rotis, nec cum pluribus. Sed videtur obstare, quod dicatur plaustrū esse simile syderi, septentriones alias vocato. Gellius lib. II. c. 21. *Hoc sidus, quod à figura positura q; ipsa quia simile plaustri videtur, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt.* Si est inter plaustrum sidusq; similitudo, non video, quomodo non plaustrum rotas quatuor habuerit. Constat namq; ex stellis septē, quarum duæ tresve antecedunt recta serie, ut boves, quatuor per quadratam dispositæ figuram, plaustrum exhibent cum rotis quatuor. Adde, quod apud Strabonem lib. XV. memorētur ἅμαξαι τετράκυκλοι expresse: Atq; ita & Herodotus lib. I. Τότε δὲ τῆς Χοάσπεω τὸ ὕδωρ ἀποψηκάμενοι πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι, ἡμιόνειαι κομίζεσαι ἐν ἀργυρέοισι ἀγγείοισι. Vertit Valla: *Cujus Choaspis aquam decoctā & in argentea vasa diffusam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum mulis trahentibus assidue comitantur, quocunq; ille proficiscitur.* Cum fuisset rectius, *multa plaustra quatuor rotarum.* Sed hoc ipsum, quod uterq; nominatim vocat τετρακύκλους, docet, nisi fallor, vulgo plaustra rotas quatuor non habuisse. Nam si vulgo hæc eorum fuisset structura, potuisset ea intelligi vel ex simplici ἁμάξας compellatione. Sic ἁμάξας ἑξακύκλους, hoc est plaustra cum rotis sex leguntur, nec tamen hæc communis eorum fuit structura. Hippocrates de aëre, ubi agit de Scytharum ratione vivēdi: αἱ δὲ ἅμαξαι εἰσὶν αἱ μὲν ἐλάχιστον τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι. *Plaustra vero eorum minimum rotis quatuor, quædam quoq; sex sunt instructa.* Habes ecce plaustra cum rotis sex, habes cum rotis quatuor, quod genus ait minimum fuisse apud Scythas. Cur hoc addit? cur dicit, minimum rotas habuisse quatuor, si semper quatuor, nec pauciores habuere? Quare opus est, ut vel ex hoc loco discamus, illud genus cum rotis quatuor apud Scythas solos minimum fuisse, idq; cōtra consvetudinem vulgarem, secundum quam plaustra habuere rotas duas. Quæ habuere quatuor, ea non jam *plaustra* communiter appellabantur, sed cum addito, *majora*. Sic enim ad differentiam communium appellat Cato de R. R. c. 11. ubi ad villam instructam requirit *ploſtra majora III.* Erant autem rotæ illæ non quales vulgo cæteris in vehiculis cum radiis modioloque, verum ex conjunctis inter se tabulis ligneis contextæ, quales *tympana*

nominabantur,& à nobis alibi expoſita ſunt ſatis clare. Probus ad Virgilij Georg. I. *Plauſtra ſunt vehicula, quorum rotæ non ſunt radiatæ, ſed tympana cohærentia axi, & junctæ cantho ferreo. Axis autem cum rota volvitur, nam rotæ circa ejusdem cardinem adhibentur.* Id quod incumbabat rotis, vel erat tabulæ inſtar latum, vel craticulæ, Græceq; vel πλινθίον dicebatur, vel ἐσχάρα, ſicut alibi oſtendi, unde quoq; plauſtrum nominatum. Quod ſi quid imponebatur, de quo metus eſſet, ne decideret, à lateribus addebantur ex bacillis paucis unctæ machinæ, inſtar ſcalarum, ut & Germani **Leiter** appellare olent. En tibi effigiem, quæ rem omnem declaret.



Habes hic plauſtrum cum tympanis, & ſuper plauſtrum, cupam, in qua culleus, qui ne excideret, munitur utrinq; ſcalis iſtis ſeu machinula, quam dixi. Nam ligna tria à cupa ſurgentia, quæ ſuperne continentur ligno transverſe per ea decurrente, machinulam dictam repræſentant. Atq; hoc eſt, quod reſpiciebat Varro, ubi agit de plauſtri appellatione, quando *palam eſſe in eo* dixit *omnia quæ vehuntur, & perlucere lapides, aſſeres, tignum.* Perlucent ſcilicet per ſcalas iſtas, utrinq; poſitas à lateribus ad continendum onus, ſicuti in culleo videmus. Aliquando tamen plauſtra tegebantur cum à lateribus, tum ſuperne. Plutarchus in Quæſtionibus Romanis, ubi explicat hiſtoriam tibicinum Romam ab exilio revocatorum:

Συμ-

Σωέπεισε τὰς αὐλητρίδας ἀναβάντας ἐφ' ἁμάξας δέρρεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας. *Persuasit tibicinibus, ut plaustra circumquaq; pellibus obtecta conscendant.* Ubi nota, pellibus sive coriis contegi consueviſſe. Atq; sic de plaustris Scytharum Justinus lib. II. c. 2. *Uxores liberosq; secũ in plaustris vehunt, quibus coriis, imbrium hyemisq; caussa tectis pro domibus utuntur.* Mallet summus vir, Matthias Berneggerus legere *corticibus* pro coriis, quoniã sic tecta leguntur apud Ammianum, ut mox indicabo. Verum ego nihil censeo mutandũ, cum de coriis confirment alij quoq;. Quos inter est Cinnamus, qui Historiarum lib. I. de iisdem Scythis: *Plaustris se circumdederunt, quæ bovillis intecta pellibus sive coriis superne* (Βοείοις ἄνωθεν σύρσαις περιλαβόντες) *& apte inter se connexa conjuges liberosq; eorum impositas habebant.* Scilicet non fuit eadem apud omnes ratio. Ideo Hippocrates commemorat, qui nõ coriis, ac ne corticibus quidem, verum coactilibus habebãt tecta. Verba ejus extant in libro de Aëre, ubi loquitur de Scythis & eorũ moribus: ἅυται δὲ (ἅμαξαι) πιλοῖς περιπεφραγμέναι εἰσὶ. εἰσὶ δὲ τετεχνασμέναι ὥσπερ οἰκήματα τὰ μὲν ἁπλᾶ, τὰ δὲ δίπλα. Ταῦτα δὲ ὑενὰ πρὸς ὕδωρ & πρὸς χίον, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα. Vertunt: *Hi* (currus) *insuper coactilibus ex lana crassa compactis sunt obducti, & ad instar domorum fabrefacti, alij quidem simplici, alij etiam triplici tabulato, ipsiq; in angustum coarctati adversus omnes aquarum, nivis ac ventorum injurias.* In qua interpretatione nihil sani est, nec quod exponat mentẽ auctoris. Loquitur is de coactilibus, hæc coactilia dicit ea forma fuisse plaustris imposita, ut præferrent ædium speciem. Et fuisse quædam simplicia, quædam duplicia, tamq; densa & cõstipata, ut nec aqua nec ventus, nec quidquam aliud posset penetrare. At interpres accepit de curribus, & in iis finxit nobis nescio quæ tabulata, etiam triplicia, de quibus auctor nullum verbum. Hoc tantum vult, si quæ ex coactilibus minus visa essent densa, duplicasse, ac loco unius imposuisse duo, quo rectius excluderetur aqua pluvia, vẽtus, & id genus. Facit quoq; currus arctates in angustũ interpres, contra omnes cœli injurias, quod qua ratione dictum sit, nemo non intelligit. Habebant ergo Scythę alij ex coriis, alij ex coactilibus tecta sua plaustra. Habebant quoq; aliqui ex corticibus arborum: erantq; hi præsertim Alani & Costobocæ,

bocæ, de quibus hoc teſtatur Ammianus lib. XXII, ubi ait: *Vilesq; ſupellectiles plauſtris impoſitæ ſunt corticibus tectis.* Item lib. xxxi. de ijsdem Alanis: *Nec enim ulla ſunt eis tuguria, aut verſandi vomeris curæ, ſed carne & copia victitant lactis, plauſtris ſuperſidentes, quæ operimentis curvatis corticum per ſolitudines conficiunt.* Atq; hæc de tectis plauſtrorum Scythicorum. Legimus & plauſtra tecta ciliciis. Ita namq; habet Mauritius noſter cap. 8. Strateg. per. 18, Ἑκάστην δὲ ἁμάξων (ἁμαξῶν δεῖ) κιλικίῳ τὸ ὄπισθεν μέρος σκέπεσθαι. *Quodlibet autem eorum* (plauſtrorum) *cilicio à poſteriore parte debet eſſe tectum.* Quo ex loco annotabimus, plauſtra non ſemper integra, ſed ex parte tantum fuiſſe operta, ea nempe, quæ poſterior eſt. Atq; hæc videtur pars, quæ Polluci μέρος ἐσταγασμένον, quando ait lib. X. c. 12. Καὶ Ξενοφῶν δὲ ἐν τῇ παιδείᾳ, τὸ ἐσταγασμένον μέρος τῆς ἁμάξης ὑποσημαίνων, ἔφη· Κατέκλιναν, καὶ ἐκάλυψαν τῷ σκηνῷ. Sic editi, ſed legendum eſt, κατέκλιναν & κατεκάλυψαν, vel, ut habet ipſe Xenophon κατεκλίναντες κατεκάλυψαν: nec τῷ σκηνῷ, verum τῇ σκηνῇ. Non enim operuerunt τῷ σκηνῷ, ſed τῇ σκηνῇ τὴν Πάνθειαν. Verſio deniq; ſic formanda: *Et Xenophon in Pædia coopertam plauſtri partem intelligens, inquit, reclinarunt eam, & operuerunt tabernaculo.* Gualtherius: *Decubuerunt, & cooperuernnt ſcenã*, quod videbis eſſe nihili, ſi contuleris Xenophontem ipſum. Quanquam eo loco Xenophon nõ de plauſtro ſeu ἁμάξῃ, ſed ἁπλοΐῃ loquatur. Quæ Polluci ἅμαξα, quod hæc inter ſe nonnunquam miſcerentur. Plane ſicut & *carpenta* nuncupata, quæ ſunt plauſtra, maxime ſi eſſent tecta. Quomodo Ammianus de plauſtris Scythicis loco ſupra laudato: *vilesq; ſupellectiles plauſtris impoſitæ ſunt corticibus tectis, & cum placuerit, ſine obſtaculo migrant, eadem carpenta, quo libuerit, convolventes.* Vocat *carpenta*, quæ ante nominavit *plauſtra*, eaque dicit *convolvere*, non, quod volvantur in unum, ſicut pannus aut charta convolvitur, aut ſic convolvantur coria, quibus tecta ſunt, ſed quod volvantur rotis, quando incedunt, iterque faciunt. Eſt enim hic *plauſtra convolvere vel carpenta*, quod verba ſimplici effertur *volvere*, quomodo Virgilius quoq; uſurpavit alicubi *volventia plauſtra*, qualia Servio, *quæ volvuntur*, dicunturque Scythæ *convolvere carpenta*, quãdo promovent ope jumentorum.

Ali-

Aliquando & aperta plaustra voce *carpentorum* veniunt. Quomodo *carpenta stercoris* usurpata Palladio, pro plaustris, sicut alibi monstravi. Atq; talia Vegetij carpenta lib. II. c. 25. *Item decem onagri, hoc est, singuli per singulas cohortes in carpentis bobus portantur armati.* Hic carpenta, plaustra esse, nemo dubitabit. Constat quippe, cuncta ista plaustris in exercitu consveviſse vehi. Neq; alia, opinor, causſa est, cur carpenta generali ὀχημάτων voce reddita in Glossis videamus, nisi quia sæpe signant plaustra. Observamus quoq; lectos in plaustris, verum solis Scythicis, quia in his habitarunt. Lucianus in Toxari. χρυσᾶς γε φιάλας ἐλέγετο ἔχειν δέκα, καὶ ἁμάξας τετρακλίνους ὀγδοήκοντα. Vertit Erasmus: *Aureas phialas se dicebat habere decem, præterea currus quaternis sedilibus octoginta.* Verum κλίνην sedile significare alibi non observatum est, & occurrit ἑξάκλινος, τετράκλινος, ac id genus, semper in intuitu ad lectos. Quare ἅμαξα τετράκλινος tale plaustrum potius, in quo lecti quatuor. Quale apud Scythas hominum ditiorum fuisse videtur, credo quod esset latius & spacioſius, & plures simul caperet. Quanquam fatear, ambigere nonnihil me de lectione ista, optareque, ut de ea codices vetusti consulantur. Porro plaustra communissime adjunctos habuere boves, fuitq; ista vetustissima consvetudo, Mosi quoq; memorata Numer. VII. Epigramma vetus in descriptione amnis congelati:

*Plaustra boves ducunt, quaremis acta carina est.*

Virgilius lib. II. Geor.

-- *Nec ullo ex æquore cernes*
*Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.*

Aliquando tamen mulos etiam in plaustris habuere. Inde namq; Cato de R.R. c. 62. *Quot juga boum, mulorum, asinorum habebis, totidem ploſtra esse oportet.* Et Homerus sic loquentem facit Nestorem Iliad. H.

Αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρὰς
Βουσὶ & ἡμιόνοισιν --

*Ipsi vero congregati advehamus huc cadavera bobus & mulis.* Ubi optime interpres vetus: κυκλήσομεν, ἐφ' ἁμαξῶν ἴσομεν. κύκλα γὰρ οἱ τροχοί.

Docet, hoc *advehi* de plaustris intelligendum esse, quod confirmat versus, qui post sequitur:

Δάκρυα θερμὰ χέοντες ἁμαξάων ἐπάειραν.

*Lachrymas calidas fundentes plaustris imposuerunt.* Habuerunt igitur in plaustris genus utrumq; , mulos inquam æque, ac boves, etiam Homero teste. Hinc fortassis Plutarchus in de Consolatione ad Apollonium, ubi narrat historiam de Cleobi & Bitone: Τῶν ἑλκόντων τὴν ἀπήνην ἡμιόνων ὑστερηκότων, ἡ τῆς ὥρας ἐπειγούσης, τούτους ὑποδυῶσας ὑπὸ τὴν ἀπήνην, ἀγαγεῖν εἰς τὸ ἱερὸν τὴν μητέρα. Currui, quo vecta est ipsorum mater, malas tribuit, cum omnium consensu fuerit plaustrum. Hyginus fab. 254. *Gleops & Bitias pro bobus sub jugo se junxerunt, & ad fanum sacra, & matrem Cidippen in plaustro duxerunt.* Et sic alij. Ipse Herodotus, unde cæteri hauserunt lib. I. Οἱ δὲ σφι βόες ἐκ τοῦ ἀγροῦ οὐ παρεγίνοντο ἐν ὥρῃ. ἐκκλιζόμενοι δὲ τῇ ὥρῃ οἱ νεηνίαι, ὑποδυόντες αὐτοὶ ὑπὸ τὴν ζεύγλην εἵλκον τὴν ἅμαξαν. *Boves vero non præsto erant ex agro ad horem, tunc juvenes excluſi tempore jugum ipsi subeuntes plaustrum pertraxerunt.* Plaustrum omnes faciunt & ἅμαξαν; Plutarchus nominat ἀπήνην, quia mulas ei tribuit. Sic Lucianus in Charonte, agens de eadem re; ἐπεὶ τὴν μητέρα ὑποδυόντες, εἵλκυσαν ἐπὶ τῆς ἀπήνης. Apenen nominat, seu vehiculum mulare, quod revera fuit plaustrum. Ideo & bobus tractum Herodotus & Hyginus tradidere. Pausanias in Corinthiacis: Πλησίον δέ εἰσιν ἐπειργασμένοι λίθῳ Κλέοβις καὶ Βίτων, αὐτοί τε ἕλκοντες τὴν ἅμαξαν. *Prope sunt in lapide sculpti Cleobis & Biton, qui trahunt ipsi plaustrum.* Plaustrum nominat, ut reliqui. Plutarchus atq; Lucianus appellarunt ἀπήνην, vel quod in plaustro interdum essent muli, vel quod pro plaustro interdum usurparetur ἀπήνη, apud Græcos, sicut apud Latinos *carpentum.* Ita colligas ex Smyrnæo, qui propterea & boves jungit ad ἀπήνην. Verba extant lib. VI.

Ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ ζεύγλῃσι βόες μέγα κεκμηῶτες
Δυσαλέην ἐρύσσωσι πρόσω μεμαῶτες ἀπήνην.

*Vt cum boves jugo subditi valdeq; laborantes ligneum porro nitendo plaustrum trahunt.* Sic exponunt viri doctissimi, quoniam aperte ibi sermo est de plaustro. Præter mulas vero ac boves leguntur & asini in plaustris. Liquet ex superiore loco Catonis, in quo, *quot*

*juga*

*juga asinorum* quis habuerit, *tot plostra* dicit etiam requiri. Sed & cap. 11. ejusdem operis hac de caussa nominat *plostrarios*. Nam post cætera requiri ait ad vineam *asinos plostrarios duos*. Numerus jumentorum istiusmodi solennis binarius fuit. Ita legitur jam olim 1. Sam. 6. 7. *Facite plaustrum novum unum, & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro*. Possuntq; addi, quæ habentur Numer. VII, 3. & seq. Ex eadem caussa Scythis sunt ὀκτάποδες, id est octo pedum homines qui plaustrum possident, ac iccirco in honore habentur, ut est apud Lucianum in Dial. Scytha. Τοῦτο δὲ ἐστὶ, ait explicans eam vocem, οἱ ἐκ δύο βοῶν δεσπότην εἶναι καὶ ἁμάξης μιᾶς. *Significat hoc esse aliquem dominum duorum boum atq; plaustri*. Sed & monumenta vetera conveniunt, plaustraq; in superioribus adducta nobis. Habuerunt tamen quatuor, imo sex interdum Scythæ. Quod jure credimus Hippocrati, qui sic habet loco alibi laudato: Τὰς δὲ ἁμάξας ἕλκυσι ζεύγεα τὰς μὲν δύο, τὰς δὲ τρία βοῶν. *Plaustra trahunt alia quidem duo, alia vero tria boum paria*. Ubi annotandum, quod duo & tria nominet ζεύγεα, hoc est juga. Ostendit hoc enim, singula paria fuisse jugata, id est sua habuisse juga. Unde sequitur, adjuncta fuisse non æquali fronte, sed alia post alia, primo unum jugum boum, ante hoc aliud, & ante hoc rursum aliud, sicut hodie cum equis nostris est receptum. Sed hoc proprium & peculiare fuit Scytharum. Vulgo plaustra duo tantum boves trahebant. Nec in mulis asinisve credo aliter rem habuisse. Cato sane supra: *Quot juga boum, mulorum, asinorum habebis, totidem plostra esse oportet*. Erant ergo singula ut boum, ita mulorum asinorumque juga, ad plostra singula. Jugum autem per est, & de duobus usurpatus, quod est notum, & colligitur à ζυγὸς, unde Latini formarunt. Etymologus: Ζυγὸς παρὰ τὸ δύο ἄγειν, δυαγὸς, καὶ ἐν συγκοπῇ, δυγὸς καὶ ζυγὸς. Ait, Zygon sic esse dictum, quia duo sunt in eo. Jugum ergo notat duos. Quod proinde mulos quoq; ad plaustra habuere. Ac sic docent veteres picturæ seu imagines columnæ Trajani. Plaustra exhibent cum mulis duobus. Usus communissimus plaustrorum fuit, ut perferrentur iis onera. Isidorus: *Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur*. Pollux

lib. X. c. 12. hoc genus nominavit ὀχήματα σκευαφόρα. Fiebat hoc autem vel in pace, vel in bello. Atq; pacis quidem tempore vel in agris hoc fiebat, vel in urbe. In agris usus plaustrorum fuit frequentissimus. Iccirco inter instrumenta rustica ubique memorantur. Pollux lib. X. c. 29. Τῶν ἐν ἀγρῷ σκευῶν τὰ ἀναγκαῖα, ἄροτρα, ἀρότρου μέρη καὶ ἅμαξα. *Agrestium instrumentorum necessaria sunt, aratra, & aratri partes & plaustra.* Ita Cato in oleto instructo requirit *plostra majora tria* c. 10. de R. R. In vinea instructa *plostra duo* c. 11. ejusdem libri. Et quoniam inter instrumenta rustica, iccirco Varro lib. I. R. R. c. 13 *Faciendum etiam plaustris, ac cætero instrumento omni, quibus cœlum pluvium inimicum, in cohorte ut satis magna sint tecta.* Manifeste numerat inter instrumentum agrorum. Curtius propterea *vehiculum* vocavit *vulgatum usu.* Sic enim ait lib. III. c. 1. *Vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum esse constabat, adspexit, cultu haud sane à vilioribus vulgatisq; usu abhorrens.* Corrigunt, *vulgatiq; usus*, quod non placet, quoniam illud *que* conjungit elegantius *vilioribus* & *vulgatis*, quam *vilioribus* & *vulgati.* Præterea id quod habent libri magis ostendit usus frequentiam, indeq; notitiam vehiculi vulgarem, quam si altero modo legamus. Cæterum fuisse plaustrum id vehiculum cum alia ostendunt, tum disertim testatur Justinus lib. XI. c. 7. *Quærentibus de persona regis, jubentur eum regem observare quem reversi primum in templum Iovis euntem plaustro reperissent. Obviam illis Gordius fuit, statimq; eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum erat, in templo Iovis positum, majestati regiæ consecravit.* Et paucis interjectis: *Alexander capta urbe cum in templum Iovis venisset jugum plaustri requisivit.* Semper plaustrum vocat. Quomodo & Arrianus ἅμαξαν. Verba ejus lib. II. de eadem re: Καὶ ἡμέσθη αὐτοῖς χρησμὸν, ὅτι ἅμακα ἄξει αὐτοῖς βασιλέα. Perperam Vulcanius: *Eos oraculo monitas fuisse, currum iis regem allaturum esse.* Ἅμαξα non *currus* est, sed *plaustrum. Currum* ἅρμα nominarunt. Atq; ita Arrianus in sequentibus: Semper vocat ἅμαξαν, quod Vulcanius semper *currum* reddidit. Parũ commodè, nisi *currum* de vehiculo quocunq;, ac sic plaustro etiam accipiamus. Quomodo & Cicero

Tuscu-

Tusculana I. ubi Cleobis historiam commemorat, vocavit currum quod est plaustrum aliis. *Cum*, inquit, *illam ad solenne & statum sacrificium curru vehi jus esset, juvenes ij ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus à filiis.* Nam ἅμαξα est etiam Plutarcho vita Alexandri: τῷ θρυλλουμένην ἅμαξαν εἶδεν (Ἀλέξανδρος) φλοιῷ κραναείας ἐνδεδεμένην. Porro plaustri usus magnus, forsitan & primus est in agris ad vehenda frumenta. Unde illud Virgilij II. Georg. ---- *Non ullo ex æquore cernas*

*Plura domum tardis decedere plaustra juvencis.*

Ubi *æquor* ager est frumentis aut segete abundans. Pari caussa sunt, qvi Græcè dictam putant ἅμαξαν. Eustathius Iliad. M. ubi ait, qvosdam ἅμαξαν vocare, διότι καὶ ἀπὸ τοῦ ἅμιλλον ἄγειν ἐτυμολογεῖται καλά τινας, *quoniam à quibusdam derivatur ab eo, quod messem vehat*, qvæ Græcis ἅμιλλα. Deinde stercus eis vehere solebant. Dixi supra, ubi de Arcadibus duobus egi, & carpentum dici à Palladio ostendi. Et hæc causa, qvare *sordidum* vocarit plaustrum lib. I. Valerius Maximus, c. 1. ubi de L. Furio, Vestales in arcem vehente: *Quare agreste illud & sordidum plaustrum tempestivè capax cujuslibet fulgentissimi triumphalis currus vel æquavit gloriam, vel antecessit.* Serviebat qvoqve aliis negotiis ruri, qvod est notum. Iisdem plaustris deportabant ex agris in urbem res venales venditasqve. Hujus generis memorantur vina. Hyginus de Icario & Erigone, fab. 130. *Liber Pater ad Icarium & Erigonem in hospitium liberale devenit, iis utrem plenum vini muneri dedit, jussitque, ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia & cane Mera in terram Atticam ad pastores devenit.* Habes hic plaustrum utre vini oneratum. Adhibebant & culeos. Unde *cullei vini Falerni* apud Jabolenum l. 17. ff. de Annuis Legatis. Ulpianus jungit utrumq; l. 3. ff. de tritico leg. *Vino legato, utres non debebuntur, nec culleos deberi dico.* His ergo culleis qvoq; onusta habebant plaustra, sicut liqvet ex imagine superius ex monumento veteri, qvod Romæ cernitur, proposita. Ibi namq; plaustrum est cum tali culleo. Et docet Plinius lib. VII. c. 20. ubi ait: *A. Iulius Valens meruit in Prætorio divi Augusti, Centurio, vehicula culleis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus.* Loqvi-

tur de plaustris, qvæ hic generali voce nominat vehicula, vel qvia vehicula ex genere plaustrorum fuere. Hæc sustinuisse ait Valentem, onusta culleis, id est, sublata manibus in altum, donec exinanirentur illi culei vino pleni, vel oleo, (nam & oleum iis vehebant) qvod esset venditum Romæ. Romæ namq; versabatur in Prætorio. Ibi ergo culei exinaniri debebant. Fiebat hoc autem vino vel oleo ex agris Romam devecto plaustris, & vendito. De oleo culeis includi solito cognoscimus ex Festo, qvando voce *culiola* sic ait: *Culiola cortices nucum viridium, dicta à similitudine culeorum, quibus vinum sive oleum continetur.* Plaustris etiam vehebant lapides. Docet Varro, qvando plaustrum ait dictum, *quod perlucent lapides, asseres, tigna.* Sicut vidimus jam in superioribus. Itaq; de plaustro est intelligendum illud Juvenalis Sat. III.

*Nam si procubuit, qui saxa Liguſtica portat*
*Axis, & eversum fudit super agmina montem,*
*Quid supereſt de corporibus?* -- ---

Et bene hic Lubinus: *Axis, id est plaustrum ipsum, pars pro toto.* Ostendit autem Juvenalis, vectos hos lapides sæpe cum periculo prætereuntium, qvoniam, everso vehiculo delapsi, obvios proterebant. Et hæc caussa legis ab Adriano latæ, ne deinceps per urbem plaustra ejuscemodi ducerentur. Spartianus in Adriano, cap. 22. *Vehicula cum ingentibus sarcinis urbem ingredi prohibuit.* Nempe ingens Romæ fuit multitudo hominum; Ergo pressi turba periculum hoc evitare neqvibant. Vocat autem *ingentes sarcinas*, onera ista magni ponderis, ut saxa, qvæ ob molem magnitudinemq; Juvenalis appellavit *montes*. Pari modo ferebantur lapideæ columnæ. Docet apud Fabium Triarius lib. V. Inst. cap. 13. ubi *Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixit.* Pertinent huc *asseres tignaque*, supra nominata Varroni, integræq; arbores. Nam & has per urbem vehere consveverant, qvod testatur Juvenalis idem dicto loco, ubi ait: -- -- -- -- -- *Atque altera pinum*
*Plaustra vehunt, nutant altæ, populoque minantur.*

Et fuit solennis plaustrorum usus ad portandas arbores cæsas, qvod ex Virgilio cognoscimus, qvando ait lib. XI.

*Ferro*

-- -- *Ferro sonat alta bipenni*
*Fraxinus: Evertunt actas ad sydera pinus.*
*Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,*
*Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.*

Ubi Servius *gementia* intelligit *sub pondere*. Nempe, si gravata sunt, sonum edunt, qvi est instar gemitus. *Stridentia* ob hanc causam dixit I II. Georg. Plaustra ipsa verò *gravia*, eodem libro:

*Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris.*

Philargir. *Gravibus aut epitheton est plaustrorum, aut gravibus, onustis dixit*. Dubitat, sed revera loqvitur de onustis. Ad hæc enim ducenda nisu majore opus, qvi fœtis eqvabus potest esse damnosus. Sunt autem *onusta plaustra*, oneribus sarcinisq; completa. Ita Plinius loco supra laudato dixit *vehicula culeis onusta*. Capitolinus in Maximino cap. 6. *rhedam onustam*. Contraria his sunt *inania*. Sic enim appellat Varro, qvibus nihil oneris incumbit. Verba extant lib. I. R. R. cap. 20. *Instituendum, ut inania primum ducant plaustra, & si possis, per vicum aut oppidum*. Columella nominavit *vacua* lib. VI. cap. 2. ubi de eadem re: *Post ejusmodi experimenta vacuo plostro subjungendi*. Porro & in bellis usus plaustrorum fuit: Iis namq; sarcinas vehebant. Inde habes apud Pollucem lib. I. cap. 10. Χρεία δ' εἰς τὸς πολέμους ἐπισκευαζομένων βοῶν ὑφ' ἁμάξαις. *Ad bellum opus est bobus ad currus*. Et declarat pluribus Mauritius noster lib. XII. Tact. cap. 18. Vehebant autem iis Græci qvidem cum alia, tum ipsa graviora sua arma, saltem posterioribus temporibus. Mauritius dicto loco: Ἐὰν δὲ ἐχθροὶ πλησίον ὦσι, τὰ ὅπλα αὐτῶν βαστάζοντας τὸς ὁπλίτας περιπατεῖν, καὶ μὴ εἰς τὰς ἁμάξας τάυτας καταλιμπάνειν, ἵνα ὦσιν ἕτοιμοι πρὸς πᾶν μάχην. *Si appropinquent hostes, graviter armati debent incedere, gestantes arma sua, nec ea relinquere in vehiculis, quo sint parati ad prælium*. Dicit manifestè, tum non relinqvere in vehiculis debere, qvia nempe alias relinqvebant. Neq; scio satis, annon aliqvando Romanorum qvoq; illa consvetudo fuerit. Lego sanè apud Tacitum vehicula onerata armis lib. I. Hist. cap. 80. *Septimam decimam cohortem è colonia Hostiensi in urbem acciri Otho jusserat, armandæ ejus cura Vario Crispino, Tribuno è prætorianis, data. Is quo magis vacuus, quietis castris*

*jussa*

*jussa exsequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario jubet.* Armis onerata hæc vehicula ex eo patet, qvoniam ad oneranda ea est apertum armamentarium. Porro, armamentarium in castris fuit. Ibi arma clausa, si ab hoste nullum periculum: Inde prompta, cum necessitas reqvireret. Idem Tacitus dicti libri cap. 38. *Aperiri deinde armamentarium jussit; Rapta statim arma, sine more & ordine militiæ.* Armis igitur onerata vehicula, &, qvod discas ex hoc loco, ad hos similesqve usus habita in cohortibus, unde *cohortis vehicula* nuncupantur. Hæc vehicula partem maximam constituebant sarcinarum militarium & impedimentorum. Unde apud Curtium *arma ferri* dicuntur *in sarcinis.* Verba lib. V. cap. 11. *Patron autem, Græcorum Dux, præcepit suis, ut arma, quæ in sarcinis antea ferebantur, induerent.* Ex qvo loco simul discimus, Græcorum qvoq; veterum hanc consvetudinem fuisse. Præter arma verò communia reperio præsertim balistas in eis. Mauritius noster iterum: Τὰς ὑ βαλισροφόρες (sic edi debuit) ἁμάξας δι' ὅλε μὲν καταμερίζειν τὸ διασήμαλ. *Debent plaustra balistas portantia per intervallum totum dividi.* Meminit & Orbicius: Ὑπάρξει δὲ τῆς τάξεως τὸ ῥαδίως φονέυειν τὲς πολεμίες, εἴ ὅπι ἁμαξῶν βαλίσρας ἔχοιεν ἐκ τῶν τεσσάρων πλευρῶν. Nos sic reddidimus: *Conducet autem huic dispositioni, ad facilius occidendum hostes, si super vehicula balliſtas habeant ex quatuor lateribus constitutas.* Rigaltius reddidit *balistas ex quatuor lateribus ferientes,* qvod parum convenire dixi jam in meis Notis. Ecvidem invenio & balistam, *omni latere in hostem sagittas impellentem,* apud Auctorem veterem de Rebus Bellicis, titulo *Balistæ quadrirotis* insignitam. Verum ea huc non facit, neq; propriè loqvendo est βαλίσρα ἐπὶ ἁμάξης, cum ibi non sit plaustrum, vehens ipsam, sed *subjecta* solum *rotarum quatuor facilitate* promoveatur, uti loqvitur is ipse, qvi describit. Alias & sarcinas reliqvas in vehiculis habebant. Qvanqvam, qvi severiores apud Romanos essent Duces, id prohiberent. Qvod & apud Græcos factum, memoratq; de Philippo Macedonum Frontinus lib. IV. cap. 1. *cum primum exercitum constitueret, vehiculorum usum omnibus interdixisse.* Unde tamen colligas, ante Philippum habuisse. Qvemadmodum & apud Romanos

non

non ignotum omnino usum eorum, ex columnæ Trajani imaginibus cognoscimus fuisse. Quanquam hæc vehicula magis ad pedites, quam equites pertinuisse videantur. Leo certe ipsis tribuit c. 10. ubi ait: Ταῦτα μὲν οὖν περὶ τῶν τέλσθε, εἴτε ἐν ἁμάξαις μετὰ πεζικῆς φαλάγγος, εἴτε ἐν σαγμαρίοις μετὰ καβαλλαρίων. *Hæc quidem de impedimentis, sive sint in plaustris cum exercitu pedestri, sive in sagmariis cum equitibus.* Plaustra seorsum peditibus attribuit. Fuit alius etiam plaustrorum usus in bello ad vehendas naves, quibus superari debent flumina, de quo Vegetius lib. III. c. 7. *Commodius repertum est, ut monoxylos, hoc est, paulo latiores scaphulas ex singulis trabibus excavatas pro genere ligni & subtilitate levissima carpentis secum portet exercitus, tabulatis pariter & clavis ferreis præparatis.* Meminit & Ammianus lib. XIV. *Subjectis ignibus exuri jusserat naves, præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus, dispositi vehi carpentis.* Uterq; vehiculis ostendit vectas, quæ *carpenta* vocant, sed intelligunt *plaustra*. Ita namq; consveverunt, uti alias ostendi. Curtius lib. VIII. c. 10. *Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxere naves, ut solutæ plaustris vehi possent.* Ac hic quidem primus propriusq; plaustrorum fuit usus. Solebant tamen interdum non onera modo imponere ipsis, sed & ad transvectionem hominum usurpare, rustici præsertim & agrestes. Testatur de L. Furio Albino Valerius Maximus, uti jam supra vidimus. Sic enim ait lib. I. c. 1. *Vestales descendere incipientes L. Albinus plaustro conjugem & liberos vehens aspexit.* Pari modo Gordius plaustro vectus, teste Justino lib. XI. c. 7. *Iubentur eum regem observare, quem reversi primum in templum Iovis euntem plaustro reperissent. Obvius illis Gordius fuit, statimq; eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iovis positum majestati regiæ consecravit.* quibus verbis observamus, idem esse *vehere plaustro*, & *ire plaustro*, porro *vehere plaustro* passivam significationem habere, notareq; illum, qui plaustro insidens, huc illucq; portatur, quomodo *adolescentiam quadrigis vehentem* Cicero de Cl. Orat. & de Nat. Deor. *Tritonem natantibus invehentem belluis* usurpavit, quod jam Berneggerus indicavit. Idem igitur & *ire plaustro*, pro quo *ire bobus*

*junctis* legimus apud Servium ad Virgilij Georg. III. v. 533. *Quum mos esset sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa* &c. Nam per *boves junctos* plaustrum intelligit, sicut Virgilius per *equos junctos* currum lib. XII. Æn.

-- *Prima in prælia junctos*
*Conscendebat equos* --

Pro plaustro etiam *mulos junctos* usurpavit Columella lib. II. c. 22. *Arbores serendi caussa, collo, vel mulo clitellario afferre, sed juncto advehere non permittitur.* Male *junctum mulum* explicant de eo, *qui jugo adsvevit*, nec enim de sveto, vel non sveto agitur, sed de eo qui cum alio junctus est ad plaustrum. Ideo dicitur *advehere*, opponiturq; *clitellario*, qui non tam advehit quam *affert*. Juncti ergo muli sive boves plaustra denotant, & ire bobus junctis, sive plaustro, eo vehi. Quomodo iviſſe Gordius adhuc rusticus memoratur. Quanquam non Gordium modo, sed & uxorem ejus, Midamque filium eo vectum scribat Arrianus, neq; Gordium factum regem, verum Midam. Verba ejus lib. II. Ἔτι δὲ περὶ αὐτῶν τούτων βουλευομένοις, ἐλθεῖν τὸν Μίδαν ὁμοῦ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ, καὶ ἐπισχεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτῇ ἁμάξῃ. *His adhuc de rebus inter se consultantibus supervenisse Midam una cum patre ac matre, cumq; plaustro substitisse apud congregatos.* Sic expono ista. Vulcanius: *ipsumq; currui insidentem concilium Talmissensium adiisse.* Quasi non & cæteri insederint. Sed nec id concilium adivit, verum ibi substitit, forsitan ut se cum suis, jumentisq; reficeret. Hoc enim vult τὸ ἐπισχεῖν. Quicquid vero sit de Mida, istoc constat, Gordium cum pluribus plaustro esse vectum. Neq; tamen agrestes soli genere hoc utebantur, sed & alij. Apud Argivos sacerdos. Junonis non alio incedere vehiculo, cum sacra essent procuranda, fas habebat. Herodotus lib. I. Ἐούσης ἑορτῆς τῇ Ἥρῃ τοῖσι Ἀργείοισι, ἔδεε πάντως τὴν μητέρα αὐτῶν ζεύγεϊ κομισθῆναι ἐς τὸ ἱρόν. *Cum dies festus Junonis apud Argivos esset, oportebat omnino matrem horum* (Cleobis & Bitonis) *ad templum ferri bobus junctis.* Ita explicat hunc locum Valla, nec inepte, licet nil de bobus in his verbis, & id solum dicatur, vehiculo eam debuisse uti. Nam sequitur, unde hoc constat: ἐπὶ τῆς ἁμάξης δέ σφι ὀχέεσθαι ἡ μήτηρ. *Mater namq; plaustro vehebat-*

*hebatur*. Similis consvetudo mulierum Atticarum ad Eleusina sacra proficiscentium. Scholiastes Aristophanis: Αἱ τῶν Ἀθηναίων γυναῖκες ἐπὶ ἁμαξῶν ὀχούμεναι εἰς τὰ μεγάλα Ἐλευσίνια ἀπήρχοντο. *Athenienssium mulieres plaustris vectæ ad magna Eleusinia proficiscebantur*. Solebant & in Bacchi sacris Poetæ vehi plaustris, multaque ex ijs ad risum composita carmina & dicteria jactare. Suidas in ἐξ ἁμάξης. Ἡ λεγομένη ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις Λήναια, ἐν ᾗ ἠγωνίζοντο οἱ ποιηταὶ συγγράφοντες τινὰ ἄσματα τῶ γελασθῆναι χάριν. Ὅπερ Δημοσθένης ἐξ ἁμάξης εἶπεν. Ἐφ' ἁμαξῶν γὰρ οἱ ἀοιδοὶ καθήμενοι ἔλεγόν τε καὶ ᾖδον τὸ ποιήματα. *Festum erat Athenis, Lenæa nomine, in quo Poetæ certabant inter se conscriptis carminibus quibusdam risus commovendi gratia. Qualia Demosthenes ex plaustro vocat; plaustris namq; insidentes ea pronunciare ac canere poemata solebant*. Puto autem, plaustris ubi voluisse, imitatione quadam agrestium, ut quæ dicerent, sicut crasse rusticeq;, ita libere ac simpliciter dici viderentur. Hoc enim ingenium agrestium, præcipue cum sunt onerati poculis. Atq; huc videtur pertinere, quod & alias in viis publicis dicteria & convicia ex plaustris jactitarent. Qua de re videri potest Scholiastes vetus Aristophanis in Nubibus ad vocem τρυγοδαίμονες, qui simul hinc natum censet proverbium, ἐξ ἁμάξης λαλεῖ, *è plaustro loqueris*, quod de iis usurpatur, qui sine pudore conviciis incessant alios. Sed de his non est hic agendi locus: & fecerunt jam, qui proverbia compilarunt. Nos quoq; alibi de his jam egimus.

## Cap. XX.

## De vehiculo & arcera.

*Vehiculum quid, speciali notione. Varro explicatur. Veha & vehes differunt. Vehes de certa mensura. Vehes vini, roboris. Columella explicatur. Vehela. Siccum plaustrum, vox nihili. Capitolinus emendatur & exponitur. Iac. Gothofredus notatur. Velatura, quid? vehatio. Sirpea ex junco. In Varrone conjectura. Strata sirpea. Sternere vehiculum. Ovidius corrigitur & explicatur. Sirpiculum. Scaliger notatur. Varro emendatur. Arcera. Scaliger denuo revellitur. Arcirma. Festi lectio vetus defenditur. Vehiculum ad fabas, sirpea ad stercus, arcera ad homines.*

CUm hucusq; generatim actum sit de plaustro; quasdam ejus species commemorabimus. Ex his primo est *Vehiculum*. Equidem vehiculum plerumq; usurpari de quocunq; genere consvevit. Inde habes *vehicula thensarum* apud Ciceronem in Verrina VII. & in Orat. pro Milone positum pro rheda legas. *Vehiculum & judiciale carpentum est* apud Vopiscum in Aureliano. Pari modo usurparunt *vehiculum rhedam*, unde *rhedarius vehicularius fabricator* apud Capitolinum in Maximo & Balbino. Tacitus XI. Annal. c. 32. habet *vehiculum, quo purgamenta hortorum eripiuntur*. Atq; sic invenias de alijs. Tamen observamus vehiculum etiam speciali notione usurpatum, docetq; manifestè Varro lib. IV. de L. L. ubi primo ait, locuturum se *de his, quæ jumenta ducunt*, deinde subdit tragulam, post sirpeam, tum venit ad vehiculum, & ait, *vehiculum, in quo faba aliudve quid vehitur, quod ex viminibus vieretur*. Ostendit ergo, vehiculum nec tragulam esse, nec sirpeam, ac ne arceram quidem, sive plaustrum, à quibus omnibus ibi distinguit, sed esse sui ac peculiaris generis. Est autem hoc vehiculum à *veha*. Varro supra indicato loco: *Brevis veha, vehiculum est*. Porro *veham* Osci appellabant *vejam*, erat autem *veja, plaustrum*. Festus: *Veja apud Oscos dicebatur plaustrum*. Jam si veja sive veha, plaustrum, vehiculum id erit, quod *plostellum* veteres dixere, hoc est plaustrum parvum. Ita namq; habes *plostellum Pœnicum* apud dictum Varronem lib. I. de R. R. cap. 52. Quam ob caussam dixi quoque, vehiculum de genere plaustrorum esse. At vero diversum facit à plaustro ipse ille Varro. Nempe Varro propriissima significatione plaustrum accipit de illo solo genere, quod ex omni parte palam est, & conspicienda facit, quæ in eo vehuntur. Atq; hujus generis vehiculum non fuit, sed contextum ex viminibus. Unde quoque Varro dixit ita nuncupatum. *Vehiculum*, ait, *quod ex viminibus vieretur*. Ita namque ibi lego, non ut habent editi, *quo ex viminibus uterentur*. Quanquam & ex ista lectione constet, ex viminibus texi consveviisse. Plaustrum fuit nudum, huic si ex viminibus imponebatur vas contextum, tum non *plaustrum*, sed *vehiculum* appellabatur. Quod si vas illud esset majus,

& ve-

& vehiculum longius, dicebatur *veha*, ut jam vidimus. A *veha*, nominata *vehes*, id est mensura, quantam capit veha, quod non observarunt magistri, qui simpliciter à *vehendo* deduxerunt. Atqui vehes non id tantum denotat, quod vehitur, sed quod vehitur certo genere, tantum ponderis aut mensuræ capaci. Quomodo vehes stercoris est octoginta modiorum. Columella R. R. lib. XI. c. 2. *Vehes stercoris habet modios octoginta.* Idem observarunt & in lignis vel materia. Sic robur dedolata pedum viginti, pinus viginti quinque, ulmus & fraxinus triginta vehem dicebantur constituere. Idem auctor paulo ante: *Materias si roborea est, ab uno fabro dolari ad unguem per quadrata debet pedum XX. hæc erit vehis una. Pinus autem V. & XX. pedum æque ab uno expeditur, quæ & ipsa vehis dicitur. Nec minus ulmus & fraxinus pedum XXX. cupressus autem pedum* XL. *tum etiam sexagenum pedum abies atq; populus singulis operis ad unguem quadrantur, atq; omnes hæ mensuræ similiter vehes appellantur.* Ubi nota, aliter definiri vehem pini, aliter roboris ac generis alterius, quod existimo propterea factum, quia non est pondus omnibus æquale, ac sic longior cupressus, quam vel fraxinus, vel ulmus, vel pinus veha gestari deferriq; potuit. Et hæc quidē vehes multū differens à veha, cum hæc instrumentū sit, illa instrumenti mensura. Ex *vehe* nihil; at ex *veha, vehiculū*, pro quo credo & *vehelam* usurpasse. Julius Capitolinus in Maximinis, cap. 13. *Sine delicto Consulares viros & Duces multos cum interimeret, alios siccis vehelis exhiberet, alios in custodia detineret, nihil denique prætermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari, contra eum defectionem pararunt.* Ita legit locum hunc Salmasius, cum vulgati habeant *Scythicis vehiculis*, atq; addit: *Optimus liber vehelis hoc loco legit, pro vehiculis. Sic autem à veho, vehela, ut custodela à custodio, loquela à loquor, sequela à sequor. Vehelas igitur hic plaustra interpretor, quibus temerè impositos reos exhiberi sibi jubebat Maximinus. Siccas autem vehelas pro nudis dixit, & nullo vestimento instratis vel solis sine ullo comitatu servitiorum.* Hæc Salmasius. Ubi tamen æqvè bene, uti arbitror, à *veha* derivare possumus *vehelam*, ac à *veho*, cum eodem modo à *custodia* fit *custodela*, à *Svada, svadela*, à *canna, cannela*. Sed & qvod de plaustris

seu *vehelis siccis* differit, ignoro, an assensum mereatur. *Siccum* sanè positum pro *nudo* an occurrat alibi, haud scio. Et videtur ipsa rei ratio repugnare. *Siccum* namq; τὸ ξηρὸν, ut reddunt Glossæ. Nonius cap. 4. exponit *aridum & sine humore*, item *sobrium* aut *firmum*, qvorum neutrum qvadrat ad præsentia. Nec enim, qvod humore destitutum, destitutum etiam consortio: Neqve inter consortium & humorem aliqva similitudo est. Qvare mihi qvidem pro *siccis*, qvod occurrit in antiqvis, etiam Palatinis, legendum *citis* videtur. Scilicet τῶ *citis* primum ex præcedenti voce *alios*, adhæsit *S*, ita dein factum *Scitis*; Qvod cum ineptus librarius scriptum per compendium putaret, explendo, qvod nempe deerat, confecit *Sciticis* & *Scythicis*. Alius ex *scitis* fecit per ineptam transpositionem *fictis*, cumq; *c* & *t* in Manuscr. litteræ sint affines, alius putavit esse *siccis*. Est autem *cita vehela* optimè dicta pro celeri, festina, optimèq; apponitur seqventi, *in custodia detinuit*. Hoc enim vult, alios longo tempore continuisse in vinculis, ac ne cognoscere qvidem causam eorum, vel audire ipsos voluisse. Alios contra ad se deferri vehiculis, qvanta posset festinatione, præcepisse. Hoc modo *currus citos* usurpavit Seneca in Hippoliti Act. IV. v. 1074.

-- -- -- -- *Haud aliter citos*
*Currus gubernat.* -- -- --

Et apud Catullum Epigr. 52. inveniuntur *citæ bigæ*.

*Non Rhæsi niveæ citæque bigæ.*

Qvicqvid autem sit de lectione, illud pæne constat *vehelam* esse apud Capitolinum, qvod apud alios *vehiculum*. Ut proin confundere vir celeberrimus cum vehatione, vehatura, velatura non debuerit. Sic autem ait in Notis ad l. 3. lib. XIV. Cod. Theodos. t. 6. *Vehatio est vectura, quæ fit vehibus, seu vehatura, ut etiam vocatur apud Festum, vel, ut nonnulli malunt, velatura. Denique vehela, quam vocem restituit Salmasius Capitolino in Maximinis.* Malè censet idem esse *vehelam*, & *velaturam*. *Vehela* namq; vehiculum est, vel, ut doctè ait Salmasius, plaustrum. At verò *velatura* vehendi negotium, qvod vehelis perficitur. Alio nomine *vecturam* explicat, & rectè. Qvod verò vecturam scribit *vehibus* fieri, id qvoq; parum conve-

convenit: Debuisset enim *vehis* scribere. Sed nimirum non distinxit inter *veham* & *vehem*, sicut multi alii, qvod tamen necesse esse supra planum fecimus. Qvæ vectura est seu velatura, eadem est & *vehatio*, qvod ipse vir doctissimus agnoscit. Igitur non debuit *vehelam* in Notis, & deterius in Indice, *plaustri genus* explicare. Vehatio non plaustri genus est, sed vectura, qvod ostendit ipsa lex, in qva fit mentio vehationis. Verba sunt hujusmodi: *Hujus autem vehationis ita sit ratio partita, ut mille quinquaginta onera formis, alia sartis tectis annua deputentur.* In his verbis *onera* sunt, qvæ in verbis præcedentibus sunt *vehes*, qvod agnoscit ipse doctissimus Gothofredus. Porro, talium seu onerum seu vehum mille qvinqvaginta uni lex tribuit vehationi. Ergo fieri non potest, ut vehatio sit vehela, cum vehela unam tantum veham sive unum onus capiat, proprièqve *onus* sive *vehes* appelletur, qvantum veha seu vehela contineri potest. Verum nobis ad vehiculum est redeundum, de qvo jam ex Varrone observavimus, qvod ex viminibus fuerit confectum. Sed qvæ illa vimina? Num virgæ hic intelligendæ, qvales salicis, coryli, ac similium? At verò virgæ pertinent ad sirpeas. Varro: *Sirpea, quæ virgis sirpatur, id est, colligando implicatur. Vehiculum, quo ex viminibus uterentur.* Sirpeas vult factas ex virgis, vehicula ex viminibus. Atqvi virgæ qvoq; vimina. Sunt enim *vimina* sic à *viendo* dicta. *Viere*, porro, *inflectere, vincire, ligare*, Græcis πλέκειν, ut qvæcunqve sic ligari ac inflecti consveverunt, & à Græcis πλέγματα vocantur, ea sint & vimina. Porro, talia vel præcipuè sunt virgæ, qvales salicis, betuli, coryli ac ejusmodi. Ut, si diversa esse à vehiculo sirpea debuit, ea ex virgis colligata esse non potuerit. Et profectò *sirpea* est à *sirpo*, qvod nemo non intelligit. Porrò, *sirpus* Græcè σχοῖνος, id est, *juncus*. Glossæ veteres: *Iuncus*, σχοῖνος. Ita sirpea non sic generatim erit ex viminibus, sed junco sirpata. Unde qvoq; in suspicionem venio, qvasi Varro scripserit, *sirpea, quæ sirpis sirpatur*, & non, *quæ virgis*. Possis qvoq; *scirpis* legere. Nam in eo Vossio assentiendum, qvod sit idem *sirpus*, atq; *scirpus*. Et de scirpo Festus: *Scirpus est id, quod in palustribus locis nascitur, leve & procerum, unde tegetes sunt.* Ubi nota, tegetes ex scirpo fieri consveviſſe, qvod

qvod & Plinius confirmat lib. XVI. cap. 37. *Scirpi fragiles paluſtresque ad tegulum tegetesque.* Hinc enim & ſirpea, qva tegebatur plauſtrum. Ovidius lib. VI. Faſtor.

*At Dominus, diſcedite, ait, plauſtroque morantes*
*Suſtulit, in plauſtro ſirpea ſtrata fuit.*

Sic legendum locum hunc, non, ut vulgo editur, *ſirpea lata*, monuit me Nobiliſſimus amiciſſimusqve Heinſius. Dicit ſirpeam fuiſſe *ſtratam* in plauſtro, qvod accipio de ſirpea ibi repoſita loco veſtium. Solebant enim veſtes imponere vehiculis, ut melius & mollius in eis ſederent, idq; *ſternere vehiculum* vocabant. Gellius lib. XX. cap. I. *Arcera vocabatur ploſtrum, quaſi arca quædam magna veſtimentis inſtrata, qua nimis ægri aut ſenes portari cubantes ſolebant.* Vides, inſtratum veſtimentis ploſtrum, qvod cum fiebat, *ſterni* dicebatur. Lex duodecim tabularum eo ipſo loco: *Si nolet, arceram ne ſternito.* Hinc ergo *ſtratum vehiculum*, veſtibus inſtratum. Verum loco veſtium agreſtes adhibebant ſirpeam, id eſt, πλέγμα ſeu contextum ex juncis, qvod Feſtus Pliniusq; *tegetem* appellant, recentiores vocant *mattam.* Talis ſirpea in Ovidiano plauſtro fuit ſtrata. Niſi retenta lectione veteri exiſtimamus ſirpeam *latam* eſſe dictam in oppoſitione rotundæ, ac ſignificare planam, qvalis matta eſſe conſvevit: Cum rotunda ſit in orbem flexa contextaq; corbis inſtar. *Sirpiculum* profectò apud Columellam corbis eſt, in qvem colliguntur flores, lib. X. -- -- *Cano jam vimine textum*
*Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.*

Qvare ſirpea corbem aliqvando denotabit majorem, cujus cum rotunda ſit figura, poteſt alteram ſirpeam Ovidius differentiæ cauſa nominaſſe *latam.* Nempe duplices fuere ſirpeæ, aliæ latæ inſtar veſtis, ad inſternendum integendumqve, aliæ rotundæ vel qvadratæ, ad continendum. Ita habes *ſirpeas ſtercorarias* apud Catonem de R. R. cap. 10. qvibus ſtercus continebatur. Hæ latæ neqviverunt eſſe. Ergo inſtar corbium rotundæ vel qvadratæ. Imponebantur autem ambæ plauſtris; Latæ, qvando in eis ſedere deberent homines; Alterius generis, qvando evehendum ſtercus, vel id genus. Qvãqvã ratio poſterior lõgè fuerit freqvẽtior, cũ ferè ſemper


ſirpeæ

sirpeæ de ea exponantur. Dixi, sirpeas impositas, & impositas esse plaustris. Docet manifestè locus Ovidii, superius allatus, in qvo clarè dicitur fuisse sirpea *IN plaustro*. Qvære sirpea non fuit plaustrum, sed nec distinctum à plaustro genus vehiculi, qvando propriè loqvendum, sic enim *in plaustro* esse neqviviſſet, verum aliqvid, qvod vehiculo imponebatur. Contra qvidem Scaliger in Conjectaneis ad Varronem: *Sirpea: Lucilius: Tintinnabulum abest hinc sirpiculæque olerorum. Est autem vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, sirpea, aut sirpiculæ & tintinnabulum.* Malè tamen sirpeam facit vehiculum, si vehiculum intelligas pro eo, qvod incedit rotis. Non enim vehiculum fuit, verum pars illius. Qvod ostendit ipse, qvando vocat *vehem ex crate*. Vehem enim hic intelligit, qvæ est, diciq; debet veha. Porro, veha plaustrum, ut est supra indicatum, qvod profectò nunqvam est ex crate. Id, qvod ex crate fuit, plaustro imponebatur. Sirpea igitur non fuit vehiculum, nec veha, multoq; minus vehes ex crate, verum ipsa crates. Neq; alia est causſa, cur sit dicta sirpea. *Sirpeus* nimirum adjectivum est à *sirpo*, propriè q; id significat, qvod est ex sirpis, id est, scirpis, qvomodo & à *scrupo* est *scrupeus*. Ergo sirpea per se nihil notat, verum in respectu substantivi, qvod in ea intelligitur. Id verò aliud non potest dari, qvam crates. Crates nempe notat in commune πλέγμα cujuscunq; generis. Erat porro alia ex aliis contexta rebus, una ex sirpo, qvæ proinde *crates sirpea*, & omisso substantivo, sicut fit in plurimis, *sirpea* est dicta. Talis sirpea imponi plaustro consvevit. Unde postea fiebat, ut non plaustrum amplius, (id enim nihil tale habuit impositum) sed sirpea nominaretur. Qvod si crates esset aliis ex viminibus, tum non sirpea dicebatur plaustrum, cui imponebatur, sed *vehiculum* aut *veha*. Et hanc puto veram esse utriusq; generis differentiam. Nam alias non minus sirpea ex viminibus, qvam vehiculum. Docet Columella, qvando in superioribus *vimine textum sirpiculum* memoravit. Item Varro, qvando ita ait lib. I. R. R. cap. 23. *Alia alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo,* (ita malo, pro *utendo*) *quid faciæs, ut sirpeas.* Ut sic inter vehiculum & sirpeam non ea fuerit differentia, qvod vehiculum fieret ex vimi-

nibus, sirpea ex virgis, sed quod sirpea ex sirpis, vehiculum non ex sirpis, verum aliis viminibus. Atq; sic intelligendum & legendum Varronem existimo. Sed interdum loco cratis ex sirpo aut viminibus aliis, plaustro imponebatur capsa ex tabulis ligneis conjuncta: atq; tum appellabatur *arcera*. Nam arcera, sicut ait Varro, *quod ex tabuleis vehiculum erat factum ut arca*. Vocat hic vehiculum, arceram, non quod per se vehiculum fuerit, sed quod impositum vehiculo dederit nomen, tanquam pars, per quam ab aliis, sirpea & similibus distingueretur. Quomodo & plaustrum appellavit Cæcilius apud Gellium lib. XX. c. 1. *Arcera vocabatur plostrum tectum undiq; & munitum quasi arca quædam magna*. Plostrum proprie non erat tectum sed apertum, ut quod omnia palam haberet, quæ in eo vehebantur, sicut sæpe diximus. Arcera igitur per se ac proprie non fuit plostrum. Dicitur tamen plostrum, quia plostro fuit imposita. Ideo & *plostrum tectum* dixit Cæcilius itemque *munitum*, tabulis existimo ut Varro docet. Atque hoc est triplex plaustrum, de quo dicere constituimus; *Vehiculum* videlicet *sirpea*, & *arcera*: Vehiculum, quod contextum erat ex viminibus, sirpea quod ex sirpo scirpove, arcera, quod ex tabulis. Quanquam de arcera mens sit alia Scaligeri. Sic enim habet in verborum Etymologia, subdita Conjectaneis in Varronem. *Arcerra, ab ad & carrus. Id erit ad verbum, epiredium, spuria & hibrida voce. Arcerra, pro adcerra, ut arvenire, arcedere*. Ita Scaliger, in quibus sunt non pauca dubia & incerta. Nam primo nunquam in vetustis libris est *arcerra* geminata littera, sed semper una simpliciq; *arcera*, quod ad aream, quam ad currum propius accedit. Dicas, veteres non geminasse litteras, cur ergo, si à *currus* est, non dixerunt *arcerrus*, vel *arcerus*, sed *arcera*? Jam quid est *ad currus*? Respondetur, quod est *epiredium*. Quasi currus idem sit & rheda. Si à rheda, epiredium, ad arcerram nihil pertinebit, quia multum inter sese differunt currus atq; rheda. Verum alias de epiredio. De arcera dubitate vix valemus, quin ab arca sit, propterea, quia fuit ex tabulis, quia fuit clausa tectaque, quale nil ad rhedam epirediumve pertinet. Addit ad postremum Scaliger: *nisi sit eadem origo cum arcirma*. Quod haud

haud paulo melius videtur, quando & *arcirma* est de genere plaustrorum. *Festus: Arcirma genus plaustri est modici, quod homo gestare possit.* Ita habent Manuscripti veteres, non *arcuma*, nec, *quo homo gestari possit.* Et *arcirmæ* quidem vocem rectam esse inde etiam colligitur, quod eandem retinet Onomasticon vetus Argentoratense, in quo pariter ἅμαξα, id est *plaustrum* explicatur. Quod vero dicitur ab uno posse gestari, id quam bene sese habeat, ignoro. Plaustra saltem non gestantur, sed trahuntur, cum instructa rotis fuerint, qualia gestari prorsus inconveniens apparet. Nisi arbitramur, ista esse addita, non ut ostendant, quomodo id plaustri genus promoveri possit soleatve, sed quam exigua fuerit ejus magnitudo. Sanę quomodo ex eo vehiculum quodcunq; modicum ostendi, quia illo homo possit gestari, necesse sit, ego quidem haud intelligo. Nam & maximo vehiculo gestari homo potest. Debuisset saltem Festus scribere, *quo unicus tantum homo gestari possit*, sic ad rem dixisset aliquid. Jam cum nihil hujus generis apud Festum occurrat, nondum consentire possum nec in lectionem vulgatam, nec in ejus explicationem. Mihi manet potius arcirma plaustrum tam minutum, ut & homo possit tollere in humeros, ac si necesse sit, gestare. Potuitq; Festus respexisse ista explicatione sua ad locum aliquem scriptoris veteris, ubi tale quidpiam de arcirma legebatur. Quomodo in non paucis aliis ab eo factum norunt, qui diligentius inspexerunt. Deniq; *arcirma* mihi plane ab *arca* videtur derivata, nec innuere nisi tale genus, quod *arcerā* appellarunt, nisi quod minutum esset. Sed quis usus fuit prædictorū generum? Etiam hoc novimus ex Varrone, quando vehiculum quidē scribit adhibitum ad fabas devehendas. *Vehiculum, in quo faba, aliudve quid vehitur.* Primum fabam nominat, post & aliud quid quo puto intelligere legumina similia. At vero sirpeam ait adhibitam ad evehendum stercus. *Sirpea, in qua stercus, aliudve quid evehitur.* Fuit igitur opinione Varronis vehiculum honestius paulo, sirpea inhonestius. Vehiculum pertinuit ad vehendum sirpea ad evehendum. In illo portabantur fabæ aliaq; usibus humanis necessaria, in

hac ſtercus, aliaq; rejicula & non utilia. Sed hæc differentia non eſt perpetua. Nam apud Tacitum habemus *vehiculum, quo purgamenta hortorum eripiuntur*: & contra apud Lucilium *ſirpiculas olerorum*. Quare Varro reſpexerit ad uſum horum non perpetuum, ſed frequentiorem. Sirpeas profecto adhiberi ſolitas ad ſtercus, quiſquilias, & purgamenta evehenda docet Cato quoque, quando in oleto requirit *ſirpeas ſtercorarias tres* C. IO. R. R. & in vinea *ſirpeam ſtercorariam unam* capite ſequenti. Sirpeæ quæ fuerit ſpecies, in antiquis monumentis nondum vidi: at vehiculi ſine dubio eſt iſta, quam ex monumento veteri exhibet Lucas Petus de Menſuris.



At vero arceræ uſus qualis fuerit, colligitur ex verbis Cæcilij apud Gellium loco in ſuperioribus laudato: *Arcera*, inquit, *vocabatur ploſtrum tectum undiq; ac munitum, quaſi arca quædam magna, veſtimentis inſtrata, qua nimis ægri aut ſenes portari cubantes ſolebant*. Monſtrat hiſce verbis primum, arceras pertinuiſſe ad vehendos homines, nec tamen quoslibet, verum ægros, qui non poſſent ambulare, aut ſenes. Deinde non ſediſſe in arceris, verum cubaſſe, atque ita ad cubandum fuiſſe paratas. Atq; hunc arceræ uſum docet quoq; lex duodecim tabularum, in qua ſic habetur apud dictum Gel-

Gellium: *Si in jus vocat, si morbus ævitasve vitium extitit, qui in jus vocabit, jumentum dato: si nolet arceram ne sternito.* Quæ verba sic Cæcilius exponit: *In jus vocato pauperrimo homini vel inopi, qui aut pedibus forte ægris esset, aut quo alio casu ingredi non quiret, plostrum esse dandum censuerunt: neque insterni tamen delicate arceram jusserunt, quoniam satis esset invalido hujusmodi vectaculum.* Discimus & ex his, arceram pertinuisse ad invalidos: sed quæ peculiaris observatio est, non omnes, verum pauperes, ac inopes. Nempe plaustrum arcere fuit, in quo vehi opulentiores minime solebant. Quod de senibus habetur in superioribus, id confirmari potest loco Varronis ex Gerunti didascalo, ubi ait: *Vehebatur enim cum uxore vehiculo, semel aut bis in anno, arcera.* De sene hic sermonem esse docet inscriptio libri, ex qua constat, totum ad ducendos senes fuisse paratum. Et sic Popma: *Senex ille unus hominum antiquorum scilicet, ita vegeto & firmo corpore erat, ut quamvis ætas licentiam daret utendi arcera, tamen ea raro vehiculo assidue veheretur.* Sed num solus hic arceræ fuit usus? Ego vix persvadeor. Quid enim? An si cui negotium evenit cum invalido inope, quo eum trahere in judicium posset, opus fuit, ut prius strueret arceram? Non opinor. Quin potius inter alia vehicula & arceras habuisse censeo. Scilicet quæ vehi debent, non ejusdem omnia sunt generis. Quædam simplici imponi possunt plaustro, ut asseres, tigna, saxa: quædam quia sunt minuta, contineri vase debent, ut sunt rapa, poma, olera, legumina. Et huc pertinent vel ex viminibus contexta vehicula, vel ex scirpo colligatæ sirpeæ. Quædam sunt adhuc fluidiora, ut ne tali quidem genere contineantur, sicuti e.g. arenæ. Ad hæc opus vase confecto è tabulis ligneis, undiq; tecto, & undiq; clauso, capsæ seu arcæ modo. Non igitur est dubium mihi, quin arceræ alius quoque apud veteres fuerit usus. Ac videtur posse demonstrari ex antiquo monumento, quod in descriptione ædium Barbarinarum prodit Telius p. 179. ista ratione.



Vehiculum quod hic exhibetur, plaustrum est, quod vel rotæ testantur. Porro ei non incumbit aliquid contextum ex virgultis, ut specialiori notione dici possit vehiculum, nec ex juncis, ut vocari queat sirpea, sed ex tabulis ligneis, quod arceræ proprium fuisse diximus. Itaq; vix dubitare possum, quin hæc species sit arceræ apud veteres, cum præsertim circumquaq; clausum sit, quod plaustro incumbit, speciemque arcæ pulchre præ se ferat. Jam si, quod existimo, hæc arcera fuit, patet utiq; adhibitas arceras etiam ad venationes, impositasq; illis captas feras. Nam venationem exhibet id monumentum integrum, uti omnia testantur. Atq; hoc fortassis est, quod voluit Seneca in Hippolito Actum I. v. 75.

-- *Fertur plaustro*
*Præda gementi. Tum rostra canes*
*Sanguine multo rubicunda gerunt.*

Adde

Adde cætera, nam convenientissima monumento habent, ac id totum veluti describunt. *Prædam* vocat capta per venationem animalia, ūti solent, qvod ad Phædrum pridem demonstravi. Hanc prædam ait ferri plaustro. Qvod si monumentum vetus attendimus, non de plaustro simplici accipiendum, sed de eo, qvod impositam habuit arceram, & ex eo arcera nominatum fuit. Verum supra diximus, arceras usurpatas ad minuta maximèqve fluida; qvale qvid censeri præda hic proposita non potest. Nempe alius est proprius arceræ usus, atq; id, cujus gratia fieri arceram primitus necesse fuit; Et alius illius usus adventitius, & id, qvod qvalibet obvia de causa ipsi potest imponi. Alias enim ne qvidem ægrotos imponere ipsis debuissent. Qvi tamen impositi huic generi vel ideò, qvia debiles certius ibi ac sine metu prolapsionis cubabant.

## Cap. XXI.

## De Benna.

*Benna. Cato explicatur & emendatur. Benna corbis. Bocharti sententia ponderatur. Vossius rejicitur, & Scaliger. Benna Gallorum. Festus defenditur. Benna tecta. Bennarius. Bennæ ad bella. Σκύταρχαι. Combennones. Convennit. Glossæ explicantur contra Scaligerum. In benna pugnatores plures.*

SUpereſt adhuc genus unum cum duabus rotis, qvod à Gallis *benna* nuncupatum. Gallicam enim vocem esse discimus ex Festo, qvi sic habet: *Benna lingva Gallica genus vehiculi appellatur.* Invenimus tamen ea usum etiam Catonem libro de R. R. cap. 23. ubi inter alia: *Cum pluet, qualia parentur, farciantur, far molatur, bennæ emantur.* Frustra sunt, qvi aliud vocabulum substituunt, ac facilè consensu codicum & optimorum & antiqvissimorum rejiciuntur. Dicas, qvid hic agit vehiculum, & qvomodo huc potest pertinere, ac referri inter ea, qvæ opus sunt ad vindemiam, & ideò paranda? Nam de talibus toto eo capite est sermo. Scilicet non semper benna est vehiculum, sed interdum corbis longior è viminibus contexta colligataqve, qvalis utiq; in vindemia est utilis & necessaria. Neq; bennam aliam Cato intellexit isto loco, ut proinde nulla hic sit difficultas. Illud magis cogitandum, qvare Cato dicat, bennas illas

illas emendas, cum pluet. An tum rectius, noſcuntur, aut inveniuntur facilius, aut vilius emuntur? Nihil horum, neqve ad emendas bennas qvidqvam tempus pluvium conducit, non magis, qvam ad alias res emendas. Vitium eſt in ſcriptura, legendumqve, *benna vieantur*. Dicit toto eo capite, qvid tempore vindemiæ parandũ. Sed qvia ſæpe pluviæ tum cadunt, ideò ſeorſum docet, qvid tum poſſit fieri, ne tempus ullum perdatur. Inter alia & bennas ait poſſe vieri, hoc eſt, ex viminibus contexi. Nam ex viminibus factas paulò poſt monſtrabo: Propriè autem *vieri* dicuntur, qvæ plectuntur ex viminibus. Feſtus: *Viere, alligare, unde vimina, & vaſa vimínea.* Illud *vieantur* transmutatum eſt in *emantur*, qvia ſcriptum fuit *uieantur*, tribus ab initio lineolis, ſine ſigno, qvo in apice notari *u* & *i* ſveverunt, ſicut fit in Manuſcr. Id enim nonnemo legit *meantur*, ac, ut vitioſum, & laborans litterarum transpoſitione, per *emantur* corrigendum putavit. Cæterum, ſi benna, de qva nobis eſt agendum, Gallicum vocabulum, qvæ ſit ratio illius, cogitandum. Primum autem obſervari poterit, qvod *bennæ* nomen hodieqve ſit in uſu Belgis, qvi apud veteres Gallis annumerari ſolebant, uti vel ex Cæſare eſt notum. Voſſius in Gloſſario: *Benne hodieque Belgis corbis, ciſta, vehiculum vimineum quadratum.* Qvæ Belgarum, eadem & meorum per Alſatiam popularium eſt conſvetudo, nam & ipſi *bennas* vocant vehicula, qvibus textæ corbes ex viminibus impoſitæ, nihilq; notius inter eos, ſive uſitatius. Jam ſi explorabimus, qvæ vocis hujus apud Alſatos Belgasqve ſit origo, apparebit utiqve, ſic eſſe dictas *bennas* à Binnen ſive Binden/ qvod *ligare, colligare* denotat. Sic enim & Bändel nominant, itemq; Gebänd/ qvod Latinis *ligamentum*. Nempe, ut jam ſupra dixi, benna fuit combinata contextaq; ex viminibus. Hanc igitur ob cauſſam, qvia combinata fuit, *benna* dicebatur. Atq; iſtoc qvidem mihi vero propius videtur, qvam qvod traditum à viro ſummo lib. I. Geogr. Sacr. P. II. cap. 42. qvaſi veniat ab Hebræo *ophanim*. Nec enim eſt ratio, cur hoc genus magis ita nominari debuerit, qvam aliud qvodcunqve: Cum non magis cætera rotis deſtituta fuerint, qvas *ophanim* Hebræis dicit denotare. Eadem eſt cauſſa, cur non poſſim adprobare, qvod

qvod à viro alio doctissimo est proditum, qvasi sit à βῆναι, sive Bann. *Fortasse*, inqvit in Etymologico, *benna à* βῆναι. *Nisi potius à Belgico* Bann/ *id est, via, callis, & imprimis via aperta plana.* Qvasi *benna* non sit Gallicum vocabulum, sed Græcum aut Latinum, aut hoc solum viis planis apertisq; incesserit. Species, qvæ bennæ fuerit, jam liqvet ex superioribus, habuisse scilicet supernè corbem ex viminibus contextam. Qvo respectu qvidem nihil à vehiculo vel sirpea diversa fuerit. Qvando tamen Gallica vox benna dicitur, vehiculum qvoq; Gallico modo, id est, diverso à Latino, atqve sic à sirpea, vehiculoq; speciatim ita dicto, constructum fuisse necessarium videtur. Scaliger Belgarum putat proprium in suis ad Catalecta Virgiliana Commentariis, ubi, cum de aliis egisset vehiculis, & Gallorum rhedas, Britannorum covinos ostendisset fuisse, subdit: *Belgarum verò benna, qua etiamnum hodie utuntur: Quin & apud eos hodie genus carri, itemque apud Helvetios,* eine Benne *vocatur.* Verum nulla causa est, ut à Gallis Belgas separemus, hisqve solis arbitremur proprium fuisse, cum non magis *benne* apud Belgas, qvam apud Gallos *banneau* eodem sensu usuq; sit receptum. Samuel Bochardus part. II. lib. I. cap. 42. *Benna Germanis hodie benne, & nostratibus banneau.* Manet ergo ex auctoritate Festi Gallicum vehiculum, ac ob id Gallica ratione structum. Cujus rationis, nescio, annon pars qvædam fuerit, qvod corbis ista esset clausa non in ambitum solummodo & à lateribus, verum etiam supernè. Ita colligo, qvoniam σκηνὴ à Græcis dicebatur. Glossæ veteres: *Bennarius,* σκηνάρχης. Si σκηνάρχης est *bennarius, benna* sit σκηνὴ, necesse fuerit. Est autem σκηνὴ, uti ex Hesychio apparet, ἢ δόκὸς ξύλων, ἢ περιβολαίων οἰκία, hoc est, ædicula seu pergula ex tabulis ligneis, aut pannis, similibusve rebus. Inde Glossæ: Σκηνὴ, *tentorium, tabernaculum.* Hoc verò semper tectum supernè intelligitur. Qvare hujus generis & corbis bennæ fuerit, sive potius benna ipsa, qvæ est corbis. Nec videri mirum potest, cum bennarum usus maximè in bellis fuerit. Sic colligimus ex illis ipsis Glossis, qvæ à nobis supra sunt laudatæ, ac vocabulo σκηνάρχης. Nempe dictus est σκηνάρχης, sicut apud Græcos ζυγάρχης. Est autem ζυγάρχης, ἄρχων τῆς ζυγαρχίας, hoc est, is, qvi præest zy-

garchiæ. Zygarchia verò sunt duo currus militares. Ælianus cap. 22. Tact. Τὰ δύο ἅρματα, ζυγαρχίαν ἐκάλεσαν. *Duos currus appellarunt zygarchian.* Sicut ergo in militia Græcorum duo currus erant zygarchia, ita in militia Gallorum duæ vel saltem paucæ qvædam bennæ Scenarchia sive σκηναρχία, cui qvi præerat, is σκηνάρχης Græcè, alias *bennarius* appellabatur. Unde plane constat, bennas in militia fuisse usurparas. Nec enim σκηνάρχαι, extra illam possunt intelligi, non magis, qvam ζυγάρχαι. Sed & ex vocabulo *combennonum* colligi hoc posse videtur. Festus sic de eo: *Benna lingva Gallica genus vehiculi appellatur. Vnde vocantur combennones in eadem benna sedentes.* Non putandum, qvasi sermo sit de consessu vulgari & obvio, qvomodo & alias in vehiculis plures juncti solebant sedere. Nec enim ad exprimendam eam rem peculiari opus fuisset vocabulo. Verum *combennones* dicti, sicuti *commilitones, contubernales,* & id genus in militia. Habuit nimirum suam qvisq; bennam, ex qva pugnabat, ita destinatam sibi, ut nec in aliam ipse conferre sese, nec in locum ejus alius transire posset, ne, si pro arbitrio qvisq; occuparet qvemlibet, turba & certamen inde oriretur. Qvotqvot ergo unam istiusmodi assignatam sibi habebant bennam, illi *combennones* dicebantur. Atq; sic intelligendum etiam, qvod in Glossis legitur *convennit,* συμβαφάζῃ. Sic enim id verbum scriptum reperit in ipso Codice manu exarato Scaliger, qvod ex Commentario ipsius in Virgiliana Catalecta patet; Non verò *convenit*, sicut postea est publicatum ab Henrico Stephano, cura, credo, nimia emendatoris. Scilicet *convennit,* qvi alterius combenno est, & in eadem benna vehitur cum alio. Nec necesse arbitror, ut cum Scaligero perperam putemus scriptum hoc vocabulum, & ideò mutemus in *combennit.* Nam est notum, crebrò istas inter sese permutari literas. Ita supra *pabo* habuimus pro *pavo* & *vivices* pro *vibices* in eisdem Glossis, non per errorem, sed ex industria est scriptum, unde auctor earum & ad vocem *vibices* lectorem in *vivices* remittit. Sed de hac re dicam amplius in opusculo de permutatione litterarum, si DEO visum fuerit. Bennam interim fuisse currum militarem, & in pugnis usurpatum, propter ea, qvæ attulimus, vix dubitamus.

mus. Et quoniam currus fuit militaris, Gallis Belgicis cumprimis notus, ideo adducor in suspicionem, quod sit voce alia nominatus *cophinus*. Covinus profecto currus militaris fuit apud Belgas, ut Lucanus docet. Sed de covino peculiari capite agemus. Illud hic notabimus, quod in benna fuerit non unus tantum aliquis, qui pugnaret, sicuti in curribus apud Græcos, verum plures. Inde namque combennonum appellatio est orta. Quot autem singulis in bennis fuerint, indicare haud proclive, cum de eo, ut & cæteris vehiculi hujus nihil proditum apud veteres inveniatur.

## Cap. XXII.

## De Covino.

*Covinus, covinnus, covina. Vossij & aliorum sententia refutata, Bocharti vero expensa. Tectus fuit pæne idem cum benna. Falces habuit. Silij scriptura vetus. In cophino cathedra.* Καρρίον καθεδρωδὸν. *Philoxenus exponitur. Covini à Belgis venere ad Britannos. Mela exponitur. Covinarij. Hermannus Hugo revellitur. Ad covinos juncti equi. Covini aditer. Non carrucæ, nec essedafuere. Ducebantur & à mannulis. Vectores ipsi regebant jumenta sine auriga. Tres in eis. Argolus notatur. Vehicula dono data. Circense vehiculum covinus quo sensu. Argolus denuo notatur. Iuveniles Augustales quales ludi.*

COvini vox occurrit apud Melam lib. III. c. 6. *Dimicant & bigis, & curribus Gallicè armati. Covinos vocant.* Atq; sic Lucanus, Sidonius, atq; alij. Apud Martialem scribitur *covinnus* geminata littera, verba postea adducam. Glossæ Mſ. Savaronis mutant genus, & in feminino efferunt. Ita namq; scribit Savaro ad Sidonij Carm. XXIII. *Anonymus Glossograp. ms. Covina, genus vehiculi.* cæterum covini vocem sunt, qui derivandam judicant ἀπὸ τῆς κοπῆς, alij à *cavea*. Qua de re sic Vossius in Glossario. *Non censeo, nomen esse* ἀπὸ τῆς κοπῆς, *h.e. sectione, quæ fieret falcibus* (quibus nempe interdum fuerunt armati) *Ac nihilo rectius à cavea derivant alij, in his Franciscus à Quercu, quia in eo velut cavea consideretur, ut quæ & ad consessum cathedras haberet. Nempe neg; hoc de loco camerato &* καθεδροτῶ,

ἄροτρον, neq; alterum de falcium sectione, vel Græcum juvant ἔτυμον, vel Latinum: cum vocis Celticæ origo peti debeat è Celtarum lingua, qualis Germanica. Quæ omnia sine dubio sunt optima, summaq; ratione prolata. Verum quod is ipse postea vel ab hauven Germanorum quod significat *ferire*, vel potius ab haven, quod iisdem ait denotare, *æther*, *cœlum*, putat derivandum, non æque bene judico proferri. Ac quod prius quidem attinet, ostendit ipse, parum id hic convenire. De posteriori recte feciſſet, si adduxiſſet testem aliquem idoneum. Hodie profecto Haven nihil tale denotat. Vulgo portus maris ita nominatur. Sveci & Septentrionis populi Haf appellant mare, non hodierni solum, sed & vetustiſſimi. Quare propius accedere videtur Gallicum, *couurir*, quod *tegere* significat, & Belgarum *coffert*, quod pro ciſta cum operimento usurpant. Sed & apud Svecos veteres *Kopan* vestem appellarunt, qua vice pallij se operiunt; & apud Alsatos meos *Kapp* est pileus mulierum, quo se tegunt matres familiarum. Liqvet certe ex his omnibus, fuisse quondam in usu vocabulum, unde ista omnia sunt nata, quod tegmen seu operimentum significabat. Adde quod nunc quoque per Germaniam aliquibus in locis Kobelwagen vocitent vehicula superne tecta, item per contractionem Kolwagen, quod à *covino* est proximum. Nam quod dictum putat à גופן, i. e. *gosphan* Chaldæorum Samuel Bochardus, quod occurrit Esaiæ X, 32. ubi Sennacheribus habuisse in exercitu suo legitur quater mille *gosphanim*, h.e. sicut ipse explicat, *cophinos*, id sicut ratione primæ originis erudite dicitur, sic ad explicationem vocis Gallicæ vel Belgicæ trahi difficulter potest. Mallem potius deducere à *covo*, quod significabat priscis *cavum*, *convexum*. Inde namq; cœlum quoque appellarunt *covum* sive *cohum*, ut ex Festo & Scaligero apparet, & apud Varronem inter instrumenta rustica est *covum* sic à cavo dictum, sicut ipse judicat. Formam covini quod spectat, facit eum Vossius perpetuo contectum. Ita namq; ait in de Vitiis Serm. c. 3. *Covini semper erant camerati tectiq;*. Verum unde ipsi hoc constiterit, id haud declarat. Tamen discimus ex Lucano, quando sic de hoc vehiculo: *Et docilis rector constrati Belga covini*.

Extat

Extat versus hic in libro I. ubi quondam legebatur *monstrati*. Quod cum videretur ineptum, sicut erat, *rostrati* pro eo substituere. Atque sic servarunt hactenus. At vero in vehiculis fuisse rostra, nemo legit: naves habuere. In codicibus antiquis est *constrati*, sicut docuit Cl. Isaacus Vossius, & ex eo primum testatus est Bochardus. Sunt autem *vehicula constrata*, quæ superne tecta, sicuti *constratæ naves*, quæ alibi *tectæ*, ut prolixe docui in libris de Militia navali. Quare tecti covini fuere. Idem constat etiam ex eorum appellatione, si id innuit, quod diximus. Quod si covinus conveniret cum *cophino* vase, tectum illud ex viminibus videri posset structum. Est enim cophinus *vas ex virgultis, aptum mundare stercora & terram portare*, sicut ait Isidorus. Neq; ratio denominationis repugnaret, cum & *cophinus* sit à *covus* h.e. *cavus*, ut vult Isidorus. Deniq; covinus vehiculum non per *u* solummodo, sed & per *ph*, *cophinus* scriptum reperitur. Sed magis est ut vas *cophinum* à Græco κόφινος censeamus ortum. *Covinum* vero vehiculum à Gallico, seu Belgico, quod diximus. Quanquam cum hæc ratio sit observata in bannis, quas existimo fuisse covinos, eadem & covinorum fuerit. Præter id, quod contecti constratiq; essent covini, etiam falces habuere. Pomponius Mela lib. III. c. 6. *Dimicant & bigis, & curribus, Gallice armati. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Quibus verbis annotandum, quod hos falces non in orbibus habuerint, ut tradit Curtius de falcatis quadrigis, verum axibus, ut de curribus falcatis, alij pleriq; sunt testati. Firmat enim aliquo modo, quod de loco Curtij, & structura falcatorum curruum jam in superioribus disserui. Falces in covinis memorat & Silius lib. XVII.

*Agmina falcifero circumvenit arcta covino.*

Argolus in Notis ad Onuphrium, ubi laudat versum hunc, scribit *acta*, unde colligo, in antiquis libris *artæ*, non vero *arcta* fuisse. Quanquam vero covini sic instructi fuerint nonnulli, omnes tamen non fuere, ne in bello quidem. Quod colligimus ex Tacito, qui tametsi pugnam covinariorum memoret in vita Agr. c. 35. tamen falcium in covinis, aut per eas factæ stragis nullū apud ipsum

est indicium, quod non omissurus Tacitus pro cætera sua diligentia videtur si quas habuissent falces. Quin imo aperte Hieronymus ad Esaiam cap. ult. *Sine falcibus itaq; currus noster covinus est.* Sed nimirū ibi sermo est de covino alio, quam bellico. De quali utiq; non possumus ambigere, quin falcibus caruerit. Habebat alioqui covinus & cathedram ad considendum, quod colligimus ex Glossis Philoxeni, in quibus ita legitur: *Covinus*, κάρρον καθεδρωτόν. Vocat carrum cum cathedra: porro cathedra ad considendum. Quanquam mihi *cathedra* hic videatur, quod in curribus militaribus antiquis δίφρος, id videlicet, ubi consistere, ac unde pugnare in hostem solebant, σέλλα vulgo appellatum, hoc est *sella*. Nempe carrus vulgo fuit sine sella, ideo καθεδρωτὸν vocavit, quasi diceret, non fuisse de communi genere carrorum, sed peculiari, quod impositas habuit sellas, id est capsos ex vimine factos & superne tectos, unde stantes pugnabant. Rotas quot habuerit, certo non constat. Quia tamen κάρρον, id est *carrus* nominatur, quem exponunt ἅμαξαν, duas colligo in eo fuisse. Usus covini frequentissimus apud Belgas, quod ex verbis Lucani antea adductis constat. A Belgis transijsse ad Britannos videtur. Colligo ex verbis Melæ, quando ait, dimicasse isto genere, sed *Gallice armatos*. Cur enim *Gallicè*, nisi quia rationem totam mutuati sunt à Gallis, Belgis inquam, qui sunt pars Gallorum. Adde, quod à Cæsare, qui primus transiit in Britanniam, nulla fiat covinorum mentio, sed essedarum. Quare covinorum vox non est Britannica origine, sed cum vehiculo à Belgis ad eos translata. Alias non magis essedas, quam covinos Cæsar nominasset. Quando igitur in Britannis memorantur covini, vel intelligūtur essedæ, quos covinos subinde nominasse scriptores notiore vocabulo, ut in Belgis usitato, verisimile; vel covini à Belgis in Britanniam translati. Atque sic intelligendum, quod à Mela dicitur de Britannis: *Dimicant bigis, & curribus Gallice armati. Covinos vocant.* Nempe ita vocant lingua Belgica, unde acceperunt. Inde hodieq; nullum covini vestigium in Britannico sermone, quod Cambdenus fatetur, sed nec ratio illius dari potest idonea ex lingva Britannica, cū ex Belgica Germanicaq; possit, uti vidi-

vidimus. Pertinebant vero covini vel ad bellum, vel ad pacem. In bello ex eis dimicabant. Ita clare Mela: *Dimicant bigis & curribus. Covinos vocant.* Quæ dimicationis ejus fuerit ratio, non satis constat. Quia tamen falces habuerunt, vix est dubium, quin sola incursione damnum afferre hosti quæsiverint. Sed non omnes habuere falces. Ergo in cæteris stetisse, indeqve tela conjecisse in adversarios existimo. Ideo se peditum prælio immiscent apud Tacitum Vita Agr. cap. 36. Qvi regebant covinos, *covinarii* appellabantur, non, ut tradidit Hermannus Hugo, *covinarii equites.* Verba Hermanni sunt lib. I. de Mil. Eqvestri, cap. 6. *Belgas Lucanus ornat laude inventi covini lib. III. Pharsaliæ:*

-- -- *Rector monstrati Belga covini.*

*Vnde Tacito, in Vita Agricolæ, covinarii equites, qui scilicet de covino pugnabant.* Neutrum horum verum est, nam Lucanus scripsit non *monstrati*, sed *constrati covini*, sicut supra indicavimus. Et apud Tacitum non leguntur *covinarii equites*, sed *covinarii & equites.* Locus, qvem respexit Hermannus, verum malè intuitus est, habetur cap. 35. dicti opusculi his verbis: *Media campi covinarius & eques strepitu ac discursu complebat.* Alii Tacito sunt eqvites, alii covinarii. Et qvi possint iidem esse, cum, ut ipse ait Hermannus, covinarii pugnaverint de covino, id est, vehiculo, non eqvo? Eqvites verò, qvi pugnant ex eqvo. Qvare iterum Tacitus in seqventibus, ut de diversis: *Equitum turmæ fugere, covinarii peditum prælio se miscuere.* Interim hos covinarios in covinis traxerunt eqvi. Eqvos enim ad hos militares covinos adjunctos habuisse discimus ex eodem Tacito, qvi dicto loco: *Sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.* Non potest esse dubium, qvin hic eqvi debeant intelligi, qvi vagos illos currus, id est, covinos, trahebant. In pace verò covinos adhibuisse legimus ad iter. Extat hac de re Epigramma integrum Martialis lib. XII. ad Juvencum, qvod, qvia habet plusscula huc spectantia, totum adscribendum.

*O jucundæ*

*O jucunda covinne solitudo,*
*Carruca magis, essedoque gratum*
*Facundi mihi munus Heliani:*
*Hic mecum licet, hic, Iuvence, quicquid*
*In buccam tibi venerit, loquaris.*
*Non vector Libyci niger caballi*
*Succinctus, neque cursor antecedit.*
*Nusquam est mulio. Mannuli tacebunt.*
*O si conscius esset hic Avitus,*
*Aurem non ego tertiam timerem,*
*Totus quam bene sic dies abiret.*

Ex hoc epigrammate apparet utiqve, adhibuisse covinos ad iter, sive serium, sive, qvod videtur magis velle, voluptatis causa institutum. Videmus autem ante omnia, covinum nec carrucam neq; essedam fuisse, cum ab eis distingvatur. Deinde in comparatione ad essedas carrucasq; viliorem putatum. Nam si vilior non fuisset, parum aptè sibi carius vehiculum Martialis dixisset esse, carruca essedaqve. Nec enim est mirum, atq; sic nec significandum, tanqvam magnum qvidpiam & singulare, si qvæ meliora sunt & præstantiora, simul sint & chariora. Observamus qvoq; covinum hunc destinatum itineribus adjunctos habuisse *mannulos*, non eqvos. Sunt autem mannuli de genere mulorum minutorum, qvorum species accedit propius ad eqvos, qvam ad asinos, sicut, ubi egi de basterna, demonstravi. Regebatur porro etiam ab unico soloqve, qvi & vehebatur simul, & auriga erat. Hinc enim *solitudinem* covini Martialis prædicat, & *mulionem* ait esse *nusquam*, id est, se solum & vehi eo, & mannulos ipsius regere. Erat tamen capax plurium, saltem trium, qvando Martialis secum invitat in consessum & Juvencum, & Avitum. Erratq; sine dubio Johannes Argolus ad Onuphrium, qvando scribit, *saltem duos ad summum cœpisse. Vulgo sessorem & aurigam eundem fuisse.* Qvi nec ex hoc genere ad illud militare videtur rectè transire, ac statuere, ne in illo qvidem fuisse, nisi unum. Saltem covini sine falcibus reqvirebant plures, si per eos damnum afferendum erat hostibus. Qvid enim unus faceret, qvi simul

eqvos

eqvos regere debebat? Discimus & hoc ex isto epigrammate, cum muneris loco datus Martiali covinus fuerit, inter munera, qvæ donari solebant, etiam vehicula, nominatimq; covinos, fuisse. Qvi ex eo erant grati acceptiqve, qvod nullis opus haberent mulionibus, qvi iis vehebantur, soliq; ac liberè in itinere cum amicis garrire ac confabulari possent. Et hic covinorum usus maximus præcipuusq; in pace. Aliqvando tamen nominant inter vehicula Circensia. Sidonius Apollinaris Carm. XXIII. ubi describit pluribus certamen qvadrigarum:

*Instant verberibus simul regentes,*
*Iamque & pectora prona de covinno*
*Extensi rapiuntur.* -- --

Argolus ex hoc loco colligit, fuisse vehiculorum Circensium solenne hoc vocabulum. Sic enim ait ad lib. I. Onuphrii de Lud. Circ. pag. 16. *Nunc sufficiat ostendere, covinum dici apud veteres currum hunc* (Circensem) *& vehiculum, quo aurigæ insident. Hic verò commodissimus ad Circensia, sive ponderis, sive parvitatis gratiam spectes.* Subdit deinde allata Sidonij verba. Verum alibi vocatas bigas quadrigasq; Circenses, *covinos* non legas. Imo ipse Sidonius *quadrigas* paulo ante dicit. Verba ejus ista sunt:

*Tunc cœtus juvenum sed aulicorum*
*Elæi simulacra torva carapi*
*Exercent, spaciantibus quadrigis.*

Item post nonnulla interjecta

*Tandem murmura buccinæ strepentis*
*Suspensas tubicen vocans quadrigas*
*Effundit celeres in arva currus.*

Vocat *currus* & *quadrigas*, quomodo in universum omnes alij. Ergo *covini* sua & solenni voce minime appellabantur. Sed nec adhibiti ad circenses ludos, qui sic proprie sunt dicti, ut putabat Argolus. Alij fuere covini, alij currus Circenses. Nam quod sic appellat Sidonius, id fit abusive, per positionem generis unius, vice alterius, sicut locus universus docet, qui agit de juvenibus Augustalibus, quorum ludus agitatioq; fuit non covinis, sed quadrigis.

Asconius in Or. cont. Ant. *Cum Sylla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent.* Item postea: *Diximus jam supra Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium & alios nobiles homines agitasse.* Loquitur de Ludis sacris, in quibus ingenuos & nobiles, quos *aulicos* vocavit Sidonius ait certasse. Certasse vero non covinis, sed quadrigis. Unde plane constat, ludos illos similes per omnia circensibus vulgaribus extitisse, ac iccirco nullos habuisse covinos. Cum præsertim covinorum mentio nomenq; sero, ac non nisi post Cæsareana tempora Romæ orta fuerit, circenses vero omni tempore duraverint.

## Cap. XXIII.

## De Essedo.

*Essedum non est covinus. Bocharti sententia expenditur. Adseda. Belgicum est vehiculum. Phitargyrius & alij explicantur. Non est Britannicum. Iornandes exponitur. Habuit falces, sed non semper. Num idem cum basterna. Rotas habet duas strepentes. In eo equi fere, ijq; bini. Iornandes denuo exponitur. Aliquando tractum à mulabus aut bisontibus. Singula in eo jumenta pro se ambulabant. Pellibus erant ornata. Claudianus exponitur. Esseda ad prælia. Perequitare, de iis, qui vehuntur in curru. Rhodomanni versio Diodori rejecta.* Ἐσσέδα. *Alij aurigæ in ipsis, alij pugnantes. Essedarij. Stabant etiam in jugis equorum, & tergis. Esseda ad itinera, in eis etiam honoratiores. Cicero expenditur. Mulieres quoq;. Currus sunt celores, & pulchre ornati. An & oneraria, an & in triumphis. Scholiastes Cruquij refutatur. Esseda in circo. Gladiatores essedarij. Philargyrius explicatur. Mulier essedaria. Seneca contra Lipsium explicatur. Fragmentum Petronij Tragurianum bis exponitur. Reinesius notatur. Certare de gradu, quid. Fragmentum Petronij denuo exponitur. Scissores cum gesticulatione cibos dissecabant. Aurigæ essedariorum ad victoriam conferebant plurimum.*

VEnio ad essedum, quod vel idem cum superiori, vel non multum fuit diversum. Ut diversum tamen statuamus, facit Cicero Virgiliusq;, qui mentionem essedi faciunt, covini vero nullã.

Sed

Sed & essedum à covino distinxit Martialis eo loco, quem superiori capite attulimus. Quare fuerit diversum essedum, sed parum. Nomen ejus unde traxerit originem, nemo explicare neque veterum, nec recentiorum, quantum scio, tentavit. Solus eruditissimus Bochardus Par. II. Lib. I. Geogr. Sac. c. 42. sic ait: *Essedum Hebræis est* הסדן *hassedan. & Græce* σατίναι *sunt plaustra.* Verum cum & hoc sit Gallicum vehiculum, nescio an nomen ejus recte natum ex Hebraico dicatur, nisi forte, quatenus originem ipsius primam ultimamq; volumus respicere. Mallem ego credere sic nominatum à sedendo, & *seda*, quoniam in eo sedebant, & sedebant supra axem, qui Germanis, Celtis, ut ejusmodi est *æx* vel *es*, sicut locus ubi consideturSitz/Säte/ut sit *essedum*, sedes aut sella super axem h.e. currum, seu vehiculum. Videturq; confirmari hoc ex Glossis Isidori, ubi ita loquitur: *Adseda, sella quadrijugis.* Nam τὸ *adseda* idipsum puto esse quod vulgo *asseda*, vel *esseda* vocatur. Non enim in neutro solum genere, sed & feminino extulisse cum ex Seneca, tum ex aliis compertum habemus. Erant autem esseda vehicula Belgarum. Docet Virgilius, quando ita habet lib. III. Georg.

*Belgica vel molli melius fert esseda collo.*

Servius ad hunc locum: *Belgica esseda, Gallicana vehicula. Nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujusmodi vehiculi repertus est usus.* Docet locus hic, non in usu modo belgis fuisse, sed ab ipsis quoq; primum excogitata esse, primum cœpta adhiberi. Item quando Gallica vocantur, Belgica intelligi debere. Ut apud Philargyrium ad prædictum Poëtæ locum: *Esseda vehiculi, vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli.* Galli hic de Belgis sunt intelligendi. Pariter & apud veterem Commentatorem Cruquij ad II. Horat. ep. 1. *Esseda vehicula sunt Gallica.* Dixit tamen quoq; *Esseda Britanna* Propertius lib. II, el. 1.

*Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Nempe & hoc genus mutuati sunt à Belgis. Ita malo credere cum Cl. Ger. Vossio, quam contra Servij auctoritatem Britannos ejus facere auctores. Sane mentionem Essedorum Tullius quoq; facit lib. VI. ep. 1. ad Atticum, nec ut rei novæ, sed ut notæ pridemq; re-

ceptæ. Sine ulla enim admonitione, ac simpliciter sic scribit: *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis.* Porro scriptam eam esse epistolam, si diligenter omnia ponderaverimus, ante Cæsaris in Britanniam expeditionem deprehendemus, unde sequitur, essedas Romanis non modo notas, sed & usurpatas fuisse, priusquam eis nota esset Britannia. Unde vero notitiam & usum illum acceperunt, nisi ex Belgis, quos proinde verisimile, primos esseda, vel essedas excogitasse. Jam si Belgæ primi essedæ auctores, nomen etiam ab ipsis erit, quodq; sic vocata & Britannis, id Belgis, à quo vehiculum acceperunt, debebitur. Quare quando sic Jornandes ait Rer. Goth. c. 2. de Britannis: *Bellum gerunt bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant:* non existimandum, essedæ vocabulum à vulgo Britannorum excogitatum, sed acceptum usurpatumque una cum ipso vehiculo ab his, quos dixi. Forma essedarum qualis fuerit, colligimus nonnihil ex superioribus Jornandis verbis, quando *currus* nominat *falcatos.* Nam apparet, falcibus armatas fuisse. Neque tamen omnes tales fuere. Primum enim eas, quarum usus fuit extra militiam, caruisse falcibus, res ipsa loquitur. Ad quid enim falces in eis conducerent? Deinde ne in ijs quidem, quibus pugnavere, semper fuerunt. Cæsar sane, qui cum cura describit essedas, lib. IV. B. G. cap. 33. nullam falcium facit mentionem. Sed nec apud alios legas, unde quid de falcibus suspiceris. Adeo frequentiores sine falcibus, quam cum eis fuisse videntur. Postea quia *currus* nominat, curribus cæteris militaribus extitisse similes colligimus: cum præsertim alij quoque currus explicare soleant. Habuerunt ergo sellas suas easq; nescio annon clausas, quoniam *basternæ* quoque nominantur. Ita docet nos Cujacius lib. XIII. Observ. cap. 30. *Alio*, ait, *sensu basternæ vehicula sunt, sive lecticæ, vel ut est in Glossis veterum, essedæ quæ quod plerumq; speculari lapide claderentur, eædem glossæ, ut opinor, illo loco Iuvenalis: Quæ vehitur clauso talis specularibus antro: recte interpretantur basternas.* Glossæ, quæ basternas essedas exponunt, Juvenalis esse videntur. At in ijs Glossis, sicut quidem à Schrevelio sunt editæ

Lugduni

Lugduni Batavorum An. M D C XLVIII. nihil istiusmodi reperio. Sed nec apud Juvenalem illo loco agitur de essęda vel basterna, sed lectica. Ut de Glossis quidem istis nihil habeam, quod dicam. Laudat tamen Glossas alias Mſ. ad lib. II. Sidon. ep. 10. quæ hoc ipsum statuunt. Sic enim habet: *Innom. Glossog. mſ. Esseda, Basterna.* Equidem si basternæ vocem propriè accipias, nunquam eæ dici possunt essęda. Nam essęda habuere rotas, ut mox dicam, basternæ vero nullas, sicut alibi monstravi. Videntur ergo essęda sic explicari, quod ut basternæ, clausas haberent sellas. Verum ne hoc quidem convenire aliis videtur. Cæsar enim loco supra indicato, pugnatores ait *ex essędis desilire, per temonem incurrere in jugo insistere & inde se in currus citissime recipere*, quod vix potuisse videtur clausa sella. Sed fortassis alia nonnihil fuit structura essędarum militarium, alia non militarium. Cum præsertim essędis & mulieres veherentur, quas notum est libenter usas sellis clausis. Rotas habuisse, illasq; admodum strepentes novimus ex Cæsare, quando illo ipso loco ait: *ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumq; perturbant.* Hinc Sidonio supra dicto loco *essęda stridentia.*

*Stridentum & moderator essędorum.*

Respexit etiam Seneca epist. 56. ubi ait: *In iis, quæ me sine avolatione circumstrepunt, essędas transcurrentes pono.* Tribuit & ipse strepitum huic generi, quod præcipue propter rotas factum ex Cæsare cognovimus. Ita Claudianus Epigr. 1.

*Essęda concordes multisonora trahunt.*

Ubi rectè Barthius: *Multisonora, à vario stridore rotarum & clangore ferramentorum.* Rotæ porro illæ numero fuerunt duæ, si qva fides est Corrasio. Sic namq; is lib. III. Miscell. cap. 20. *Fuit essędum vehiculum breve, birotum, minus rheda.* Sanè, qvia currus nominatur, ut jam ante dixi, duas tantum habuisse rotas consentaneum est, cum hoc proprium curruum extiterit. Ducebantur porro essędæ ab eqvis. Cæsar manifestè loco sæpe dicto: *Ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant.* Item paulò post: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac*

*præcipiti loco incitatos equos sustinere consveverint.* Numerus eqvorum etiam binarius fuisse videtur. *Bigas* sanè nominavit Jornandes, hanc ob caussam, ut opinor: *Bellum gerunt bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant.* Vocat *bigas* & *currus falcatos*, non qvod duobus generibus iisq; diversis pugnaverint, sed qvod falcati illi currus bigæ fuerint, hoc est, tracti à duobus eqvis. Figura simili, qva in superioribus Vopiscum *vehiculum* & *judiciale carpentum* dixisse demonstravimus. Eqvos tamen habuisse junctos militaria esseda potissimum videntur. Cætera plus trahebantur à mulabus, id qvod manifestè docet Epigramma totum Claudiani *de Mulabus Gallicis*, qvas in essedo commemorat. Nominat & bisontes in esseda Martialis, non vulgari tamen, sed exhibita in Circo. Verba extant lib. I. Epigr. de Spectaculo:

*Turpes esseda, quod trahunt bisontes.*

Tanqvam singulare ac inopinatum laudat à Domitiano præbitum spectaculum. Itaq; huc qvidem nihil facit. Contra illud liqvet, vel mulabus junctis ducta esse, vel eqvis. In junctura hoc peculiare habuerunt, qvod jumenta ambularent non æqva fronte omnia, ut in qvadrigis, (nisi forsitan essedæ militares) neqve bina & bina, verum pro se singula. Docet Claudianus toto Epigrammate de Mulabus Gallicis, præsertim illo versu, qvando ait:

*Quamvis quæque sibi longis discurrat habenis.*

Nam *discurrere sibi quæque* dicitur, qvæ currit pro se, nulli alii à latere adsociata. Sic igitur incedebant. Erantq; mulæ vel jumenta ornata pellibus villosis ovium, qvas habebant jugis impositas, consvetudine solenni, qvæ hodieq; durat per Gallias. Idem Claudianus: *Consensuque pares, sed fulvis pellibus hirtæ*
*Esseda concordes multisonora trahunt.*

Ubi fulvas pelles intelligo obsoletas ovium. Qvanqvam cum *fulvum* hic per commendationem dicatur, rectius fortasse statuamus intelligi pelles taxorum sive melium, qvæ & ipsæ hodie in freqventi usu tali. Nam sunt pelles illæ verè fulvæ, sicut nemini ignotum est, qvi vidit. Usus essedorum primus ad militiam & prælia videtur fuisse. Pugnaverunt sanè iis Galli, hoc est, Belgæ, uti Philargyrius testatur.

testatur. *Esseda*, inqvit, *vehiculi vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli.* Eadem de Britannis legimus. Inde Cæsar. lib. IV. Bell. Gall. cap. 24. *Ac Barbari*, (Britanni) *consilio Romanorum cognito, præmisso equitatu & essedariis, quo plerumque genere in præliis uti consueverunt, reliquis copiis subsecuti sunt.* Traditur & ratio pugnandi cum essedis ab eodem Cæsare in ejusdem libri cap. 33. Adscribam locum etsi longiorem, qvoniam est elegans: *Genus hoc est ex essedis pugnæ. Primo per omnes partes perequitant, & tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant, & quum se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, & pedibus præliantur. Aurigæ interim paullum è prælio excedunt, atque ita se collocant, ut, si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant.* Observa, qvod de iis, qvi pugnant ex essedis, usurpet *perequitant.* Nam hoc alias ad nudos spectat eqvites, non vehiculis utentes. Qvanqvam hodieq; ista ratio locutionis apud Belgas servetur, & dicantur ryden/qvi vehiculo curruve incedunt. Ostendit autem, duplex velut certamen horum fuisse, unum ex essedis cum telis jaculisqve, alterum in terra, pedestri consvetudine. Nam desiliisse ait, cum prælium esse ortum acrius. Qva qvidem parte pugna illa fuit similis heroum apud Trojam. Ac respexit fortè Diodorus lib. V. qvando ita de Britannis: Ἅρμασι μὲν γὰρ καὶ τὰς πολέμους χρῶνται, καθάπερ οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων ἥρωες ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ κεχρῆσθαι παραδέδονται. *Ad bella essedis utuntur, quemadmodum antiquos Græcorum heroës in bello Trojano belligerasse traditur.* Ita vertit Rhodomannus. Sed in Græco non est *essedis*, verum ἅρμασι, hoc est, *curribus.* Videlicet & reliqva vehiculorum istiusmodi & essedas ignoravere. Igitur, cum de ipsis nominatim agendum, Gallicam retinuerunt vocem. Qvomodo Metaphrastes Cæsaris in loco antea allato: Ὁ δὲ τῆς ἀπὸ τούτων τῶν ἐσσέδων μάχης τρόπος τοιοῦτός ἐστι. Qvæ Metaphrasti sunt ἐσσέδα, ea Diodoro ἅρματα. Vix enim dubium, qvin tametsi non nominaverit esseda, tamen ea intellexerit. Porro, docet qvoqve, plures in his essedis fuisse, alios propugnatores, alios aurigas. Nominatim namq; dicit, ex prælio aurigas excessisse. Qvare alii aurigæ, alii propugnatores fuere: Qvorum hi præci-

præcipuè, ut censeo, *essedarii* vocati. Unde pugnam eis Cæsar tribuit in locis supra allatis. Et lib. V. ait: *Essedarii acriter prælio cum equitatu nostro in itinere conflixerunt.* Sed & Cicero propterea lib. VII. ep. ad Trebatium 6. *Tu, qui cæteris cavere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caveto.* Fuit autem utrorumq; artificium singulare, aurigarum in flectendo curru, propugnatorum in discurrendo per temonem, stando in jugis, & recipiendo se in currum. Cæsar sic describit: *Tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere,* (hoc ad aurigas pertinet; sequitur de propugnatoribus) *& per temonem percurrere, & in jugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consveverint.* Annotandum, quod in ipso stare jugo potuerint, concitatis licet equis ac currentibus. Nempe sic & tergis eorum insistere discebant olim, qua de re nos certiores reddit Manilius lib. V. v. 31. quando ait:

-- -- *Et stabiles poterit defigere plantas,*
*Per quos vadit equos.* -- -- --

Item Silius lib. X. qui laudatur à Scaligero hoc loco:

*Milite non illo quisquam felicius acri*
*Insultarat equo.* -- -- --
*Si nudo staret tergo, quum rapta volucris*
*Transigeret cursu sonipes certamina campi.*

In pace pertinebant esseda ad itinera. Cicero lib. VI. Attic. ep. 1. *Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta.* Cumprimis usus eorum fuit frequens per Gallias. Spectat huc, quod tradit Sidonius lib. II. ep. 10.

*Hinc agger sonat, hinc Arar resultat,*
*Hinc sese pedes atque eques reflectit,*
*Stridentum & moderator essedorum.*

Liquet, essedarios cum essedis per aggerem publicum, qui vicinus fuit Arari flumini, facere iter consveviisse. Utebantur porro essedis viri, etiam in dignitate constituti. Hinc Propertius tribuit Mecœnati lib. II. el. 1. ubi sic ad eum:

*Si te fortè meo ducet via proxima busto,*
*Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Sveto-

Svetonius Cajo c. 51. ubi ait de eo loquens: *cum trans Rhenum inter angustias densumq; agmen iter essedo faceret.* Item Galbæ Imperatori c.18. *Cum per omne iter victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus essedum ejus invasit.* Quare nescio, cur illius usum Cicero objiciat Antonio Philippo II. ubi ait: *Etenim quod unquam in terris tantum flagitium extitisse auditum est? tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant.* Num, quod esset peregrinum vehiculum, neq; magistratum publicum deceret? An quod vilius haberetur? At conjungit cum carruca Martialis. Serviisse caussæ suæ videtur. Nam alias svadet ipse Trebatio lib. VII. ep. 7. *In Britannia nihil esse audio neq; auri, neq; argenti. Id si ita est, essedum svadeo aliquod rapias, & ad nos quamprimum recurras.* Quanquam cum Trebatius magistratu nullo, publicove officio fuerit ornatus, magis credi possit, illi convenisse. Alias non viri solum eis utebantur verum & mulieres. Hinc Propertius ad Cynthiam lib. II. eleg. 32.

*Quidve petis Æi mœnia Thelegoni?*
*Curve te in Herculeum deportant esseda Tybur?*

Poterat vero hisce essedis celeriter confici iter, quod colligitur ex verbis Ciceronis, quando svadet Trebatio, ut ad eum essedа *recurrat.* Ita Seneca ep. 56. *essedas transcurrentes* memorat. Qui simul verbis suis ostendit, usum essedarum fuisse etiam in urbe. Illas enim ait ipsum circumstrepere, sed sine avocatione. Nam quod circumstrepit alios, in frequenti usu sit, necesse est. Essedа hæc urbana puto splendide fuisse culta ornataque, pertinere q; inter ea illud argenteum, quod in Censura sua concidi fecit Claudius, ut ait Sveton. c. 16. *Essedum argenteum sumptuose fabricatum ac venale ad sigillaria, redimi concidiq; coram imperavit.* Cæterum an usus essedarum solus unicusq; fuerit ad itinera, ignoro. Certe Claudiani Epigramma, quod attulimus in præcedentibus, innuere videtur quasi onera interdum aliqua ijsdem deportarint. Estque hæc sententia & Barthij, qui sic de illo Epigrammate: *Mirifice me venustas hujus epigrammatis afficit, atq; adeo quidem, ut quoties istud contemplor audire mihi videar, aut cominus videre agasonem quempiam*

*sive mulionem Sequanicum, qui Lemanni lacus piscem per Rhodani ripas Lugdunum vehat.* Idem manifeste docet Sellius Sidonius lib. IV. ep. 18. ubi ait: *Nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Pertinebant alias & ad spectacula, ut primum triumphalia, cum captivæ deducerentur in pompa triumphi. Meminit Horatius lib. II. ep. 1.

*Mox trahitur manibus regum fortuna retortis*
*Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.*

Interpres vetus Cruquij: *Esseda) hæc vehicula sunt captivorum.* Si captivorum, ergo ducta in triumpho necesse est, verum metuo, ut Poëtæ mentem recte Magister acceperit. Nec enim ibi aliter festinant esseda, quam cætera vehicula. Jam vero illa adducebantur ad spectaculum, ut fatetur ipse, nec captiva erant, sed matronarum Romanarum. Quare idem statuendum erit etiam de essedis. Et cur festinarent tandem, si captiva fuissent? nemo sane sponte sua & cum festinatione venit eo, unde habet dedecus & infamiam. Itaq; hic sermo est de essedis urbanis, quibus simul cum pilentis petorritisq; festinabant viri juxta & mulieres ad spectaculum triumphi. Quare isto quidem Horatij loco nihil agitur de essedis captivis. Quanquam ea ipsa interpretis expositio docere nos possit, non insolitum omnino fuisse, quippe qui ne cogitare quidem de ea potuisset, si omnino nunquam istiusmodi vehicula in triumpho essent ducta. Exhibebantur aliquando & in theatro sive circo. De Domitiano saltem supra vidimus, quod testatur Martialis, dedisse essedas cum bisontibus adjunctis. Ad postremum essedæ ac essedarij inter gladiatores solennes. Docet nos Philargyrius ad lib. III. Georg. Virgilij, ubi post alia, quæ de essedа & esedariis commemorat, & alibi à nobis sunt allata, subdit: *Hinc & gladiatores esedarij dicuntur, qui curru certant.* Vult, fuisse duplex genus gladiatorum, unum quod certabat sine curru, aliud, quod cum curru. Quando curru certabat, dicebatur non *gladiatores* simpliciter, sed cum addito, *gladiatores essedarij*. Meminit hujusmodi gladiatorum essedariorum etiam Svetonius in Calig. c. 35. *Cum quodam die muneris essedario Poro ob prosperam pugnam servum*

*suum*

*suum manumittenti studiosius plausum esset, proripuit se è spectaculis indignabundus & clamitans, dominum gentium populum ex re levissima plus gladiatori tribuentem, quam consecratis Principibus, aut præsenti sibi.* Quem ante *essedarium* vocavit, mox appellat *gladiatorem.* Idem facit vita Claudij c. 21. Intelligimus autem vel *essedarios* simpliciter, vel cũ addito *eſsedarios gladiatores* esse nũcupatos. Simpliciter sic appellatos discimꝰ & ex Petronio, quãdo ita habet: *Processit statim sciſsor & ad symphoniam gesticulatus ita laceravit obsonium, ut putares eſsedarium hydraule cantante pugnare.* Sic enim legendum illum locum ex Fragmento Traguriano docuit incomparabilis Gronovius, sublato asteriſco, quem hic apponebant editiones vulgatæ, uti pridem in Notis ad Fragmentum illud declaravimus. Fuerunt autem gladiatores essedarij non viri solum, quod est notum, sed & feminæ, quod ex solo Fragmento dicto nobis cognitum, in quo *mulier eſsedaria* commemoratur p. 17. editionis nostræ. Verba habent ita: *Iam nanos aliquot habet, & mulierem eſsedariam.* Neq; mirum, quoniam apud Britannos etiam feminæ militabant, ut ex Tacito XIV. Annal. c. 35. colligitur, quas sine dubio in hoc genere spectaculi imitabantur. Pugna ipsa fiebat è curru, quod ostendit Philargyrius. Num vero semper, dubitat Lipsius lib. II. Satur. c. 12. sed pugnasse putat *mixtim, modo è curru, modo pedites.* Atq; hoc velle censet Senecam, quando ait ep. 29. *De eodem cum consuleretur Iulius Græcinus, vir egregius, quid sentiret: Non possum, inquit, tibi dicere, nescio enim, quid de gradu faciat. Tanquam de eſsedario interrogaretur.* Ad hæc verba Lipsius: *Sententiam hic puto, eſsedarios solitos etiam pedites pugnare, de curru subito delapsos. Nescio igitur, ajebat, cujusmodi hic eſsedarius (ad gestationem ejus allusum) quem nunquam de gradu & inceſsu pugnantem vidi.* Potest conjecturam hanc juvare, quod & Britannorum essedarij hoc modo pugnarent, quemadmodum in præcedentibus ostensum est. Utrum tamen vere verba Senecæ hoc doceant, licebit dubitare. Causſa, quoniam non pugnasse inter se, quod existimavit Lipsius, & in pictura expressit adjecta, sed cum alijs, peditibus videlicet, videntur. Hinc enim Petronius in Fragmento Traguriano tantum unicam

nominat mulierem essedariam, cui oppositos fuisse nanos joci caussa puto. Verba clara sunt: *Iam nanos aliquot habet, & mulierem essedariam*, qui scilicet prælium inter se committant, nani pedites, & mulier ex essedo, sic enim conveniens fuerat, ut una plures posset æquare. Testaturq; Xiphilinus in Domitiano, nanos ac mulieres committi consveviſſe. Πολλάκις δὲ τὰς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάνους & γυναῖκας συνέβαλλε. *Sæpe noctu quoq; certamina instituit, aliquando nanos quoq; ac mulieres commisit.* Ad eundem modum alibi scissor apud eum repræsentat essedarium pugnantem. *Ita laceravit obsonium, ut putares essedarium pugnare.* Cur, essedarium? quia solus pugnare cum pluribus consvevit. Ista namq; ratio similitudinis. Videbatur scissor versari inter obsonia, & aliud post aliud adgredi ac lacerare, sicut essedarius solebat certantes secum in arena pedites; & sicut ita mulier essedaria nanos adoriri debebat. Quos proinde nanos frustra optimus doctissimusq; Reinesius in *mannos* immutavit, sicut in Appendice ad Nostras in Petronij Fragmentum Notas demonstravimus. Cæterum si pugnaverunt soli, utique descendere de curru non poterant. Qui enim singuli pares esse potuissent pluribus? Quare locum Senecæ puto aliter accipiendum. Nempe cum Græcinus quæreretur, quid sentiret de virtute Philosophi, de quo ibi sermo, respondisse ipsum ait Seneca, tanquam quæreretur de virtute esedarij, de qua non possit constare, cum de gradu pugnare non soleat. Virtus vera militis apparet ex certamine, quod fit collato gradu. Qui sic pugnat, *certare de gradu* dicitur, quomodo qui vincitur certamine hujusmodi, *de gradu dejici.* Contra non certat de gradu, qui non eodem gradu consistit, sed discurrit, & modo pugnat ab hac, modo ab illa parte. Tales fuerunt essedarij. Unde Cæsar dicit, etiam in ferijs, *per omnes partes perequitare.* Et Cicero ad Trebatium, *caveto, ne ab esedariis decipiaris*, quia horum fuit proprium, non tam virtute contendere, quam arte ac consilio, simulare impetum in hoc loco, aggredi in alio celeriter circumductis equis, mox fugam præ se ferre, tum esedam convertere, ac nec opinantes adoriri. Hoc respiciebat Græcinus & ideo de virtute Philosophi,

de

de qua quærebatur, nil se respondere posse dixit. Cæterum cum essedarij soli adversus plures, adjecti scilicet celeritate equorum ac vehiculi contenderint, ac iccirco adhibuerint artes, videtur hinc intelligi & illud Petronij, quod ait de sciissore, essedarium repræsentante, laceravisse obsonium gesticulando. *Ad symphoniam gesticulatus laceravit obsonium.* Scio equidem gesticulatoria manu conscindere cibos consveviisse: testisq; est Seneca, quando epist. 47. de tali aliquo. *Pretiosas aves scindit certis ductibus circumferens eruditam manum.* Quo cum convenit & Juvenalis Satyr. V. ubi ei tribuit hac de causa *cultellum notantem.* Sed in Petronij simul respici opinor ad gesticulatoriam agilitatem aliquam, qua utebantur essedarij, qua vel eludebant adversarios, vel impetebant. Sicut qui alites scindunt, nunc capiti, nunc clunibus, nunc à dextra, nunc à siniſtra imminent, ac sæpe illam invadunt partem, quæ imperito artis diu adhuc videbatur tuta futura. Et hoc quidem nobis de pugna essedariorum videtur. Ad quam felicius expediendam credo cum Lipsio, habuisse suas aurigas. Servos quoq; eos fuisse vero consentaneum, cum ipsi essedarij gladiatores aliquando essent liberi. Liber sane fuit, qui describitur Svetonio in Calig. c. 35. quando ipse, sicut ait auctor, *ob prosperam pugnam servum suum manumisit.* At non liber is, cui Claudius, *cum pro eo quatuor deprecarentur filij, magno omnium favore indulsit rudem,* sicut enim loquitur in Claudio cap. 21. Fuisse porro in his ipsis aurigis magnum ad victoriam obtinendam momentum ex dicto Svetonij in Caligulæ vita loco animadverto, quia essedarius aurigam illum suum post & propter pugnam prosperam manumisit: cujus rei nullam eo quidem tempore idoneam satis habuisse caussam videtur aliam, quam quod victoriæ illius caussa non postrema servus fuerit per doctam aurigationem. Unde rursum id evincitur, quod ante dictum est, gladiatores hosce essedarios plus arte valuisse, quam virtute.

## Cap. XXIV.

## De Thensa.

*Thensa. Tensa. Asconius exponitur. Scaliger defenditur contra Vossium. Linteain thensis nulla. Onuphrius & Argolus refutantur. Svetonii locus ab emendatione prava liberatur & exponitur. Thensa, currus. Vehicula thensarum. Eburnea & argentea fuere. Schottus bis refutatur, & Vrsinus. Onuphrii picturæ rejiciuntur. Vehiculum cum rotis quatuor, & supernè planum fuit. Adjunctos habuit equos. Lora in eis. Ciceronis lectio vetus asserta contra Lipsium. Schottus denuò rejicitur. Equus langvens in thensa, irritum facit sacrum. In thensis Deorum imagines. Exuviæ. Tertullianus aliter, quam factum à Salmasio, exponitur. Dionis versio castigatur.* Πομπεύειν. *Schottus denuò refutatur. Varro exponitur.* Ὀμφαλοὶ. *Tensaria. Philoxenus explicatur. Thensæ Deorum & Cæsarum. Pacatus exponitur. Aurigamanu lævatangere habenas nefas habitum. Thensarum deductio, qualis. Aliud est ducere, aliud deducere thensas. Deducentes pulchrè vestiti & coronati. Singulæ thensæ habebant singulos deducentes. Thensæ ex quo & in quem locum deductæ. Pulvinar Deorum. Nomenclatores thensarum. Inscriptio vetus explicata. Thensarii. Iugares. Accommodare fræna. Tentores. Onuphrius notatur & Scaliger. Grotius emendatur & exponitur. Horti templi.* Αὐλαὶ. *Titinnius emendatur. Grassari. An & thensæ non sacræ. Turnebus revellitur. Nonius emendatur.*

EGimus hucusqve de eo genere vehiculorum, qvod vel semper vel certè plurimum duabus incedere rotis consvevit. Veniamus nunc ad alterum, qvod habebat rotas qvatuor. Ex eo primum *thensam* memorabimus, qvam & *tensam* scribunt. Ita sanè factum Vossio in Etymologico. Neq; aliter, qvam *tensa*, reperitur in antiqvis Festi schedis, si qva fides est editioni, à Scaligero publicatæ. Sed & apud Ciceronem semel iterumq; ita scriptum videas in editione Vignoni Anno MDXCVI. emissa. Nam in editionibus aliis vetustioribus præsertim adspiratio adjicitur, qva cum cæteri ferè omnes formant. Causa, cur diverso scribant modo, non videtur alia, qvam qvod de origine ipsius non conveniant, cum alii deducant

cant à θυεῖν, alii à *tenendo*. Asconius in Verrin. III. *Thensas alii à divinitate dici putabant, alii, quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Qvando ait *à divinitate*, non vocabulum intelligendum est, nec enim thensa inde potest derivari, verum ipsa res, qvatenus tamen Græcis explicatur. Vult nempe ita dictas, qvod sint divina vehicula, qvalia Græcis θεῖα. Servius deducit à θυεῖν, qvod est, *rem divinam facere*, qvia pertinebant ad negotia divina, & ceremonias, ut mox indicabimus. Verba ejus extant lib. I. Æneid. *Thensa autem cum aspiratione scribitur,* ἀπὸ τοῦ θυεῖν, *id est, à re divina.* Ubi nota, Servium docere de scriptura, qvod recepta fuerit cum adspiratione. Unde colligit, ἀπὸ τοῦ θυεῖν deduci rectius hoc vocabulum, qvam à *tenendo*. Atq; hæc etiam Scaligeri sententia, qvam puto ipse qvoq; amplectendam. Convenit profectò non scripturæ solum, sed & rei ipsi, cum illa altera à *tenendo* neutrum satis seqvatur. Nam qvod Vossius existimat sic dictas, *quia statuæ Deorum, quæ thensis ferebantur, velarentur circumquaque linteis, ad cubiculi seu delubri speciem tensis,* vel ideò probari neqvit, qvia lintea ejusmodi in thensis non fuere, qvod mox apparebit. Eqvidem & Onuphrius sic describit lib. II. de Ludis: *Erant thensæ sacri currus, super quos Deorum statuæ collocatæ erant, quæ linteis circumcirca ad cubiculi sive delubri speciem tensis cooperiebantur.* Subdit postea Festi locum, & Asconii, qvi tamen de linteis nullam faciunt mentionem. Adeò non video, qvi probari possit Argoli sententia, dicto Onuphrii proposita loco, qvando tensas nil existimat fuisse aliud, qvam parva qvædam vela. Verba ejus hæc sunt: *Non apud ludos tantum in curribus, sed etiam domi thensæ, erantque explicata parva vela tribunali, qualibus nunc etiam Romæ Cardinales utuntur, sub quibus sella Principum ponitur.* Putat, ut apparet, thensas fuisse vela explicata, instar tentoriolorum; Ea existimat nunc imposita curribus, nunc collocata locis aliis, ut pro tribunali, Solis æstusq; arcendi gratia. Qvod ut probet, adfert verba Svetonii ex *Iulio*, qvæ sic scribit: *Sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus sedem auream in curru, & pro tribunali thensam, & ferculum in Circensi pompa.* Verum liqvet esse prava codicis sui distinctione deceptum,

ceptum, atqve depravatione alia. Nam sic habent libri meliores omnes: *Sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum in Circensi pompa.* Nulla ipsi thensa decreta fuit pro tribunali, verum sedes aurea. Thensa pertinebat ad Circensem pompam. Qvare frustra ex hoc loco tentoriolum exponitur, nec magis ex Plutarcho, mores Persarum memorante, vel Corippo, qvando neuter de his thensis agit. Thensa plane, ut nunc speciem ipsius explicemus, fuit non tentoriolum aut velum, sed vehiculum. Diomedes clarè lib. I. *Thensa Deorum vehiculum.* Item Asconius: *Thensæ sacra sunt vehicula pompa ordinum & hostiarum.* Ita Philoxenus: *Thensa,* ἅρμα θεῶν. Hinc *vehicula thensarum* apud Ciceronem in Verrinis: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis.* Plaustra nominavit Tertullianus de Spectaculis, cap. 3. per contemptum, ut opinor: *Si unam thensam trahat, Iovis tamen plaustrum est.* Materia ejusmodi thensarum fuit nonnunqvam ex ebore, nonnunqvam ex argento. Festus clarè, vocabulo *thensa: Fuit & ex ebore, ut apud Titinium, in Barbato, & ex argento.* Itaq; non probo, qvod à Schotto traditur lib. IV. Nod. Cic. cap. 6. Verba ejus hæc sunt: *Ex qualibet, porro, materia factas* (thensas) *ait Festus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas ex ea arbore, quæ cuilibet Deo sacra esset.* Certè adeò non ex qvalibet materia factas Festus ait, ut nominatim ebur memoret ac argentum, alia excluſa. Qvanqvam ebur illud ac argentum sine dubio spectarint magis ad ornatum, inductumq; ac incrustatum sibi habuerint vehicula thensarum. Formam hactenus perstvaserunt sibi eam, qvalis cernitur in qvibusdam nummis. Schottus: *Thensarum forma expressa est in Numismate apud Fulvium Vrsinum in gente Rubria.* Hausit Schottus hanc sententiam haud dubie ab Ursino ipso. At Ursini sola conjectura est, neq; habet, unde confirmetur. Contra multa sunt, qvæ ipsam revellant. Nam primo nulla hic imago divina, qvam tamen thensa portari consveviſſe certum, atq; in seqventibus monstrabitur. Deinde in ipsius parte suprema sive tecto est Victoria devolans, coronamq; lauream imponens eqvis. At hoc nil ad thensas. Qvin imò in nummo Illustrissimi Excellentissimiq; Viri, Comitis *Magni de la Gardie,*

*Gardie*, Regni Sveciæ Cancellarii magni, non Victoria solum cernitur, sed & bigæ, qvibus insistit; Qvi cum hactenus vel plane non, vel non ita, sicut debet, sit expressus, à me hic apponetur.




Vides expresse clareq; bigas in vehiculo præsenti. Jam verò bigæ plane non ad thensas pertinent. Sed nec lora hic cernuntur, qvæ Asconius in thensis memorat. Ut qvodvis aliud sit vehiculum, qvam thensa, qvod in nummo antea allato est propositum. Maximè, cum & Onuphrius alia exhibeat figura, qvæ videri apud ipsum potest pag. 87. & seqventibus. Ex qva si nihil aliud, hoc saltem colligas, esse dubia incertaqve, qvæ de forma thensarum afferuntur. Qvanqvam, si rem bene ponderes, Onuphrius exhibeat non thensas, verum currus aut carpenta, qvod ex iis, qvæ à nobis alibi sunt dicta, facilè colligitur. Thensæ profectò apud ipsum sunt formatæ ad imaginem illius, qvod in nummo Faustinæ cernitur, vehiculi. Jam verò thensam id fuisse, aut Faustinam sibi habuisse decretam nemo ex veteribus commemorat. Deniqve, si veteres consulimus, alia illius observari potest species. Nam si fuit similis illis vehiculis, qvibus Ptolomæus Philadelphus in pompa apud Athenæum lib. V. simulachra Deorum traduxit, qvod qvidem censet Casaubonus ad Julium Svetonii, apparet fuisse latam longamqve, & humilem, supernè planam, rotisq; incessisse qvatuor. Sic enim describit unum dicto loco: *Post hos qvatuor rotis currus agebatur à centum & octoginta viris, longus cubitos qvatuordecim, latus octo, in qvo stabat effigies Bacchi,*

*Bacchi, cubitorum decem, ex aureo carchesio libantis, cum tunica purpurea ad talos demissa.* Nec fortassis caussa est, cur dubitemus multum, qvando cætera conveniunt non pauca, ut liqvebit postea. Sed & eqvum Dianæ, sicuti describitur Virgilio, in urbem Trojam tractum, speciem qvandam thensarum putant præ se tulisse. Hinc enim Asconius de thensis agens: *Ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere ac tangere, qui eas deducunt.* Qvæ manifestè sumpta sunt ex illo Virgilii:

-- -- *Funemque manu contingere gaudent.*

Qvo deductionem eqvi nominati describit. Jam verò eqvus ille stetisse in ejusmodi videtur tabulato, qvale Athenæus memorat, cum rotis qvatuor. Tangitq; ac intelligit Dictis, qvando de illius fabro lib. V. ait: *Ima, quæ sub pedibus erant, rotis interpositis suspenderat, scilicet, quo attractu motus facilis foret.* Nam per *ima, quæ sub pedibus erant,* sine dubio id planum intelligit, qvod dixi. Ad postremum ne imago qvidem recedit, qvæ cernitur in tabula marmorea ludorum Circensium Fulginii extante, ac exhibita Onuphrio p. 11. si, qvod arbitror, thensam exprimit, nisi qvod dimidia sui parte tantum cerni possit. Sanè, si & illi alteram dimidiam addideris, habebis vehiculum cum rotis qvatuor, supernè planum, qvale thensam credimus fuisse. Trahebatur porro hoc vehiculum ab eqvis. Sic colligimus ex Plutarcho, qvando ita habet in Coriolano: Ἵππου γὰρ ἑνὸς τῶν ἀγόντων τὰς καλυμένας θήσας ἀτονήσαντος, καὶ πάλιν τοῦ ἡνιόχου τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντος ἄμ᾽ ἐδόκουν τὴν πομπὴν ἐπιλελεῖν. *Si equus unus eorum, qui thensas trahunt, elanguisset, aut si læva manu prehendisset auriga habenas, pompam de novo decernebant instituendam.* Vides plane, tractum ab eqvis, eisq; pluribus. At videtur aliud docere Asconius in verbis antea prolatis, ubi ait, *thensas à quibusdam* putatas dici, *quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Colligas hinc, thensas loro tractas ab hominibus. Atq; facit lori ejus mentionem Cicero qvoq; in de Arusp. Resp. ubi ait, fieri contra religionem, *si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit.* Pro eo, qvod habetur, *si terram*

*non*

*non tenuit*, emendat Lipsius *siserram*, vel *sisarram non tenuit*. Verum esse frustraneam emendationem illam, docet Arnobius, in cujus libro IV. eadem occurrunt verba, sine dubio ex Cicerone desumpta. *Commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Nemo persvadebit sibi, vitium utrobiq; commissum. Fit autem & hoc loco Arnobij mentio lori, quem de thensæ loro accipiunt. Ita enim Heraldus ad prædicta verba: *Omisit per ignorantiam lorum. Quod tenebant ij, qui thensam deducebant, ut docet Asconius.* Dicit & ipse, tenuisse: quomodo vero, nisi cum tracto eo tensam ducerent? Nam quod nescio ex quo foramine in thensæ medio pependisse lora scribit Schottus, quæ gestiebant tangere, id nec certo aliquo dicitur auctore, cum foraminis illius Cicero mentionem nullam faciat, nec sensum habet aliquem idoneum. Contra de thensis loro tractis videtur posse colligi ex Athenæo, qui ad thensas pompæ Ptolomæianæ nunc centum & octoginta, nunc plures etiam commemorat viros trahentes. Sed & in equo Trojano hoc observat Virgilius, quando ait lib. II.

-- -- *Circum pueri innuptæ puellæ*
*Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.*

Cum ergo lora fuerint in thensis, nec à latere ipsarum, sive medio pendula, sed ante ipsas tensa, ut testis est Asconius, neque hoc intelligi idonee, nisi cum trahendo tensas ab ijs, qui tenere manu gaudent, tenduntur, utiq; vix constat, quomodo ut equi traxerint. Nisi dicamus, processisse thensas ope duplici, vel saltem lora funesque, quibus ad thensas juncti fuerunt equi, manu tenere ac tangere illos consveviśe, qui ducebant. Cum præsertim metus esset, ne langvescente aliquo ex equis sacrum totum redderetur irritum. De equis sane dubitari nequit, quia locus Plutarchi nimis manifeste docet. Cæterum quot equi, quove modo juncti fuerint, difficile est divinare. Si Schotti & Ursini sententia valeret, habuisse quatuor, quadrigarum instar appareret. Idem

diceremus, si sequendus esset Goltzius, quippe qui appellat thensam vehiculum Augusti cum adjunctis elephantis quatuor, in Augusti vita pag. 77. At id vehiculum veteres non *thensam* vocant, verum *currum*, quod jam in superioribus ostendimus. Sed nec thẽsam *quadrigas* nuncupari legas. Deniq; cum ductæ sint non ab equis solum, verum etiam hominibus, lora tenentibus, ut dixi, eo propendeo, ut equos singulos unum post alterum, sive duos, sive tres existimem adjunctos. Usus thensarum fuit, ut in ijs ducerentur imagines deorum in pompa Circensi. De imaginibus disertim testis est Servius ad Virgilij lib. 1. *Thensa significat, qua deorum simulachra portabantur.* Sinnius ubi agit de eadem re apud Festum, non *simulachra*, sed *exuvias deorum* thensis sectas scribit. Verba Festi, quibus hoc testatur, illa sunt: *Thensam ait vocari Sinnius Capite vehiculum, quo exuviæ deorum ludicris circensibus in circum ad pulvinaria vehuntur.* Sunt autem exuviæ ab exuendo dictæ, quia exuuntur, ut vestes, pro quibus leguntur apud Virgilium Eclog. VIII. ver. 91. Ita usurpavit & Tertullianus in lib. de Pallio cap. 4. *Enimvero cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias & peplos augusta vestis deducit oculos.* Salmasius hoc loco: *Exuviæ & pepli deorum ornamenta, & pepli quidem dearum, ut peplus Minervæ, peplus Iunonis, peplus deæ cœlestis apud Trebellium, exuviæ deorum dearumq; communes.* Subdit inde locum Festi, Svetoniumque ac Apulejum earum ait meminisse. Svetonij verba extant in Augusto cap. 94. *Videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuviisq; Iovis Opt. Max. ac radiata corona.* In quibus verbis exuviæ non sunt ornamenta quævis, sed vestes. Quod apparet, quia separantur à sceptro & radiata coronâ, quæ alias & ipsa inter ornamenta Jovis. Apulejus posuisse pro insignibus videtur. Agit enim de pompa Isidis, & post illa verba, Salmasio laudata: *Antistites sacrorum proceres illi, qui candido lineamine cinctum pectoralem ad usq; vestigia strictim injecti, potentissimorum deum præferebant insignes exuvias:* Subdit, primum gestasse lucernam, secundum altaria, tertium palmam, & caduceum.

ceum &c. quæ omnia non tam veſtes ornamentaque, quàm inſignia, quibus hic illeve deorum denotatur. Quare dubium, quid Sinnius cenſuerit ſuper thenſas poſitum fuiſſe; num veſtes an inſignia, an potius iſta omnia una cum ſimulachris ipſis. Id quod mihi quidem vero maxime videtur conſentaneum, qui exiſtimo, voluiſſe nominatim memorare exuvias, quo conſtaret, iſta ſimulachra fuiſſe ornata veſtibus, & inſignia habuiſſe ſua, Jovem fulmen, Saturnum falcem, Neptunum tridentem, atq; ſic deinceps. Nam de ſimulachris quidem nimis clare ex Servio cognoſcimus. Firmatq; Dio lib. LXXVIII. ubi in Circenſi pompa verbis expreſſis ſimulachrum Martis nominat. Ἐν δὲ δὴ τῇ Ῥώμῃ ἱπποδρομίας γενομένης, καὶ ἐπεσε τὸ τοῦ Ἄρεως ἄγαλμα πομπεῦον. Vertunt: *Præterea Romæ factis ludis Circenſibus ſimulachrum Martis, quod erat habitu triumphali decidit.* Sed πομπεῦον, non ſignificat, *quod erat habitu triumphali.* Quare alij ſic maluerunt: *ſignum Martis in ſolenni pompa decidit.* At ne ſic quidem Græci mentem ſatis explicarunt. Nam πομπεύειν hic, *quod in pompa incedit*, vehiculo nimirum ſuo inſiſtens, quod hic intelligere aliud non poſſumus, quam thenſam. In thenſa igitur fuit τὸ τοῦ Ἄρεως ἄγαλμα, quod non de inſignibus ipſius nudis veſtibusve, verum ſimulachro Martis oportere accipi manifeſtum eſt. Porro ſimulachra iſta cenſet Schottus conſtituta in quibusdam foraminibus, quæ in medio thenſarum fuerint excavata. Verba ejus hæc ſunt, loco antea laudato: *Vnaquæq; thenſa foramen in medio habebat, ad vinciendum impoſitas imagines, quod ex Varrone lib. VI. de Lingua Lat. colligo.* Quod ſe dicit colligere ex Varrone, hoc intelligi non poteſt de eo, ſicut vulgo ſeſe habet. Verba hæc ſunt: *Terræ medium non hoc, ſed quod vocant Delphis in æde foramen, adlatum eſt quiddam, ut theſauri ſpeciem, quod Græce* ὀμφαλὸν, *umbilicum dixerunt.* In his verbis nulla thenſæ mentio, aut foraminis in ejus medio. Quare quod de ea tradit, illud hauſit ex Varrone, ubi eum emendandum Scaliger putavit. Verba ita habent: *Eſt, inquit Varro, foramen ſimile tenſario foramini, quod Græci vocant* ὀμφαλὸν. Homerus: ——— ζυγὸν ὀμφαλόεντα. Enarrant Gram-

matici : ὀμφαλόεντα, ὀμφαλὰς ἔχοντα. ὀμφαλὰς δὲ λέγουσι τὰς ἐν τῷ ζυγῷ τρώγλας, ἐφ' ὧν αἱ ἱμάντων δέσεις. *Est ergo illud foramen tænia utrinque vinctum, quemadmodum & tensarum umbilici, in quas inseruntur funes illi, quibus utrinq; ad latus vinciuntur equi funales.* Liquet ex his verbis, cur foramen Schottus fecerit in thensa, illiusque medio, nempe quia in Varronæ nominatur *terræ medium*, quia ὀμφαλὸς vocatur, item, ut vult Scaliger, *tensarium*. At vero Scaliger nil de simulachris deorum ibi, verum equos funales dicit ad tensaria religatos. Quanquam de hoc ipso possit dubitari, cum sint ὀμφαλοὶ, quos Latine ipse dicit nominari *tensaria*, non in tensa, nec vehiculo, sed jugo, denotentque foramina, per quæ habenæ trajiciuntur, si est fides aliqua Græcorum magistrorum, quorum verba laudat. Quicquid sit, hoc saltem liquet, nullo niti argumento, quæ de illo foramine, revinctisque ad id simulachris Schottus tradit. Cum præsertim constet ex laudatis supra verbis Dionis, simulachra illa potuisse à thensis delabi. Κατέπεσε τὸ τῦ Ἄρεως ἄγαλμα inquit Dio sive Xiphilinus lib. LXXVIII. *Decidit simulachrum Martis.* Si decidit, qui stare potuit in eo foramine, qui ad id potuit esse revinctum? Potius hinc colligas, stetisse nude. Nisi malumus reposita fuisse in quibusdam quasi thronis. Sane in Philoxeni Glossario reperias, *Thensa*, θρόνος. Cur autem thensa, quæ fuit vehiculum, ut superius ostendi, θρόνος, sive thronus, si non fuit in ea instar throni? Quanquam vix existimem, perpetuum hoc fuisse, cum præsertim apud Athenæum videam in thensis Ptolomæi stetisse nudis ac simplicibus. Vehebantur autem ad hunc modum simulachra deorum, qui majorum gentium sunt dicti, Jovis, Junonis, Neptuni, Minervæ, ac reliquorum. Id quod post alios ostendit & Svetonius, quando in Vespasiano c. 5. nominatim *thensam Iovis* memorat. *Thensam Martis* habemus apud Dionem in verbis superius allatis. Ὀχὸς τῆς Ἀθήνας hoc est, *thensa Minervæ* legitur apud eundem lib. XLVII. è quibus licet etiam de reliquis colligere. At sequentibus temporibus, quod peculiare quondam diis fuit, communicatum est cum Cæsaribus : nam & ipsis post obitum decretæ thensæ, quibus veheretur imago

imago ipsorum in pompa Circensi. Primus, cui hic honor est tributus, Julius fuit, qvi obtinuit etiam vivus per adulationem. Svet. Julio cap. 76. *Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: Sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa.* Qvin imò non in Circensi pompa solum, sed & alias videri possunt usi thensis Imperatores, qvando sic de iis Pacatus noster cap. 21. *Quin si quando in lucem venire, & diem ferre potuissent, lecticis thensisque subvecti, sensim atque ad numerum movebantur.* Sed qvum nemo alius de thensis sic adhibitis testetur, magis est, ut invidiæ faciendæ caussa credamus Pacatum appellasse thensam qvodlibet aliud magnificum vehiculum. Interim hinc illud colligas, processisse thensas illas lentè ac sensim in pompa. Nec fortassis aliter debebant, propter imposita illa simulachra. Sed & qvi regebant eqvos, suas habuerunt leges, uti ex Plutarcho scimus, qvas observare tenebantur, imprimis, ne manu læva caperent fræna. Dicit enim in Coriolani vita, fuisse nefas, & restaurari pompam debuisse, τὸν ἡνιόχον τὴν ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἡνίας συλλαβόντα, *si auriga frænos manu sinistra arripuisset.* Sic, qvi tangebat lora puer, si ea omisisset, in religionem peccabat. Nam inter ea, qvibus religio violetur, Cicero memorat, *si puer ille patrimus & matrimus terram non tenuit, aut tensam aut lorum omisit,* in de Arusp. Responsis. Qvod & Arnobius asserit, piaculumqve committi, *si patrimus ille, qui vocatur puer, omisit per ignorantiam lorum,* lib. IV. ait. Ad postremum erant, qvi has thensas deducerent, viri in dignitate magna constituti, Senatores ac id genus, qvod ex Livio apparet, qvando ait lib. V. cap. 41. de Senatoribus aliisqve capta à Gallis urbe: *Quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibusque, ea vestiti sedere.* Ubi *thensas ducere* significat *deducere,* ita enim alii solenniter de hoc negotio loqvebantur, & à *ducere thensas* distingvebant. *Ducere* dicebant eos, qvi tracto fune promovebant, at *deducere,* qvi honoris ac officii caussa proseqvebantur, id qvod Senatoribus & triumphalibus viris erat usitatum. Erantq; hi pulcherrimè vestiti, sicut Livius ostendit, hoc est, togas habebant palmatas, & in capite coronas, ut declarat libro de Corona Militis Tertullianus. *Præferuntur,* ait, *illis hetruscæ. Hoc vocabu-*

*vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iovem insignes ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Vides, hic ornatos togis palmatis,& coronis qverceis ex auro, neq; *ducere* thensas, sed *deducere.* Ipsi hoc interdum faciebant Principes: Qvomodo de Augusto testatur Svetonius cap. 43. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thensas deduceret.* Dicit *cubans,* qvo id plane manifestum fit, qvod dixi, non videlicet traxisse hos, aut vehiculis ipsis admovisse manus, sed ea comitatos esse, cultus honorisq; gratia. Certè alias non potuisset cubans deducere, qvod feciisse tamen Svetonius testatur. Qvin imò videntur singuli fuisse destinati singulis. Idem etenim Svetonius in Flavio cap. 5. *Nero diebus ultimis monitus per quietem, ut thensam Iovis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani & in Circum deduceret.* Jubetur Nero hic deducere thensam Jovis unius, id est, Capitis ac Principis Deorum reliqvorum, ipse Princeps atq; Imperator. Qvod non erat conveniens, si non singuli singulas deduxere. Deducebantur autem thensæ qvælibet è sacrario, ut Svetonius ostendit, id est, loco peculiari, ad cujusq; Dei templum, ubi, cum cætera supellectile sacra, thensa qvoq; cujuslibet solebat servari. Et deducebantur in Circum ad pulvinar. Sinnius apud Festum: *Thensa vehiculum, quo exuviæ Deorum ludis Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur.* Fuit autem pulvinar locus peculiaris in Circo, ubi sic deductæ Deorum imagines solebant in paratis ad id lectis reponi. Sic exponit Casaubonus ad Svetonii Augustum cap. 45. ubi de Augusto: *E pulvinari spectavit, hoc est, ex Circi loco, ubi simulachra Deorum magna pompa inferri & circum metas gestari solita collocabantur.* Putatq; locum eum fuisse ad Euripum, primamqve frontem spectaculorum nominasse Augustum ipsum in epistola ad Liviam. E pulvinari ludis finitis reducebantur iterum ad sacrarium qvælibet suum, unde intelligimus, alias stetisse ibi, ac servatas esse. Dio lib. XLVII. Ὁ τῆς Ἀθήνας ὀχὸς πρὸς τὸ Καπιτώλιον ἐξ ἱπποδρομίας τινὸς ἐπανιὼν, συνεθρίβη. *Thensa Minervæ ex Circo in Capitolium cum esset reducenda, confracta est.* Dicit *rediisse* in Capitolium, unde constat, thensam Minervæ in sacrario Capitolii stetisse, indeq; ad pulvinaria ludis Circensibus deduci consve-

consveviſſe. Achæ qvidem thenſæ, à qvibus ſunt, qvi dictos putant *Nomenclatores thenſarum*, qvos exponunt eos, qvi pompam disponebant. Ita Schottus pluribus, qvi pro ſe adducit veterem inſcriptionem, in qva fiat mentio Nomenclatoris hujus. Ea talis eſt:

SOLI INVICTO
SACRUM.
T. POMPONIUS
REPENTINUS,
NOMENCLATOR
TENSAR. JUGARIS,
S.D.D.D.
DEDIC. XV. K. JUL.
MARULLO ET ÆLIANO COSS.
OB DEDIC. SPORTULAS,
DEDIT. SINGUL. II.

At verò Argolus ad Onuphrium ex inſcriptione eadem miniſtros qvosdam ſacros ait appellatos *thenſarios*. *Ab officio*, inqvit, *miniſtri ſacri thenſarii dicti ſunt*. Verum ego valde dubito, an ad thenſas ſpectet hæ inſcriptio. Primum enim abeſt ſpiritus, qvem appoſuiſſe tamen veteres, & apponi oportere ex ſuperioribus cognovimus. Deinde, ſi cum Schotto legimus *Nomenclator tenſarum*, qvo pertineat *jugaris*, qvod ſubjicitur, haud liqvet. Sed & ſi cum Argolo malumus *tenſarius*, qvid velit illud *jugaris*, minimè cognoſcitur. Qvare mihi alius videtur, de qvo agitur inſcriptione iſta: Is nimirum, qvi in Circo jungere ad currus eqvos ſolebat, eisqve imponere fræna. Hos enim *tenſarios* vocaſſe diſcimus ex Accio, cujus verba ex Paride ſervavit nobis Nonius cap. 3. voce *frænos*, & ſunt iſta: *Fræna tenſarii equorum accommodant*. Talis tenſarius rectè vocatur *jugaris* à *jugo*, qvia fræna jugis immittit. Habebant enim, uti ſupra docui, juga qvædam foramina, Græcis ὀμφαλὸς vocata, Latinis *tenſaria*, per qvæ fræna transmittebantur, ne turbari poſſent, aut defluere, ſicut hodieqve fit in jugis ruſticorum hic per Sveciam, qvorum loco alii annulos à lateribus adjungere maluerunt. Qvi ſic transmittebant, & alias imponebant fræna, dicebantur ea *accommodare*, erantqve hi

inter solennia Circi ministeria,& *tensarii* nuncupabantur à *tensario* foramine, & tendendo fræna, unde & *tentores* sunt, ut ex monumentis priscis docet Onuphrius lib.I.de Lud. Circ.cap.15. Quanqvam ipse perperam exponat eos, *qui vestes certantium aurigarum tenebant*, qvod rectè Argolus notavit. Atq; talis fuit Repentinus iste, cujus mentio est in Inscriptione proposita, non minister sacer thensarum, qvippe cujus ministerium non dici potest ullum, sed nec Nomenclator thensarum, cum si fuit Nomenclator talis, qvalem Schottus memorat, is non thensarum, sed totius pompæ Nomenclator dici debuerit. Qvod autem *tensarium* in Accio Scaliger ad Varronem putat dictum, ut aurigarium & essedarium, & sic eum, qvi adjunctos thensis eqvos regit, intelligendum arbitratur, ideò placere neqvit, qvoniam à thensa esset non *tensarius* sine adspiratione, sed *thensarius*. Nam ubi aliter ò *thensa* scribitur, id fit errore qvodam vitioq; Scribarum recentiorum, non Auctorum culpa. Id qvod judico & de loco Grotii, qvi est v.533.

*Et tibi devotæ magnum pecuaria Cyrrhæ,*
*Phœbe, decus, nostras agere in sacraria tensas.*

Loqvitur de sacrario Dianæ, in qvod ducebatur thensa ejus ex pompa, ut superiꝰ ostendi. *Hortos templi* vocat Interpres vetus Juvenalis, Græci αὐλὴν, ut ostendit Vlitzius in libell. var. Lection. ad Calphurnii v.15. Liqvet ergo cũ adspiratione scribi oportere. Id qvod & de loco Titinni censendũ, qvi laudatur Turnebo lib.xxiv. Adv. c.29. atq; ita scribitur: *Vende tensam atque mullos, sine eam pedibus grassari.* Sed opinione mea sic legendus est: *Vende thensam atque mulas, sine eam pedibus grassari.* Legunt *mulos* alii, sed *mulas* malo, qvia crebrior earum usus in vehiculis, cum muli dorso potius gestarent, essentqve clitellarii, sicut alibi monstravi. Et loqvitur Titinnius de vehiculo muliebri, qvod adjunctas mulas habuit. Dat, ut suspicor, consiliũ marito adversus conjugẽ elati atq; impotentis animi. Subtrahe, inqvit, illi, qvæcunq; alunt superbiam ipsius, vende thensam & mulas, qvibus gloriatur, & sine ipsam incedere pedibus: Hoc enim est *grassari*, gradum facere, ambulare. Observat alias Turnebus ex his verbis, thensas dicta interdum vehicula non sacra. *Tensas*, ait, *sacra vehicula.*

*vehicula interpretantur, sed eo verbo etiam profana veniunt & censentur.* Subdit postea Titinnij locum. Quanquam thensas dicta vehicula profana mihi quidem non ex hoc magis loco, quam Pacati, qui à nobis est allatus in superioribus videatur liquere. Nec enim Titinnius sic vocat sua voce, verum figurate, atq; ad invidiam, quæ *carpenta* dici debuerunt. Id quod ex contextu toto, quem monstravi paulo ante, satis manifestum est. Verba integra leguntur apud Nonium in vocabulo *grassari. Vende thensam atq; mulas, sine eam pedibus grassari, configere ejus superbiam.* Ita puto legenda. Non est, ait, opus verbis multis, ac inanibus querelis, quibus nil efficies. Re ipsa confige superbiam illius, vendito vehiculo, quo velut dea incedit in thensa. Vulgati habent *cum fingere*, nullo prorsus sensu. At *configere superbiam re* eleganter, ut *configere hostem talis.* Sic *confixum sententiis* habet Cicero in Philipp. *Diffidebant enim Servio. Meminerant ejus sententiis confixum Antonium* &c. Atq; ita alij, ut vix putem dubitandum.

## Cap. XXV.
## De Pilento.

*Pilentum. Vossius rejicitur. Tuscum vehiculum, non est carpentum, nec esseda, nec petorritum, aut carrus, aut arcera. Rotas habuit quatuor. Isidorus emendatur. Petorritum contectum, quid. Servius corrigitur. Cisia tecta. Pilentum fuit tectum. Macrobius exponitur. Fuit apertum à latere, molle, pensile, pictum veneto vel russo colore. Isidorus emendatur. Corrasius notatur. Servius exponitur. Fuit vehiculum matronarum, nec concessum meretricibus aut impudicis. Usurpatum ad sacra ludosq;. Trebellius explicatur & Virgilius. Sacra ducere, ferre. Matronæ deducebant sacra. Turnebus notatur & Pomponius Sabinus. Pilenta etiam in non sacris negotiis. Claudianus aliter, ac à Barthio factum, explicatus.*

AD pilentum venio, quod sic dictum censet Vossius, quasi fuerit bene piletum & compactum. Sed non video, cur reliqua minus esse compacta debuerint vehicula. Requirit quodlibet structuram suam, eamq; firmam, compactam, & durabilem, si mo-

do iis usibus servire debet, quibus vulgo vehicula consveverunt. Mallem credere pilentum ita dictum, quod haberet tectum supernè semirotundum pilei instar, vel quod opertum esset πίλοις, hoc est coactilibus è lana. Græci quomodo vocarint, nusquam reperi. Onomasticon vetus Argentoratense reddit ὄλημα μετέωρον, sed est ea potius descriptio, quam vera vocis versio, cum non omne ὄχημα μετέωρον latinis sit pilentum, at apparet vel ex iis, quæ superius de carpento scripsi. Nec fortassis mirum, ejus nullum apud Græcos inveniri nomen, cum Tuscum fuerit vehiculum. Ita observavit Scaliger ad Catalecta ex versu Varronis, in quo mentio pilentorum. Verba ista sunt: *Pilentum Tuscorum vehiculum. Apud Nonium dictione Carrum, ita legito: Varro* ἀεὶ λιβύη.

*Gallica petorita, carros, arcerras, Tuscapilenta.*

Differebat porro hæc pilenta à carpentis, quod jam alibi ostendi; item ab essedis petoritisq; quod testatur Horatius II. ep. 1. carris quoq; ac arceris, ut ex appositio Varronis versu noscitur. Formam ita tradit Isidorus lib. XX. c. 12. *Pilentum vel petoritum, contextum quatuor rotarum vehiculum, quibus matronæ olim utebantur.* Ostendit, rotas pilentum habuisse quatuor, id quod primum debet observari. Sed quid est, quod pilentum facit petorritum? Varro enim & Horatius distingũnt. Aut quomodo cohærent, *vehiculum contextum quatuor rotarum?* Mihi prave scripta hæc videntur, atq; sic legenda: *Pilentum, vel petorritum contectum, quatuor rotarum vehiculum.* Pilentum vult ab aliquibus *petorritium contectum* appellari solitum. Nempe duplicia faciebant petorrita, quædam aperta, quæ vulgaria erant, ubi suo dicam loco, quædam contecta, quæ voce propria nuncupabant *pilenta.* Liquet autẽ, quoniam petorrita *contecta* vocavere, fuisse vehicula non aperta, verum tecta, quod est alterum ex verbis Isidori observandum. Videturq; idem confirmare Servius, si verba ejus recte legantur, quæ nunc ita habent ad Virgilij VIII. Æn. ver. 666.

*Quidam pilenta læta occisia * sed vulgo dicta tradunt.*

Mire hæc corrupta sunt, & ideo notata asteriſco, quasi essent mutila. Ego ita puto emendanda:

*Quidam pilenta, tecta cisia sed vulgo dicta tradunt.* Nem-

Nempe ſicuti pilenta, *petorrita tecta*, pariter eadem & *ciſia tecta* vocarunt, quia ciſiorum quorundam & petoritorum non magna fuit differentia. Sed obſerva, fuiſſe illam vulgi tantum conſvetudinem. Qui loquebantur proprie accurateq;, ſuum proprium pilento dabant nomen. Quod tamen vulgo tectum ciſium, quia ſuperne, fuit conſtratum, de cætero non multum à ciſio vel petorrito diverſum. Pilentum igitur inter contecta conſtrataq; eſt vehicula, ſi Servio & Iſidoro credimus. Contrarium oſtendere Macrobius videtur quãdo habet ita I. Sat. c. 6. ex Verrio Flacco: *Eveniſſe, ut Circenſium die puer de cœnaculo pompam ſuperne deſpiceret, & patri referret, quo ordine ſecreta ſacrorum in arca pilenti compoſita vidiſſet.* Nam ſi conſpicere puer de ſuperiori loco potuit ſacra diſpoſita in pilenti arca, qui pilentum eſſe potuit contectum? Sed exiſtimo pilentum ibi dici admodum improprie vehiculum, quo feruntur ſacra. Certe alias ſunt *plauſtra* hæc vehicula. Sic enim appellat Servius, ubi agit de ſacris Cereris ad Virgilij Georg. I. *Romæ quoque*, ait, *ſacra hujus* (Cereris) *de plauſtro vehi conſveverunt.* Et pilentum proprie ad mulieres ſpectabat, non geſtationem rerum ſacrarum, ut in ſequentibus monſtrabitur. Quanquam autem fuerit vehiculum contectum, tamen à lateribus patebat. Inde vecta eo cernitur Veſtalis, & conſpiciendam ſeſe præbet apud Prudentium lib. II. contra Symmachum ver. 1085:

*Interea, dum torta vagos ligat infula crines,*
*Fatalesq; adolet prunas innupta ſacerdos,*
*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas*
*Pilento reſidens molli, ſeq; ore retecto*
*Imputat attonitæ virgo ſpectabilis urbi.*

quæ ſe ſpectabilem ore retecto imputat urbi, utiq; conſpiciendam præbet aliis, & ab iisdem poteſt cerni. At hoc nequit fieri in pilento undiquaq; clauſo. Igitur apparet, ſaltem à lateribus fuiſſe apertum. Docet autem amplius Prudentius, vehiculum extitiſſe delicatum ac molle. Idem firmat etiam Virgil. Æneid. VIII. ubi ait:

*Pilentis matres in mollibus* ---

Servius hoc exiſtimat ex eo dictum, quod eſſent pilenta penſilia.

Ita namq; habet: *Mollibus, pensilibus, ut molle feretrum, & oscilla mollia.* Ac profecto pensilia fuisse colligimus etiam ex Onomastico Argentoratensi, in quo *pilentum* exponitur μετέωρον ὄχημα, quod jam supra notavi. Est autem μετέωρον, *pensile*, hoc est quod suspensum pendet. Glossæ veteres: Μετέωρ@., ὁ κρεμώμεν@. *Suspensus.* Solebat insuper pilentum ornari colore ac pingi, primis quidem temporibus veneto colore, postea russato. Servius ad lib. VIII. Æn. loco antea laudato: *Pilenta sunt vehicula sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non ut nunc sunt, russati.* Isidorus lib. XX. c. 12. *Erant antea pilenta veneti coloris, non ut nunc sunt, russati.* Sic legendum & re ipsa teste, & auctore Servio, unde sua sine dubio Isidorus hausit, non ut habet meus liber *ut tunc sunt.* Quando Servius pilentum ait esse, *sicut nunc basternas videmus*, non hoc vult, pilenta istiusmodi fuisse vehicula, qualia basternæ, quod censuisse, ac fortassis ex hoc Servij loco collegisse Corrasium observamus. Ita namq; ait lib. III. Miscell. cap. 20. *Pilentum matronarum vehiculum fuit, quo matronæ castæ ferebantur: quas postea basternas dixere.* Verum ea Servij est mens, fuisse quondam illum usum pilentorum apud matronas, qualis extitit deinde basternarum. Basternas in locum pilentorum successisse. Nam alias basternæ gerebantur à jumentis, neq; rotas habuere ullas, ubi demonstravimus, cum de iis ageremus. At pilenta incessere rotis, sicut ex prædictis liquet, atq; ideo nec gestabantur, verum trahebantur. Trahebantur autem à mulabus, ut opinor, quando aliis plerisq; istiusmodi vehiculis adjunctæ sunt. Usus pilentorum fuit ad vehendas matronas. Festus: *Pilentum vehiculi genus, quo matronæ ferebantur.* Matronarum porro voce pudicas castasque intelligimus. Servius clarissime: *Pilenta sunt vehicula, quibus nisi castæ matronæ uti non poterant.* Itaque pilenta non concessa erant illis, quæ quocunq; modo prostituissent pudorem, eoq; nomine fuissent notatæ. Unde & Virgilius supra indicato loco:

-- -- *Castæ ducebant sacra per urbem*
*Pilentis matres in mollibus* -- --

Etsi

Etsi verò propriè pertinerent ad matronas, tamen usus earum etiam virginibus Vestalibus concessus fuit, ut Prudentius nos docet in allatis supra verbis: Nempe jura eis omnia tributa, qvæ matronis, qvod ostendi loco alio. Ideò & ipsæ pilentis vehebantur. Solebant autem his pilentis uti ad sacra ludosqve, qva de re testatur Livius lib. V. cap. 25. ubi loqvitur de auro à matronis in ærarium delato, atq; subdit: *Grata ea res, ut quæ maximè, Senatui fuit, honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque uterentur.* Hinc auctoritas dignatioq; pilentorum magna, sic, ut præferrentur carpentis, qvippe qvorum usus fuit ad negotia non sacra, atq; sic vulgatior ac qvotidianus pæne. Trebellius de Zenobia: *Usa vehiculo carpentario, rarò pilento, equo sæpius.* Cur rarò pilento? Qvia fuit vehiculum pæne sacrum, sacris certè negotiis propriè destinatum. Nisi credere velimus, etiam ideò hoc factum à Zenobia, qvod vehiculum esset molle delicatumqve, ipsa verò patientiam laborum pæne ultra modum muliebrem vellet ostentare, qvod qvidem mihi propius abesse à sententia Trebellii, cæterisq; loci ejus magis convenire videtur. Qvicqvid sit, pilentum æstimatissimum ex illo genere fuisse, qvo mulieres sunt usæ, observarunt alii qvoqve, & Lampridius, ubi recenset decreta mulierum, in vita Heliogabali primo loco ponit. Ait enim constitutum, *quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum*, tanqvam antecederent pilenta cætera cuncta genera. Hinc & Casaubonus: *Separat pilentum à carpento: Nam illud fuit honoratius.* Sed cum usæ pilentis sint matronæ ad sacra, qværi potest, qvalis usus ille fuerit. Videtur hoc ostendere Virgilius, qvando ait: -- -- *Ducebant sacra per urbem.*

At hic rursum qværas, qvid sit *sacra ducere*. Servius, ubi hæc exponere debebat, nihil habet aliud, qvam illud: *Ducebant, deducebant; Hæc enim fuerat consvetudo.* Verum valde sunt obscura ista. Clarius aliqvanto Turnebus lib. II. Adverf. cap. 14. *Matronæ honestæ apud Romanos in publicis sacris vehiculis vehebantur, in quibus sacra ferebant, quo respexit Maro.* Putat dictas sacra ducere, qvæ ferebant ea. Igitur sic ait paulò ante: *Ducere sacra & ferre sacra dicuntur, qui res sacras,*,

*sacras, & quæ ad sacra utilia sunt, remque divinam, ferunt.* Sed non sine causſa dubites, an *ferre sacra* idem sit & *ducere*, saltem, an per *sacra ducere* Virgilius intellexerit *ferre*. Cur enim per *deducere* Servius maluit explicare, qvam per *ferre?* Certè plurimum inter se diversa sunt *ferre sacra*, & *deducere*. Ferunt sacra, qvi portant; Deducunt, qvi portantes comitantur. De priori exemplum habemus apud Apulejum lib. XI. Met. ubi ait: *Ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis.* De posteriori constat ex iis, qvæ in capite præcedenti docui. Qvare, si audimus Servium, sacra non tulerunt. Et qvi potuerint? Ferre sacra non concessum fuit omnibus matronis, verum iis tantum, qvæ initiatæ fuerunt. Ipse Turnebus lib. XI. Adverſ. cap. 6. locum Virgilii superiorem altera exponens vice: *Matres familias intelligit, quæ sacerdotiis præerant.* At verò pilentis utebantur promiscuè omnes matronæ ad sacra, sicuti ex Livio cognoscimus. Qvare usus ille pertinere non potuit eo, ut sacra illis ferrent. Potius deducebant ea, sicut ait Servius, hoc est, pilentis suis impositæ pietatis & officii causa prosequebantur. Qvomodo & viri deduxisse thensas leguntur, & propositum à nobis est in superioribus. Atq; hæc, opinor, consvetudo est, qvam tangit Servius. Solebant matronæ honestiores, etiam, qvæ nullis præerant sacerdotiis, cum in pompa incederent thensæ, currus, carpenta Deorum Heroumve, ea prosequi officii ac pietatis gratia. Hoc Servius *deducere sacra*, Virgilius simpliciter *ducere* vocavit, plane sicut Livius *thensas ducere* pro *deducere* usurpavit, qvod est supra annotatum. Neqve aliter dicebatur *ducere triumphum*, aut *ducere funus*. Pedo Albinovanus:

*Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis.*

Sic igitur pilentis suis sacra ducebant matronæ, eæq; castæ omnes, non privatim illæ, qvæ sacris præerant, qvod Turnebus putavit. Hæc sacra publica, qvorum causſa concessum matronis vehiculo incedere, ut testatur Livius lib. XXXIV. cap. 1. ubi cautum scribit lege Oppia fuisse, *ne qua mulier juncto vehiculo in urbe oppidove, nisi sacrorum publicorum causſa, veheretur.* Pomponius Sabinus accepit de sacrificiis promiscuè. *Ex antiqua consvetudine*, inqvit,

*quit, in Latio, quotiens matronæ sacrificabant vel Carmenti, vel Cereri, vehebantur pilentis.* Verum haud persvadet. Non sacrificia nominant scriptores, sed sacra, eaque publica ludosque, quales ludi & ipsi sacri appellati, ut circenses, & id genus. Quanquam vero non adhibita initio pilenta, nisi ad sacra ludosque, circi præsertim ac theatri, tamen postea videtur ampliatus is eorum usus ita, ut & aliis in celebrioribus negotiis matronæ adhiberent. Horatius profecto memorat inter ea vehicula, quibus properaverint ad cernendam pompam triumphalem. Versus extant lib. II. epist. 1.

*Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.*
*Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.*
*Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.*

Agit de studio spectandi res inanes etiam & ineptas. Inde dicit festinare pilenta, & matronas intelligit, qui ad ejusmodi spectacula pilentis properabant. Apud Claudianum pilentis matronæ utuntur in nuptiis. Sic enim habet in de Nuptiis Honorij & Mariæ ver. 285.

*Ante fores jam pompa sonat, pilentaq; sacram*
*Præradiant ductura nurum -- --*

Barthius hunc locum sic exponit: *Currus sacros dicit, destinatos transvehendæ sponsæ, qualibus Antistitæ tantum utebantur olim. Antiquitus vero novæ nuptæ pedibus procedebant ductæ à patrimis matrimisq; pueris. Qui adeo obliteratus postmodum est mos, ut speciatim nuptialia carpenta commemorentur.* Mihi aliter intelligendus videtur. Nam pilentis primum non sunt usæ antistites *tantum.* Sed in universum omnes matronæ, quæ vellent, uti supra docui. Hinc non antistitum, sed matronarum vehicula exponuntur. Scholiastes vetus Horatij à Cruquio editus: *Pilenta, vehicula matronarum, sicut petorrita famularum.* Quare nec respectu isto dici possunt sacra. Imo ne quidem sacra dicta sunt Horatio, sed simpliciter pilenta. Sacram vocavit nurum, id est sponsam, Imperatoriam, non pilenta. Quæ quoniam in plurali nominat, liquet non intelligenda de pilento eo solo, quod destinabatur transvehendæ

sponsæ, verum pluribus aliis. Nempe aderant ad sponsæ januam plures matronæ cum pilentis suis, interq; illas ipsa mater Honorii, ut domum ducerent ac officii caussa prosequerentur sponsam Imperatoriam. Hæc est *pompa*, quam hic Claudianus vocat. Hæc *pilenta ductura*, id est deductura, & honoris gratia prosecutura *nurum* id est sponsam. Quam hic *nurum* appellat in respectu ad Honorij matrem, quæ ipsa præsens excipiebat eam, secumque pompa ista nuptiali ac in comitatu honestissimarum matronarum cum pilentis suis euntium, ad filium deducere parabat. Est enim nurus, uxor filij, quomodo vocari sponsa Honorij, nisi ab Honorij matre, vel in respectu ad matrem ipsius utiq; non potuit. Liquet autem ex his omnibus, quod ajebam ab initio, fuisse receptum postea matronis, ut pilentis vcherentur non in sacris modo publicis, sed & pompa nuptiali. Quin imo non matronæ solum, sed & sponsa ipsa vecta pilento videtur ex hoc Claudiani loco. Nec fortasse aliter intelligendum *nuptiale carpentum*, quod à Barthio vocatur. De quo certius constaret nobis, si adferre locum, unde hausit, voluisset.

## Cap. XXVI.
## De Petorrito.

*Petoritum, cujus gentis vocabulum. Vossij sententia examinatur. Scaliger rejicitur. Rotas habuit quatuor. Onomasticon Argentoratense exponitur. Fuit apertum. Junctas habuit mulas. Ausonius emendatur & explicatur. Vectores in eo simul sunt aurigæ. Vehiculum virorum fuit, præsertim humilioris sortis ac famulitiorum. Ornatum plumbo. Usus ad itinera. Celeriter incedebant. Etiam in urbe habebantur.*

PEtorriti vocabulum nonnulli simplici scribunt littera, quidam geminata. Simplici litera scriptum legas apud Fabium in optimis editionibus, etiam nuperrima Gronovij, viri summi. Similiter in omnibus Horatij libris II. ep. 1. Sic est scriptum. At vero geminata exhibet Ausonius epist. 8. & 14. Gellij quoq; libri quidam, ex Varrone. Caussa diversitatis non est alia, opinione mea, quam quod

quod veteres de vocabuli origine non convenirent. Quidam enim Græcum dicebant esse, alij Gallicum. Gellius lib. XV. cap. 30. *Cum quereretur, petorritum quali forma vehiculum, cujatisq; linguæ vocabulum esset, & faciem vehiculi ementitus est longe aliam falsamque, & vocabulum Græcum esse dixit: atq; id significare volucres rotas interpretatus est; commutataq; una litera, petorritum esse dictum volebat, quasi petorrotum. Scriptum etiam hoc esse à Valerio Probo contendit.* Habes ecce aliquem, qui putabat vocem esse Græcam, à verbo πέταμαι vel πέτομαι, quod *volare* significat, & Latino *rota* derivatam. Alia non à πέτομαι putabant deducendam, verum πέσορες, quod Æoliis est τέσσαρες, hoc est *quatuor*, quoniam hoc numero haberet rotas. Festus: *Petoritum dictum existimant à numero quatuor rotarum, alij Osce, quod ij quoq; petora quatuor vocent, alij Græce, sed* αἰολικῶς. Quando ait αἰολικῶς, id ipsum innuit, quod dixi. At vero Gallicæ originis putavit Varro, cui adstipulatus est & Gellius. Ita namq; pergit post superiora. *Ego cum Probi multos admodum commentationum libros inquisiverim, neq; scriptum in his inveni, nec usquam alioquin Probum scripsisse credo. Petorritum enim est non ex Græco dimidiatum, sed totum trans Alpibus factum. Nam est vox Gallica. Id scriptum est in libro M. Varronis decimo quarto Rerum divinarum. Quo in loco Varro cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoq; dixit non Latinum, sed Hispanicum verbum esse.* Cum Varrone Gellioq; facit Fabius, qui sic habet lib. I. Inst. cap. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda ac petoritum.* Meminit & Festus licet ambigat, & sententias recenseat tantum aliorum. *Petoritum*, ait, *& Gallicum vehiculum esse, & nomen ejus dictum existimant à numero quatuor rotarum.* Tametsi vero alij Græcam, alij Gallicam putarint vocem, censet tamen Vossius, eos posse inter se conciliari. Ita namq; ait in Etymologico: *Puto has sententias non difficulter conciliari, si dicamus, origine esse Græcum, Gallos vero accepisse à Massilienſibus, qui Græce loquebantur. Sic sagum, bulga, & alia tribuunt Gallis, quæ tamen illi acceperant à Græcis.* Puto tamen ego, aliam esse rationem sagi & bulgæ, aliam petoriti. Eas namq;

voces habent Græci, at petorriti non habent. Non enim ut est apud eos, Æolas præcipue, βολγὸς & σάγ@, ita quoq; est πετόρριτ@. Itaq; petorritum non est Græcæ originis, licet Galli ac Massilienses forte πέτορες pro τέσσαρες usurparint. Nam ab illo πέτορες Galli jam translato suam in linguam, & sic Gallica civitate donato fecerunt ipsi petoritum, de quo Græci nil sciverunt. Certe cum confirment omnes, Gallicum vehiculum esse, non tam Græcæ, quam Gallicæ originis vocabulum habendum. Festus: *Petoritum, Gallicum vehiculum existimant.* Scholiastes vetus Cruquij ad Horat. I. Sat. 6. *Petorritum genus est Gallici vehiculi.* Facit quidem Oscum Scaliger, sed sine caussa. Verba ejus sunt ad Catalecta: *Cisium proprium fuit* (vehiculum) *Galliæ Cisalpinæ, ut Petoritum Oscorum.* Respexisse credo Festum, cum hæc scriberet, quippe qui petoritum sic dictum ait aliquos putare *Osce, quod ij quoq; petora quatuor vocent.* At Festus non appellat vehiculum Oscorum, nec si Osci *petora* usurparunt pro quatuor, ex eo necesse est, ut petoritum vocabulum sit Oscum. Habent linguæ omnes suam in non paucis vocibus convenientiam, nec ideo si ex Germanica voce, quæ cum Arabica convenit, deducta est alia, Arabicæ eam potius originis, quam Germanicæ dicemus. Jam si non vocabulum Oscorum, multo minus vehiculum erit. Atque subdit ipse paulo post versum etiam Varronis, ubi Gallicum vocatur, non Oscorum. Versus ita habet, ut emendat ipse Scaliger.

*Gallica petorita, carros, arceræs, Thusca pilenta.*

Quare non est dubium, quin petoritum non Græcum, neq; Oscum, verum Gallicum vehiculum vocari debeat. Species illius nonnihil ex superioribus est cognita. Rotas enim constat habuisse quatuor. Festus aperte: *Nomen ejus dictum existimant à numero quatuor rotarum.* Discimus ex his verbis, errare Auctorem veteris Onomastici Argentoratensis, quando *petorritum* φορεῖον Græce vertit. Nam φορεῖον sella est, vel lectica, quæ rotis omnibus destituitur. Nisi putamus τὸ φορεῖον accepisse pro vehiculo quocunq; deniq;, vocemq; Latinam specialem, reddidisse generali Græca. Videntur & petorrita fuisse sine tecto. Ideo enim *tecta petorrita.* Isidorus

dorus nominavit pilenta. Pilenta sanè non fuere petorrita: Ideò nec tecta petorrita, qvæ sunt eadem cum pilentis, petorrita communiter sic dicta. Ex qvo seqvitur, qvod dixi, petorrita communiter vocata fuisse absq; tecto aperta. Isidori verba: *Pilentum vel petoritum contectum, quatuor rotarum vehiculum.* Sic enim legenda esse verba ista dixi præcedenti capite. Qvia petorritum vehiculum rotarum qvatuor, sicuti pilentum, & tamen apertum, ideò pilentum, tectum petorritum vocarunt. Trahebantur petorrita à mulabus. Discimus ex Ausonio, qvando ita habet ep. 8.

*Cornipedes rapiant impostа petorrita mulæ.*

Hinc idem epistola 14.

*Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi*
*Canteri, moneo, malè nota petorita vites:*
*Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.*

Sic existimo legenda ista esse. In editione Scaligeri, Lugduni apud Gryphium Anno MDLXXV. publicata, post verba primi versus, *acris equi,* punctum est, & *canteri* ad *petorrita* refertur. At *petorrita canteri* vel *canterii,* qva dicantur ratione, non intelligo. Nam, ut explicemus ea, qvibus juncti sint canterii, nulla satis efficax est ratio. Cum præsertim, qvo pertineant celeres mulæ in versu seqventi, haud appareat. Qvare manet mihi persvasum, verba esse ita distingvenda, sicut dixi, ut eqvus canterius cohæreant, & mulæ ad petorita referantur. Qvod si verum, discimus hoc amplius, ipsos sæpe, qvi ejusmodi petorritis utebantur, sibi aurigas fuisse. Hoc enim vult versus ultimus, & ideò petorritum vitare Paulum jubet Ausonius. Nam Metiscus, qvi auriga Turni fuit, de auriga qvolibet hic usurpatur, infelici præcipuè, cum Metiscus ille fuerit excussus curru. Virgilius lib. XII. Æn.

*Aurigam Turni media inter lora Metiscum*
*Excutit, & longè lapsum temone relinquit.*

Neq; alia est caussa, cur petorita vocet *malè nota,* qvam qvod Paulus aurigationis esset imperitus, qvod tamen in petorito reqvirebatur, si non semper, sæpe saltem atq; plurimum. Pertinebant alias petorrita primum ad viros, qvod ostendit hic Ausonii locus. Con-

venit & Horatius lib. I. Sat. 6. qvando sibi, si esset opulentior, *ducenda petorrita* dicit. Versus hi sunt:

*-- -- Vti ne solus rus ve peregrè-*
*ve exirem; Plures calones atque caballi*
*Pascendi, ducenda petorrita. -- --*

E qvibus versibus simul observamus, fuisse petorrita ista opulentiorum. Qvanqvam fortè non tam pertinuerint ad vehendos ipsos, qvam ministros eorum comitesve. Certè unus pluribus petorritis per se non potest uti. At hic Horatius sibi uni, si esset opulentior, *ducenda petorrita* in plurali numero fatetur. Non igitur ad gestandum ipsum ita pertinere potuerunt, ut res alias, ministros credo supellectilemqve. Atq; sic opinor capiendum esse, qvando Scholiastes vetus Horatii à Cruqvio editus tribuit petorrita famulis. Verba ejus ad lib. I. ep. 2. *Pilenta vehicula matronarum, sicut petorrita famularum.* Non, inqvam, solæ famulæ iis vehebantur, nam hoc satis revellas ex superioribus, sed & famulæ, sicut famuli. Qvemadmodum viri honoratiores post se famulos trahebant in petoritis, eodem modo fœminæ ac matronæ honoratiores famulas. Neq; tamen famulorum famularumve tantummodo vehiculum fuit, sed & virorum privatorum aliorum, ut Ausonius testatur. Idcirco erant qvoq; non omnino rudia, sed & ornata, albo præsertim plumbo, sicut Plinius testatur lib. xxxiv. cap. 17. Adhibebantur autem hæc petorita potissimum, cum faciendum esset iter. Ideò Ausonius Axio Rhetori svadet ep. 8.

*Cornipedes rapiant impostа petorita mulæ:*
*Vel cisio trijugi, si placet, insilias.*

Rapiant, dicit, te nimirum Axium, sed pro eo ait *impostа petorita.* Ubi per *impostа* intelligo *adjuncta*, sive *juncta.* Nec enim petorrita sic propriè imponebantur jumentis vel mulabus, qvod ex eo constat, qvia rotis fuerunt instructa. Nam vehicula, qvæ habebant rotas, trahebantur, non gestabantur; Et qvoniam non gestabantur, ideò nec imponebantur, ut est manifestum. Porro, qvando dicit, *rapiant*, petorrita ostendit vehicula fuisse cita & celeria. Propterea is ipse Ausonius dissvadet Paulo ep. 14. ut nec satis firmo, & per ætatem

tem senilem concitationis ejus impatienti. Præmittit enim:

*Sed tantum appropera, quantum pote, corpore & ævo*
*Vt salvum videam, sat citò te video.*

Qvibus verbis docet, petorrita non fuisse accommodata senioribus, & vel per ætatem vel per ægritudinem infirmis, sed robustioribus solummodo valentibusqve. Interim is ipse tamen locus ostendit, petorrita adhiberi solita, si qvando faciendum esset iter, præsertim celeriter & cum festinatione. De itinere præter Ausonium testatur & Horatius lib. I. Sat. 6. Verba supra laudavimus, in qvibus dicit apertè *ducenda petorita*, si *rus peregreve* diviti ac in dignitate publica constituto exeundum. Qvanqvam verò hic una cum Ausonio de itinere loqvatur extra urbem, tamen & in urbe ipsa fuisse usurpata docet loco alio, qvi est lib. II. ep. 1. Ait enim, ad spectaculum triumphi una cum essedis & pilentis festinasse:

*Esseda festinant, pilenta, petorita, naves.*

Jam verò notum, triumphos habitos non extra urbem, sed in ipsa. Ergo & in urbe adhiberi solita petorrita. Et hæc qvidem, qvæ de isto genere apud veteres observavimus.

## Cap. XXVII.

## De Carruca.

*Carruca.* Καρύχα. *Carrocha. Carrochium.* Καρύχιον. *Rotas habet quatuor. Onomasticon Argentoratense explicatur. Est de genere rhedarum. Lampridius exponitur. Capsus. Est alta. Carracutium. Est ornata ære argentove. Meursius refutatur. Iunctas habet mulas binas vel quaternas, quod posterius tamen carpentum potius appellabatur. Carrucæ propriè non sunt carpenta. Plinius explicatur. Est vehiculum Senatorum & honoratiorum, est & aliorum, sed sine ornamentis ex ære. Carrucæ fœminarum. Carruca dormitoria. Carrucæ commodato acceptæ. Carrucæ meritoriæ in publico.*

CArrucæ mentionem, nescio, an qvisqvam ante Plinium fecerit. Sic autem ipse lib. XXXIII. cap. 11. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Leguntur postea apud Svetonium & alios. Qvidam non *carrucam*, sed cum adspiratione *carrucham* scribunt. Inde habes & apud Hesychium, καρύχα ἅρμα. Vallesius in Notis ad Ammia-

Ammianum lib. XIV. ubi ipse edidit *carrucis: Editio Romana habet carruchis. Quam scripturam tuetur Hesychius & vetus Glossarium. In Pandectis Florentinis carrucha semper scribitur, quomodo etiam in hoc loco codicem suum habuisse, testis est Lindenbrogius.* Suspicor, interdum & *carrocham* seu *carrocam* appellasse, qvoniam habemus *carrochium* apud Scriptores semibarbaros, sine dubio à *carrocha.* Et sunt ferè litteræ permutabiles istæ. Sic enim dixere *totela* & *tutela*, *soper* & *super*, *servos* & *servus*, qvod jam pridem Docti annotarunt. Nec fortassis alia est caussa, cur in Glossis sit καρόχιον, qvod Latinè est *carrochium.* Nomen suum unde habeat carruca, non omnino certum est, pleriqve tamen derivatam volunt à *carro.* Carrus sive carrum barbara est vox, opinione mea. Ita & carruca erit seu carrucha. Nec fortassis magna inter illa duo differentia, si vocem spectes. Nam & hodieq; per Germaniam & vicinas regiones, qvod in uno loco Karre/id in alio est Karch. De figura sive specie carrucæ hoc invenio, primum rotas habuisse qvatuor. Corrasius lib. III. Misc. cap. 20. *Carrus quadrirotum est, hoc est, quatuor rotarum, à quo fit carruca, quæ parvum currum significat, totidem rotas habentem.* Similiter Valesius ad Ammianum: *Est carrucha τετράκυκλον ὄχημα.* Ex Valesio hausit Jac. Gothofredus in Commentario ad lib. XIV. Cod. Theod. t. 12. leg. 1. ubi ait: *Carruca seu carrucha in genere erat τετράκυκλον ὄχημα,* id est, vehiculum cum rotis qvatuor. At verò longè aliter reperias in Onomastico Argentoratensi, qvippe ubi legas ita: *Carruca, μονότροχ⊙.* Est μονότροχ⊙ vehiculum unius rotæ, non qvatuor. Itaq; secundum hunc auctorem unam tantum rotam habuerit, necesse est. Verum, si carrucas veteres rectè cogitamus, falsum hoc appareret. Qvi enim vehiculum unius rotæ inservire potuit iis usibus, ad qvos adhibitæ carrucæ? Sed fortassis ipse per carrucam genus aliud intellexit, nempe qvale aliqvando & Germanis Karch & per diminutionem Kärchle dicitur, unde Schubkarch/ qvod μονότροχ⊙ & cum rota una, sicut alibi ostendi. Nam carruca, qvalis usitata fuit apud veteres, haud dubie rotis pluribus incessit. Qvare autem qvatuor in ea memorent, ignoro, cum non viderim ex veteribus, qvi disertim hoc testetur. Et existimo, venisse hancce in sententiam,

qvia

qvia viderunt rhedam qvoq; nuncupari. Vallesius profectò ita habet: *Est autem carrucha τετράκυκλον ὄχημα, seu rheda.* Qvoniam rheda, ideò τετράκυκλον, qvia tale vehiculum est rheda. Sed de rheda postea. Carrucham rhedam dici colligit Vallesius ex Hesychio, in qvo legitur ῥήδιον, καρέχων. Item Glossis Græco-Latinis, qvæ sic habent: Καρέχιον, *rheda.* Addo ego Martialem, qvi, cum lib. V. epigr. de Basso præmisisset:

-- -- *Plena Bassus ibat in rheda:*

subdit de eodem:

*Nec feriatus ibat ante carrucam.*

Atq; ita, qvod prius *rhedam* dixit, postea nominat *carrucam.* Videtur idem voluisse Lampridius in Alexandri Severi vita, cap. 43. ubi ait: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit.* Non existimo de diversis agere Lampridium, qvoniam honorati ac in dignitate eadem constituti non diversis uti vehiculis solebant, sed iisdem. Igitur τὸ & non significabit aliud, sed idem, eritq; loco *vel* adhibitum, & priorem dictionem explicabit. Qvomodo Vopiscus in Aureliano: *Vehiculo suo, & judiciali carpento.* Qvanqvam verò carrucæ per rhedas explicentur, tamen non omnino easdem esse puto rhedas & carrucas, sed has arctiori sensu poni, istas latiori; Carrucas omnes esse rhedas, non vice versa rhedas omnes carrucas. Carrucarum sanè vox freqventius accipitur de vehiculo honoratiore, non ita rhedarum, ut seqventia firmabunt. Cæterum, carruca videtur fuisse tecta. Isidorus sanè memorat carrucam undiq; contectam, qvam ait dictam *capsum.* Verba ejus: *Capsus, carruca undique contecta, quasi capsa.* Sic scribendum arbitror, non *contexta,* qvod in mea legitur editione. Qvanqvam autem dubitem de capso, qvippe qvod hoc sensu alibi non reperiatur, tamen expositio demonstrat, nisi fallor, fuisse carrucas aliqvas undiq; contectas. Dico aliqvas, qvoniam, si fuissent omnes, peculiari voce capsos dici, minimè necesse fuerat. Censebantur autem vel præcipuè ab altitudine, qvod colligimus ex Ammiano, qvi Romanos ait hoc in laude gloriationeq; posuisse. Ita namq; habet lib. XIV. *Alii summum decus in carrucis solito altioribus & ambitiosa vestium*

*cultu ponunt.* Qvalis aut unde altitudo ista fuerit, haud constat, nisi putamus, pertinere huc, qvod legitur apud Isidorum, & in Glossis Arabico-Latinis Vulcanii: *Carracutium, vehiculum altissimarum rotarum, quasi carrum acutum.* Qvod ait *quasi carrum acutum* Isidorus, sine dubio ineptum est. Qvid enim acutum ad rotarum altitudinem? Malim credere, carrucas qvasdam habuisse rotas altas prorsus, ut per hoc & ipsæ redderentur altiores. Eas deinde ad vulgarium differentiam *carracutia* vocatas. Præter altitudinem accedebant ornamenta varia. Primum qvidem ex ære atq; ebore, mox & argento. Vopiscus in Aureliano cap. 46. *Dedit præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Qvæ *carrucas* prius, ea mox *vehicula* appellat, voce specialius accepta. Neq; aliter intelligenda apud Lampridium vita Heliogabali, ubi ait: *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis.* Vehicula hic sunt carrucæ, qvas non argento tantum, sed & auro gemmisq; cultas postea, hinc discimus. Ac æratæ qvidem eboratæq; carrucæ longo tempore fuerunt in usu apud Romanos: Argentatæ verò cœpere Plinii temporibus. Ipse lib. XXXIII. cap. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Notandum est, qvod *cælare* dicat, hoc enim ostendit, non pictas bracteis argenteis fuisse, verum sigillis ex argento solido distinctas, qva de re jam alibi est actum. Mansit genus hoc deinde lõgo tempore. Nã qvod Meursius ab Aureliano factas putat argenteas, erraneum est. *Postea,* inqvit in de Luxu Romano, c. 11. *argentea quoque fuerunt* (vehicula) *primusq; ea dedit Aurelianus, teste Vopisco.* Nihil tale Vopiscus testatur, verum dedisse ait potestatem habendi carrucas *argentatas.* Pari modo interpretor & Symmachum, qvando ait lib. X. ep. 33. ad Theodosium Imp. *Cum clementia vestra meminisset, faciendæ carrucæ impendium de sacro ærario esse decretum, censuit, ut ejus argentum publicis conditis redderetur.* Jungebantur autem carrucis muli, qvod ostendit Scævola l. 13. ff. de Auro, arg. *Quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa sit, ei debeatur.* Non minus freqventer, imò freqventius fortassis mulæ. Paulus lib. III. Sent.

Sent. t. 6. *Carruca cum junctura* (sic recte Cujacius emendat, pro *jactura*, quod habet vulgo) *legata, mulæ quoq; legatæ videntur.* Inde habes *mulam carrucariam* apud Ulpianum l. 38. ff. de Edil. Edicto. *Quæsitum est, si mula talis sit, ut transjungi non possit, an sana sit: & ait Pomponius, sanam esse, plerasq; denique carrucarias tales esse, ut non possint transjungi.* Quando ait, *plerasq;* ostendit aperte, frequentem mularum in carrucis fuisse usum. Numerus earum fuisse binarius videtur. Lex Cod. Theod. de Honoratorum vehiculis lib. XIV. t. 12. *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum, vehiculis dignitatis suæ, id est carrucis bijugis, intra urbem sacratissimi nominis semper utantur.* Habes nominatim *bijugas* carrucas, id est cum duobus jumentis. Hoc enim est *bijugum*, ut *curriculum bijuge* apud Svetonium in Caligula c. 19. Quanquam cum carrucas bijugas appellat nominatim, ostendere videatur, quasi fuerint & quadrijuges. Si enim omnes tales fuere, quid necesse erat, ut adjiceretur? Quare credo, carrucas etiam quadrijugas habuisse. Sed fortassis illæ non tam crebro *carrucæ*, quam *carpenta* dictæ. Ita suspicor ex Symmacho, quoniam, quam prius appellavit carrucam, postea nuncupat carpentum. *Solutio*, inquit, *si carrucæ usus maneret, de thesauris Imperialibus jure peteretur. Sed num carpenti novitate summota, suum quisq; deposcit.* Carruca de qua loquitur, est vehiculum Præfecti Urbis, proprieq; carpentum dicebatur. Quod cum solenniter adjuncta haberet jumenta quatuor, liquet plane carrucam cum jumentis quatuor, significare carpentum. Nec fortassis alia major inter carpentum & carrucam fuit differentia, cum ut videmus, carpentum carruca nominatur. Quanquam cum & carpenta videamus cum adjunctis jumentis duobus, non inepte fortassis statuamus, etiam in reliqua forma quid diversum habuisse, quæ carrucæ dicebantur. Maxime cum distinguat inter sese Scholiastes vetus Horatianus à Cruquio editus ad lib. I. Sat. 6. ubi de pilentis agens disertim ait: *alia sunt carpenta, aliæ carrucæ.* Quia tamen ea differentia non fuit magna, & præterea carrucæ loco carpentorum cœperunt usurpari, hinc carrucæ interdum, quæ olim carpenta. Sic intelligendus Plinius videtur, quando ait: *Nos carrucas ex ar-*

*gento cælare invenimus.* Loquitur de carrucis, tanquam diu notis, & usurpatis quondam sine argenti cælamine. At vero carrucas nominavit nemo ante Plinium, quod sciam. Quare sequitur, per carrucas intellexisse, quæ olim carpenta dicebantur. Ac fortassis orto ea ætate carrucarum usu loco carpentorum veterum, etiam vox invaluit, dictæq; carrucæ etiam carpenta. Usus carrucarum fuit, qualis carpentorum veterum. Vecti primum eis viri, nominatimq; Senatores. Ita docet Spartianus in Alexandro Severo: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent permisit.* Deinde & honorati alij, quod apparet ex lege Codicis Theodosiani allata in superioribus, ubi nominatim habemus: *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum* carrucis utantur. De his intelligendum est, quod Vopiscus habet in Aureliano: *Dedit prætereapotestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Nam privati hoc in loco sunt accipiendi Principis respectu, quod jam viri docti observarunt, id est honorati omnes, maxime Senatores. Quorum carrucas tamen cum & Vopiscus, & ante ipsum Spartianus ostendant fuisse argentatas, consequens videtur, ut aliorū credamus mansisse æratas atq; eboratas, & sic carrucarum usum sic in universum non fuisse proprium tantummodo honoratorum, sed & aliorum. Illud habuisse honoratos præ aliis, ut carrucis argentatis fas haberent uti. Post viros usus carrucarum pertinebat etiam ad feminas. Inde quæstio apud Scævolam l. 13. ff. de Auro, Argento. *Quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa sit, ei debeatur.* Loquitur velut de re non infrequenti, unde id colligitur, quod dixi. Pertinebant autem carrucæ honoratorum quidem, ad monstrandum munus, quod in republica sustinerent. Inde Lampridius de Alexandro Severo, & concesso ab ipso jure Senatoribus, quo possent uti carrucis argentatis: *Interesse Romanorum dignitatis putabat, ut his tantæ urbis, Senatores veherentur.* Eodem spectat lex de honoratorum vehiculis in Codice Theodosiano, qua libenter credimus eruditissimo Jacobo Gothofredo, non permissum modo, sed præceptum etiam fuisse honoratis urbis, ut hoc gene-

genere vehiculi uterentur. *Mihi*, ait ad legem illam, cujus ante verba retuli, *sententia sedet, neq; fastum hac lege reprimi, neq; Honoratis tantum carrucarum usum permitti; verum si recte capio, omnibus honoratis necessitatem imponi vehiculis dignitatis suæ, quæ utiq; erant carrucæ bijuges, semper utendi intra urbem. Vehiculis, inquit, dignitatis suæ SEMPER VTANTVR: quæ verba, ni fallor, necessitatem important omni loco & tempore.* Quanquam usus ille olim fuerit promiscuus, & carrucis vecti sint non argentatis modo, sed & aureis, etiam privati. Privatus enim, & in nulla constitutus dignitate videtur fuisse Quintus, quem perstringit. Martialis lib. V. quod habuerit carrucam auream.

*Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Nec fortassis hæc postrema fuit caussa, cur deinde usum vehiculorum Marcus Imperator sustulerit in urbe. Capitolinus cap. 23. *Marcus sederi in civitatibus vetuit in equis sive vehiculis.* Mulierum carrucæ ad delicias præcipue referebantur, ut in eis molliter vectæ conciliarent sibi somnum. Quo spectasse puto *carrucam dormitoriam*, cujus Scævola facit mentionem. Nec enim peculiarem existimo intelligendam, quasi fuerit aliqua dormitoria, alia aliis usibus destinata, sed communem, qua tamen matrona illa usa sit peculiariter hoc fine. Nam aliæ ad alia usurpabant, ambulationes per plateas, confabulationes ac id genus, quod facillimum est intellectu. Atq; quoniam is frequens carrucarum usus, inde credo fuisse, qui utendas elocarent, saltem commodarent, commodatoque acciperent. Inde namque Paulus l. 17. ff. Commodati, ex Pomponio: *Eum qui carrucham vel lecticam commodavit, non recte acturum de singulis partibus.* Habebat autem has carrucas domi suæ in peculiaribus, & ad id paratis stabulis. Quod colligimus ex Ulpiano, quando ait, l. 13. §. ult. ff. de Usufruct. & quemad. inique eum facere, qui cum habet legatum domus usumfructum, meritoria illic instituit, aut *si stabulum, quod erat domi jumentis & carrucis vacans, pistrino locat.* Atq; hæc de carrucis.

## Cap. XXVIII.

# De Carro.

*Carrus, carrum. Isidorus refutatur. Vossius describitur. Carri Gallorum. Carrus non fuit birota. Usus ejus ad onera, & vehendas species. Prosecutores carrorum. Carrada. Carragium. Vossius notatur. Matthæus Parisiensis exponitur. Carricare. Sarcinas portabant in militia. Walsinghamus explicatur & emendatur. Vossius rejicitur. Gartina. Munimenta per carros, qualia. Carrago. καραγὸς. Interpres Leonis castigatur. Carrago ad muniendum iter. Τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν ϛῆσαι. Clabularia. Iac. Gothofredus bis revellitur, & Codex Theodosianus explicatur. Clabulare num carrum & angaria. Salmasius rejicitur.*

A Carruca venio ad carrum. Quod vehiculi genus veteres duplici extulere modo, nam & masculine, & neutraliter reperitur. Masculine usurpavit Cæsar. ut lib. I. B. G. *Ad impedimenta & carros suos sese contulerunt.* At in neutro habes apud Hirtium lib. Hisp. *Ea die per viarum angustias carra complura multosque lanistas retraxit.* Simili modo usurpavit Isidorus. Et in Glossis antiquis *carrum* est neutrali genere. Unde dictus carrus sit, Isidorus sic declarat: *Carrum à cardine rotarum dictum, unde & currus dicti, quod rotas habere videntur.* Sed quid *cardo rotarum?* an id, circa quod vertuntur, sicut janua vertitur circa suos cardines? At hoc non est cardo in vehiculis, sed axis. Sed nec *quod rotas habere videntur*, carros declarat; habent enim alia fere omnia vehicula rotas, nec ideo sunt carri. Vossius existimat, per literarum transpositionem sive transmutationem *carrum* factum à *curru*. Verba ejus sunt in Etymologico. *Carrus* κατ' ἀντίϛοιχον *est à currus*. Mihi aliter videtur, nam existimo, vocabulum esse, non Latinum, sed desumptum à barbaris, forte Gallis. Caussa, quia veteres Latini non usurpant. Nusquam legitur apud Varronem, nusquam apud Virgilium, Tullium, & similes. Adducitur ex Sisennæ lib. IV. Histor. *Impedimenta collocant omnia, construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* Sed ostendit locus ipse, sermonem esse non de Romanis, verum populis aliis, qualibus in usu fuerunt

& sar-

& sarracæ. Et profecto agitur de munimento per carros & vehicula. Jam autem istiusmodi munitionis genus Romanis non innotuit, receptumve fuit, nisi sero. Igitur illi carri, quorum meminit Sisenna, non pertinuerunt ad Romanos, & sic nec Romana Latinave voce appellati sunt, sed ejus populi, de quo ibi agebatur. Atque tali modo carros usurpavit etiam Cæsar Julius. Quando de Helvetiorum Gallorumve agit vehiculis, *carros* vocat. Ut lib. 1. de Bel. Gal. cap. 3. *Constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinent, comparare, jumentorum & carrorum quam maximum numerum coëmere.* Et cap. 24. ejusdem libri: *Helvetii cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt.* Atq; ita multis locis aliis. Unde colligo, carri vocem esse non Romanam, verum peregrinam, Helveticam Gallicamve. Cum præsertim Karre hodieq; pro vehiculo Helvetiis similibusq; usurpetur. Carrum Græci reddunt ἅμαξαν. Glossarium vetus titulo de Agricultura: *Carrum*, ἅμαξα. Metaphrasti Cæsaris est ἅρμα. Ita namq; reddit locum supra nobis adductum: Τὰ πρὸς ὁδοιπορίαν πάντα ἐψηφίσαντο παρασκευάζεσθαι, οἷον ὑποζύγιά τε καὶ ἅρματα. Et loco alio: Οἱ μὲν Ἑλβήτιοι ἅτε δὴ ἔρυμά τι τὰ ἅρματα προβαλόντες: Quod Cæsar ita proposuerat: *Pro vallo carros objecerant.* Ex quo colligas, non habuisse Græcos vocem certam, qua exprimerent. Fuit porro carrus vehiculum rotarum quatuor, si Corrasium audimus. *Carrus*, ait lib. III. Miscell. cap. 20. *quadrirotum est, hoc est, quatuor rotarum.* Et profectò non birota fuit, quod colligimus ex eo, quoniam birotæ onus fuit librarum ducentarum, carri verò sexcentarum, ut testatur l. 8. Cod. Theodos. collata cum lege 47. ejusdem Codicis, titulo de Cursu publico. Et quia carri onus triplo fuit majus oneri birotæ, hinc auguramur, carri quoq; magnitudinem triplo superasse magnitudinem birotæ, atque ita non sine ratione credi quadrirotam. De forma cætera nil proditum invenio: Plaustris non dissimiles multo suspicor fuisse. De jumentis quoq; qualia habuerint adjuncta, vix audemus quidpiam definire. Si rhedis birotisq; similes fuisse credimus, quod svadere videtur titulus Codicis Theodosiani de cursu publico, boves aut mulos fuisse, quorum tractu procedebant, credi potest. Usus commu-

communissimus eorum fuit ad vehenda onera. Spectabat autem vel ad pacem, vel ad bellum. In pace potissimum adhibiti ad cursum publicum, & transvehendas in eis species, aut subvectandas sarcinas eorum, qvi licentiam habebant usurpandi cursus publici. Discimus ex l. 47. dicti Codicis Tituliqve, qvæ sic habet: *Rhedæ mille librarum onus imponi debet, carro sescentarum, nec amplius: Addito eo, ut aurum cæteræque species largitionales non ad libidinem prosecutorum vel susceptorum, sed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferantur.* Manifestè docet lex hæc, carris onera imponi consveisse, ac præsertim onera earum rerum, qvas appellat species largitionales. Dein oneribus istis sæpe nimium fuisse gravatos, idqve, uti docet, libidine *prosecutorum*, id est, inhumanitate qvadam eorum, qvi custodiæ caussa species istas prosequi debebant. Sic vehiculis pariter & jumentis allata damna, qvæ ut in posterum evitarentur, constitutum, ut ne amplius carro, qvam librarum sexcentarum onus, imponeretur. Hoc fuit justum carri onus, qvod ex eo qvoq; *carradam* vel *carratam* appellarunt. Testis Vossius in Glossario, pro hac sententia laudatis verbis Aimoini ex lib. V. Histor. Franc. cap. 10. *De melle, carrada una ex modiis octo.* Idem putat & *carragium* vocasse: *Carriagium vel cariagium, onus carri, sive quod vehitur carro. Ita Matthæus Parisius utitur, cujus verba in careta adduximus.* Verba Matthæi Parisii in voce *careta* sic se habent apud Vossium: *Nullus baillivus noster, vel vicecomes, vel alius, capiat equos vel caretas alicujus, pro cariario faciendo.* Hic non est *cariagium*, sed *cariarium*. Sed haud dubie scribendum *cariagium*, ut mox dicam, & est istud typographi mendum, non Vossii vel Matthæi. Cæterum, ex verbis istis nescio, qvi possit colligi, *carjagium* significare onus carri. Sanè dicit Matthæus *cariagium facere*. Si cariagium esset onus, necesse foret, ut similiter dici posset *onus facere*. At qvis ita loqveretur, *cape equum pro onere faciendo?* Vel qvid omnino esset, *onus facere?* Qvare mallem cariagium exponere de itinere, qvod fit carro. Nempe cariagium sic à carro agendo dictum, fitqve, qvando carrus agitur. Sic *capere caretam pro cariagio faciendo*, significabit capere currum ad faciendum iter. Neq; alia mens fuit Matthæi Parisii, si qvid possum conji-

conjicere. Ipsum enim nunc inspicere haud licuit. Aliud igitur est *carriagium*, aliud *carrada*, illud, vehiculo uti, hoc vero, quod vehiculo imponi solet, onus. Quod qui imponebant, ab eadem *carri* voce dicebantur *carricare*. Glossæ veteres Arabico Latinæ Vulcanij: *Carrico, onero*. Adde, quæ de voce hac Ger. Vossio in Glossario notantur. Sicut vero carri usurpati ad vehenda onera in cursu publico, ita nescio quid obstet, quo minus credamus & adhibitos ad onera in cursu privato. Licet observaverim hucusque neminem, qui ejus cursus fecerit mentionem. In militia pertinebant primum ad portandas sarcinas. Ideo inter ea, quæ exercitui sunt necessaria ad faciendum iter, Julius commemorat statim ab initio lib. I. de Bel. Gall. ubi de Helvetiis: *Constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinent, comparare, jumentorum & carrorum quam maximum numerum coëmere*. Idem ejusdem libri c. 24. numerat inter impedimenta. *Helvetij*, ait, *cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt*. Interpres Græcus hanc ob caussam clare appellavit σκευοφόρους. Ita namque ista reddidit. Οἱ Ἑλβήτιοι πᾶσι σὺν τοῖς σκευοφόροις τὰς Ῥωμαίους καλαδιώξαντες, τότε μὲν αὐτὰ εἰς ἕνα τόπον συνήθροισαν. Intelligit autem integre ἁμάξας σκευοφόρους, quod significat plaustra vel vehicula sarcinis gestandis destinata. Hi carri sic cum suis sarcinis conjuncti omnes una voce quam habuimus & in superioribus *carriagium* dicebantur. Sic enim intelligo, quod habet Walsingamus in Richardo II. *Cumq; certam nostri elegissent stationem, ordinate & pulchre dispositi per turmas suas: cariagium quoque, quod Garcinas* (emendant, *sarcinas*) *appellamus, à tergo locassent*, &c. Vossius *impedimenta* explicavit in Glossario; sed est paulo latior impedimentum vox, quam ut carriagum possit exponere. Imo cum *carriagium locare* dicat Walsingamus, existimo, non significare tantum carrorum conjunctionem fortuitam, qualis sæpe fit in itineribus, sed peculiarem, quali munimentorum vice Galli, Helvetij, alijq; populi consveverunt uti. Neq; enim alias τῷ *locare* idoneus esse potest sensus. Ad postremum in Walsingamo non *sarcinas*, sed *gartinas* lego. *Sarcinas* enim non Latina est. At Walsingamus ait *appellamus*, quod non dubito, quia ad gentem

Walsingami, h. e. Anglos debeat referri. Si Angli sic vocarunt, & vocarunt contra consvetudinem Romanam, qua tum *carriagium* appellabatur, utique non *Sarcinas* dixere. At *Gartinas* potuerunt appellasse à *Gar, Kar*, carro, & *tina, tyna*, sæpimento, quasi sæpem è carris. Cum præsertim nihil olim fuerit vulgatius cunctis istis populis, quam munitiones omnes *tyn* vocare, quod jam olim in Upsalia veteri observavimus. Consvetudinis extat mentio apud Cæsarem lib. I. c. 26. *Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est: propterea, quod pro vallo carros objecerant.* Vegetius in universum cunctis tribuit barbaris, & hoc modo castra præsertim scribit communisse. *Omnes Barbari carris suis in orbem connexis ad similitudinem castrorum securas à supervenientibus exigunt noctes.* Quo ex loco simul discimus, duo solita observari hoc in opere, primum, ut connecterentur carri inter se, alterum, ut connexio ista referret speciem orbis. Prioris mentionem facit etiam Sisenna, & *construere carros* vocat: *Impedimenta collocant omnia, construunt carros.* Ubi constrúi vel connecti dicuntur, opinione mea, quando ita unus alteri insertus jungitur cum per se, tum fortassis aliquando interventu quoq; vinculorum, ut divelli ac dissociari facile haud queant. Posterius commemoratur Ammiano lib. XXXI. *Vnde haud longo spacio separatum vulgus inæstimabile Barbarorum ad orbis rotundi figuram multitudine digesta plaustrorum tanquam intramuranis cohibita spatiis, otio fruebatur & ubertate prædarum.* Et paulo post: *Octavo tandem die hostium carpenta cernuntur ad speciem rotunditatis detornata digesta q.* Quibus locis qui proprie barbaris sunt *carri*, Latina consvetudine *plaustra* & *carpenta* nominavit. Atq; hoc munitionis genus veteres vocarunt *carraginem*, secuti eos, qui hoc genere munitionis utebantur. Nec enim Latinum magis est vocabulum, quam barbarum. Quod aperte docet Ammianus, quando paulo post superiora; *Statimq; incensi malleoli ad carraginem (quam ita ipsi appellant) alibi velocitata regresse incentivum audendi majora populatibus addiderunt.* Dicit clare, carraginem appellatam ab ipsis, id est Gothis, quorum ibi de castris agitur. Atque ita pridem usurpavit Valerianus in epistola ad

Aure-

Aurelianum, quæ legitur apud Vopiscum c. 11. *Tuum est quærere, ubi carrago sit hostium, & vere scire, quanti qualesq; sint.* Postea hæc consvetudo transijt & in Romana castra, præsertim sub Imperatoribus orientis, qui & ipsi καραγὸν, appellavere. Leo clare Tact. c. 11. Καραγὸν δὲ λέγομεν τὰς ἁμάξας καὶ τὸν δι' αὐτῶν περιτειχισμὸν. *Carraginem vocamus, & munitionem per ea factam.* Loco alio sic describit: Καραγὸς λέγεται ὁ διὰ τῶν ἁμαξῶν, καὶ τριβόλων, καὶ τῶν ἄλλων μηχανῶν γενόμενος περιοχισμὸς εἰς ἀσφάλειαν τοῦ στρατοῦ. Extat locus hic cap. 4. p. 53. ubi mutilate prorsus Interpres vertit: *Caragus dicitur ex carris & aliis bellicis rebus munitio ad exercitum muniendum*: cum sic debuisset: *Carrago dicitur ex carris, tribulis, & machinis aliis facta circumvallatio exercitus muniendi caussa.* Adhibebant enim non carros solum, sed & tribulos, id est ferramentà cuspidata, ut ne appropinquare hostes possent. Qua de re docet ipse cap. 11. ubi ait: Ἔξωθεν δὲ ταύτης τριβόλους καὶ λάκκους μικροὺς ἔχοντας πάλους ἐντὰς πηγμένους δεῖ ποιεῖν. *Oportet extra fossam tribolos & foveas parvas palis infixis facere.* Ubi foveæ observandæ sunt, pertinent enim ad id genus machinarum, quod præter tribulos supra dixit ad carraginem conficiendam adhiberi. Præter hanc carraginem invenio & aliam non ad castra, verum iter muniendum usurpatam, ne exercitus ab hoste posset in itinere facile invadi. Meminit illius Pollio in Gallienis c. 13. ubi ait: *Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Gessacem fugere sunt conati.* Casaubonus docte ad hunc locum: *Procopius carraginem facere libro quarto dixit*, τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι, *frontes carrorum hosti objicere: & qua fine carrago fieret, his verbis explicat*, ὥπως τὰ νῶτα ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἔχοντες θρασήσωσι μᾶλλον. *Quod plane convenit isti loco. Nam Scythæ fugam meditantes carraginem prius faciunt, ut Romani persequi fugientes non queant.* Ubi annotandum, fuisse hanc carraginem non fixam uno loco, verum mobilem, & adhibitam in ipsa fuga, sicut Pollio testatur. Deinde habuisse carros exterius spectantes. Sic enim accipio illud τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι. Inter eundum, inquam, ita dispositi erant carri, ut unius equi vel jumenta adjuncta interius à latere præcedentis carris ambularent, atq; sic ab eo regerentur. Hoc enim modo carri omnes

versi erant in hostem, quod proprie per μετωπηδὸν intelligendum. Denique carraginis hujus speciem non fuisse clausam in orbem, qualis in castrorum communitione usurpabatur, verum longam, pro modo ambulantis exercitus, quem habebat intra sese. Carri incedebant ab utroq; latere longa serie, versis intra equis, sicut dixi. In medio eorum ambulabat exercitus, munitus utrinq; contra insultus hostiles ab istis carris. Atq; ita hodieq; receptum est aurigis per Germaniam Belgiumque, qui sarcinas mercatorum, resque venales vehunt, quando periculum imminet à prædonibus. Hactenus de carris egimus, quantum potuimus ex veteribus. Verum antequam digrediamur, animadvertendum, quod est traditum Cl. Salmasio, hos currus dictos quoq; *clabularia*. Adscribam verba ejus, licet sint longiora, ex Commentario ad Capitolini Antoninum Pium c. 12. *Clavulare carrum dicebatur, quod undique clavulis erat confixum & contextum, & capsum ex clavulis factum habebat, ad res, quæ imponerentur, retinendas, ne defluerent. Quod & in nostris carris onerariis fieri videmus, quæ undiq; vallantur & sudibus vel clabulis muniuntur, ne onera imposita decidant. Latini capsum vocabant. Carrum igitur clavulare adjective dictum: postea adjectivum in substantivum transijt, & clabulare absolute appellatum hoc carri genus, quod clabulas haberet.* Facit plura genera carrorum, ut videmus, unum cum clabulis, aliud sine iis, ex tabulis fortasse constructum. Quod habebat clabulas, *clabulare* ait appellatum, & hoc ideo, quia integre sit *carrum clabulare*. Quia *carrum* dicitur in neutro genere, ideo & *clabulare* putat neutraliter elatum. Ac profecto *clabulare* habemus expresse in l. 2. C. Theod. de Curiosis: *Habens unius copiam rhedæ flagitet mulas duas; aut rhedam usurpet, cui birotum, vel veredum postulare, vel clabulare permissum est.* Sicut rheda & birotum dicitur, ita & clabulare isto loco. Quare miror, cur hoc genus viri docti *clabulas* maluerint vocare. Jac. Gothofredus in Paratitlo dicti Codicis de Cursu publico, ubi recenset vehicula spectantia ad cursum publicum: *Vehicula*, inquit, *varia erant*, &c. *Quarto Clabulas, unde clabulare.* Vehiculum appellat *clabulam*, & sic facit locis aliis non semel. Nam & ad legem ante nominatam

de

de Curiosis ita loquitur: *Rhedæ usu, & birotum, & veredus & clabula levior est.* Contra *clabulare* ipsi cursum denotat. Verba ejus in Commentario ad l. 23. C. Theod. de Cursu publico: *Cursus hic modo clabularis vocatur, modo clabularius, modo clabulare.* Quod postremum ut confirmet, adducit l. 2. de Curiosis. At in ea lege numeratur inter genera vehiculorum, ut apparet ex superioribus. Itaq; non idem *clabulare*, & *clabularis cursus*, nam *clabularis cursus* is, qui fit per *clabulare*. Clabulare vehiculum est, quo in cursu clabulari utebantur. *Clabula* vero non vehiculum, sed id, unde vehiculum contexebatur, minuta inquam *claba* sive *clava*, hoc est baculus, seu paxillus, sicut alibi ostendi. Cæterum an clabulare dictum intuitu ad carrum, nunc videndum. Affirmat Salmasius, ut liquet ex superioribus: Negat Gothofredus. Nam primo loco in recensione vehiculorum ad cursum publicum recenset *rhedam*, secundo *carrum* (sic enim scribendum, non *currus*, ut est in editis, quod ostendit facile adducta ibi l. 47. C. Theod. de cursu publico) tertio *birotam*, quarto *clabulam*. Clabula igitur, quam pro clabulari pariat, ei non est carrum. At vero Salmasius non carrum modo facit, verum etiam angariam. Verba ejus loco antea adducto, post allata verba legis I.C. Theod. de Curiosis: *Quibus verbis omnia, quæ in publico cursu movebantur vehicula continentur, rhedæ, birota, veredi, & clabularia vel carra, quæ alias angariæ dicuntur.* Jam autem angaria differre videtur à carro. Nam angariæ imponuntur pondo mille quingenta. l. 28. C. Theod. de Cursu publ. *Non amplius rheda, quam mille pondo subvectet, & angariæ mille quingenta sufficiat.* Contra carro non supra libras sexcentas, uti supra indicatum est. Quare angaria esse carrus non potuit, ut quem magnitudine superasse triplo pæne videatur. Jam si angaria clabulare, quod vult Salmasius, clabulare sic à carro dictum minime censeri potest, cum sit carrum aliud, & aliud clabulare. Sane clabulare angariam esse etiam Gothofredus judicavit, à carro vero distinxit. Quem putamus hic sequendum, nec in voce *clabulare*, *currum*, sed vehiculum intelligendum. Sed de his sequenti capite.

Cap. XXIX.

# De Angaria & Clabulari.

*Angaria. Engaria. Fulberti lectio vetus defensa contra Vossium. Notat etiam vehiculum. Major fuit rheda. Angaria & clabulare idem. Iunctos habuit boves, velmulos, asinos, equos. Iac. Gothofredus notatur, & Codex Theodosianus explicatur. Iumenta juncta, pro pari. Usus in cursu clabulari, ad vestes lineas portandas, interdum & homines militares. Valesius defenditur. Iter earum lentum. Iac. Gothofredi sententia probatur. Iter in via publica.* Ἀγγαρεία. Ἀγγαρεύειν. *Interpres vetus Bibliorum notatur. Matthæus exponitur contra Grotium & Becam.* Ἄγγαροι.

ANgariam, qvæ alicubi & *engaria*, exponunt Vossius & alii coactionem, qvando qvis alteri necessitatem imponit rei exeqvendæ. Sic Fulbertus Vossio laudatus, ep. 150. *Nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis angariam.* At ep. 14. idem habet *engariam*, non vitio librarii, qvod putabat Vossius, sed qvia prima syllaba mixto efferri sono solebat, nec vel *a* vel *e* referre integrum ac perfectum, sicut hodieq; fit apud Germanos meos, ut post dicam. Verba Fulberti: *Nostris hominibus novam engariam induxit.* Qvibus verbis evidenter satis constat, engariam vel angariam significare onus rei alicujus conficiendæ. Glossæ Philoxeni: *Angaria*, περιεργασία, ἀκυσία. Magis tamen propriè videtur usurpari pro vectura seu deductione vehiculi onerati. Sic in leg. Bojar. tit. 13. §. 9. *Angarias cum carra faciet usque L. leugas.* Nempe faciebant has vecturas cum vehiculis, qvæ propterea *angarias* appellavere. Nam angarias significare genus peculiare vehiculorum colligitur abunde primum ex eo, qvia certum pondus definitum est, qvod eis debeat imponi, sicut capite superiori vidimus: Deinde, qvia certæ nominantur species, qvæ imponi eis solebant. L. 48. Cod. ejusdem Tituliqve: *Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari rhedæ solebant, nec ulterius rhedis, sed angariis vel navibus dirigantur.* Non potest dubitari, qvin, ut rhedæ, sic angariæ hic sint vehicula. Ac fortassis in angariæ vocabulo rheda est intelligenda, ut angaria sit dicta differentiæ gratia à rheda communi, significetqve talem

talem rhedam, qvæ præstari angaria debet. Speciem profectò adjectivi habet, ut & *rem angariam*, hoc est, oneris vectationem, & *rhedam angariam*, hoc est, vehiculum, qvo vectatio ea debet fieri, significare possit. Angariæ hujus species qvæ fuerit, nonnihil constat ex superioribus. Primum enim rhedis fuit major dimidia sui parte, cum enim illæ ferrent pondo tantum mille, angariæ mille & qvingenta imponi solebant, ut ex l. 28. Cod. Theodos. de Cursu publico apparet: *Non amplius rheda, quam mille pondo, subvectet, & angariæ mille quingenta sufficiat.* Hinc colligitur, cum rheda fuerit vehiculum qvadrirotum, etiam angariam rotas habuisse non pauciores qvatuor. Amplius ostensum supra est, angariam eandem esse, qvæ sit dicta clabulare, hinc apparet, clabulis, hoc est, bacillis, contextam habuisse capsam. De angaria, eandem esse cum clabulari, sententiam Salmasii jam ante vidimus. Gothofredus ita habet in Paratitlo de Cursu publico Codicis Theodosiani: *Clabula*, (sic appellat, qvod *clabulare* dici debuit) *quod idem cum angaria facio.* Ita est legendum, non, ut vitiose ediderunt, *angarita*, qvalis nulla est. Et in Commentar. ad l. 4. ejusdem tituli: *Angariam eandem facio cum cursu clabulari.* Item ad l. 2. Cod. ejusdem, t. de Curiosis: *Clabulare idem facio cum Angaria.* Si angaria est clabulare, clabulis contextam fuisse necesse est, cum hoc sit clabulare, ut jam aliqvoties est dictum. Solebat autem hoc vehiculum adjunctos habere boves ferè. Hinc in l. 11. Cod. Theod. de Cursu publico: *Pro singulis angariis bina tantum boum paria consequantur.* Memorantur tamen & ἄγγαροι ἡμίονοι, *angariales muli* asiniqve Libamo in oratione peculiari περὶ ἀγγαρίων, ut testatur Gothofredus, item eqvi, de qvo Aretas in cap. 18. Apocal. Ἵππος ἕτοιος διατέτων ὀχήμασι ἀγγάραις. Numerus boum Gothofredo qvaternarius videtur. Ita namq; habet ad l. 4. Cod. Theod. de Cursu publico: *Angariæ boum protelo ducebantur, sic, ut bina boum paria his, neque ultra aptarentur, ut docet exertè l. 11. infr. h. t.* Eqvidem in dicta lege bina boum paria memorantur. Verum, an perpetuum hoc fuerit, qvod Gothofredus putat, dubito. Lex tota ita habet: *Ne quis post hanc legem amplius, quam duas angarias, & hoc eorum, si qui ægri sunt, caussa usurpare conetur, cum ad destinata profici-*

*proficiscitur, ita tamen, ut pro singulis angariis bina tantum boum paria consequatur.* Videtur potius diversum ostendere hæc lex, qvam qvod volebat Gothofredus. Nam, velut singulare qvid, & alias non usitatum, TANTUM bina paria permittit. Si nunqvam plures boves aptati, cur sub hac exceptione tam emphatica conceduntur? Qvare mihi potius hoc dici videtur, licet permittantur binæ angariæ, tamen non tot qvoqve boves permitti, qvot alias angariis adjunguntur, sed sufficere, si singulæ paria habeant duo. Et est manifesta ratio. Agitur enim ea lege de angariis ad deportandos ægrotos. Ægroti, cum sunt deferendi, spacium reqvirunt majus in vehiculis, qvam valentes, qvo videlicet commodius sedeant, nec compressione qvadam ab aliis affligantur. Ergo tali casu duæ permittuntur angariæ. At qvoniam iidem non æqvè sunt graves, ac si res aliæ vehiculis imponerentur, ideò ipsis transvehendis non permittuntur, nisi boves qvatuor ad singulas angarias. Qvapropter, qvod de paribus duobus monet Gothofredus in singulis angariis, perpetuum fuisse haud opinor. Ac ne qvidem aptè trahere mille qvingenta pondo potuisse credo, qvot imponi vulgo angariis consvevit. Qvod ex eo colligo, qvoniam rhedæ, cui imponebantur pondo tantum mille, adjunctæ mulæ octo vel decem. Nulla enim est inter hæc proportio. Porro, boves illi qvomodo adjuncti fuerint, ex eo licet conjicere, qvod nominantur *duo paria*, in lege ante nominata. Patet enim hinc per paria consveviſſe adjungi, hoc est, duos & duos ad juga singula, qvæ junctura postulat, ut duo iverint post duo longa serie, & jugum unum fuerit non à latere, sed à fronte adjunctum alteri. Usus angariarum fuit in cursu publico, qvem vocarunt clabularem. L. 5. Cod. Theod. t. de Curiosis: *E cursu verò Clabulari singulas angarias* percipiatis. Patet manifestè, angarias ad cursum clabularem spectasse. Cursus clabularis dictus à vehiculis clabularibus, qvoniam fiebat isto genere. Illi cursui cum interfuerint angariæ, colligitur, clabularia & angarias non fuisse generis diversi, atqꝫ ita rectè dici, cursum clabularem confectum per angarias. Pertinebat autem cursus iste ad provehenda onera, nominatimqꝫ species fiscales, cumprimis vestes lineas. L. 48. Cod. Theod. de

de cursu publico: *Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari rhedæ solebant, nec ulterius rhedis, sed angariis vel navibus dirigantur.* Pertinet huc qvoqve l. 16. ejusdem tituli, ex qva cognoscimus, consveviſſe istas species per angarias deferri ad portus, unde constat, in superiori lege præcipi, ut per angarias deferantur ad mare, tum excipiantur navibus, ac dirigantur Romam. Verba legis: *Angariarum cursum submoveri non oportet, propter publicas species, quæ ad diversos portus deferuntur. Proinde, consideratarerum necessitate, pro locorum situ atq; itineris qualitate tantum numerum angariarum collocari oportere decernas, quantum necessarium esse adhibitæ plenissimæ deliberationes svaserint.* Dicit, *tantum numerum angariarum*, qvod manifestè ad vehicula pertinet. Ita *singulas angarias* in l. 5. *duas angarias* in l. 4. h. t. habemus. Cum vehiculis hisce cursus fit, auctor legis ait fieri *cursum angariarum.* Qvi angariarum cursus alibi est *cursus clabularis*, vel *clabularius.* Oneris magnitudo, qvod angariis singulis vel clabularibus imponebatur, fuit pondo mille sexcentorum. Sic disertim legitur in l. 28. Cod. Theod. de cursu publico, cujus verba in superioribus adduximus. Hinc opinor manere hodieq; in Alsatia, patria mea, vicinisq; locis nomen *angariorum* de plaustris rebus gravioribus multum oneratis. Ita namq; plaustrum fœni nominant **ein Aenger Heu** / plaustrum vini, **ein Aenger Wein.** Nam alias **ein Aenger** non Germanica est vox, ac ne Latina qvidem Græcave, verum Persica, ut jam pridem alii monstrarunt. Præter species fiscales autem angariis ferebantur etiam homines, erantq; illi vel milites, qvotiens essent de loco in locum transferendi, aut ægrotarent, vel familiæ cujusq; ac charitates, vel deniq; legati, de qvibus omnibus cum cura agit eruditissimus Jacob. Gothofredus ad l. 4. Codic. Theod. de cursu publico. *Patet,* inqvit, *clabularium cursum ut aliis, ita & militibus concessum, quoties transferri eos de loco in locum oporteret, quod testatur exertè l. 22. Cod. Iust. eod. tit. Sed neque ægrotantium tantum militum causa hic cursus clabularis permissus, quod vir doctus scripsit; Verum vel familiis & charitatibus transferendis, ut in prædicto Marcellini loco & d. l. 22. vel denique legatis, eadem l. 22.* Doctus vir, qvem respicit, Vallesius est, qvi sic habet in suis ad Ammianum

Notis: *Angariæ erant capacissima vehicula ac solidissima, utpote quibus mille & quingenta pondo imponerentur, cum rhedæ mille duntaxat imponi deberent, ut est in l. 30. Cod. Theod. de cursu publico. Ægrorum autem militum duntaxat causa hic clabularis cursus permittebatur, ut opinor, & id innuit lex ij Cod. eod.* Verum nuda hæc opinio, vel potius suspicio est Valesij, non assertio plenaria. Alias omnino liquet vel ex ipso Ammiano, spectasse etiam ad sanos. Verba clara sunt: *Iulianus contemplans rationabiles querelas, cum familiis eis ad Orientem proficisci præcepit, clabularis cursus facultate permissa.* Extant verba hæc lib. XX. Ammiani, ubi agit de militibus, qui conquerebantur, *se ad orbis terrarum extrema pelli, caritates suas Alemannis denuo servire, quas captivitate prima post internecivas liberaverint pugnas.* Erant autem hi non ægroti, sed valentes. Quando angariam Valesius appellat *solidissimum vehiculum*, non aliter id est accipiendum, quam de robore seu firmitate. Nec de tabulis in capsa cogitandum, quas non potuit habere, quia fuit clabulare. Procedebant autem hæ angariæ seu clabularia itinere prorsus tardo lentoq;, propter pondus, quod impositum habebant majus, quam genus ullum vehiculorum reliquorum, non quod pauca, & tantum quatuor adjuncta haberent animalia, sicut alij putarunt. Atq; quia tarde procedebant, ideo cursus clabularis opponitur velocil. 62. C. Theod. de Cursu publico. *Vsurpationem cursus publici penitus jussimus amputari, scilicet ut excepta Magnitudine tua præsumendi velocis & clabularij cursus nullus habeat potestatem.* Est, qui colligit ex lege hac, clabularem cursum esse velocem. Nempe illud *&:* conjungere ista duo putavit, & iccirco alterum alterius esse velut explicationem. Verum hic disjungit, & duas diversas cursus publici ostendit species, velocem unum, alterum clabularem, sicut recte Gothofredus observavit. Quod ex eo quoq; liquet, quia cursus clabularis fiebat cum angariis. Jam vero angaria opponitur cursui. l. ult. C. Theod. de cursu publ. *Nemo Ducum ingressus semel provinciam suam, postmodum itineribus faciendis cursu adque* (h. e. atq;) *angariis ipse, sive suum Officium utatur.* Illud *adq;* seu *atq;* disjunctive hic intelligendum, sicut & in superiori lege. Unde sequi-

quitur, clabularia & angarias non curſim inceſſiſſe, verum tarde. Solebat autem curſus hic inſtitui per viam publicam, quod ipſum Cl. Gothofredus obſervat. Et adfertur Scholion ex Baſilorum lib. LVI. ubi curſus ipſe hac de cauſa ἀγγαρεία, id eſt *angaria* vocatur. Καὶ ἔστιν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος, ἣ διὰ τῆς δημοσίας ὁ δὲ τῆς καὶ δρόμον ἔχουσις. *Eſt angaria iter per viam publicam, in qua curſus eſt conſtitutus.* Hinc qui curſum illum conficiendum imponunt, dicuntur ἀγγαρεύειν. Ita namq; debet intelligi, quod legitur Matthæi V. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Interpres vetus retenta voce *angariandi* vertit ita: *Et quicunq; te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Quod tamen non in Græcos dicitur, tantum illud habent: *Vade cum eo duo.* Differunt autem iſta plurimum, nam qui angariatus miliare unum, vadit & alia duo, is tria conficit miliaria; qui vero angariatus, vadit duo, is tantum duo conficit, quod vult textus Græcus, ſicut & Eraſmus obſervavit. Reſpicitur autem eo ἀγγαρεύειν, ad onus præſtandarum angariarum, quod iis temporibus pertinebat ad privatos. Nec enim fiſcalis factus curſus angariarum ante Adrianum, ſed inſtitutus ab Auguſto per privatos expediebatur. Eratque onus illud in Judæa non exiguum, cum præter alia, tum quia noviter inventum ab Auguſto, ut Svetonius nos docet, ipſa novitate ſua moleſtiam creabat. Ergo iſtoc voluit Servator noſter, locutus de eo quod frequenter tum fiebat. Si tibi onus angariæ ad miliare unum imponitur, ne cum impatientia & querelis id ſuſtineas, eiq;, qui te ad præſtationem hanc compellit, contraq; libertatem tuam facere videtur, obloquare, ac refractarium te præſta; potius adde miliare unum, & cum per unum miliare ſolummodo deberes deducere, duc eum etiam per alterum. Aliter nonnihil Grotius & Beza, qui ad angarias Perſarum referunt. Beza ita habet: *Perſarum curſoribus (ſicut etiam hodie Turcarum) fas erat cujusvis equos vel naves, aut ipſos etiam homines rapere ad curſum. Vnde factum, ut angariare accipiatur pro adigere ad currendum, vel ad ferendum aliquid, ſicut infra c. 27, 32. refertur de Cyrenæo illo, quem adegerunt Iudæi ad bajulandam crucem. Proponitur ergo à Chriſto ſervitutis genus penè intolerabile, quod peculiari etiam vocabulo declaran-*

*dum fuit*. Hæc Beza, unde colligas, putasse, vocem eam apud Judæos natam occasione Persicæ consvetudinis. Quæ quomodo Judæis nota fuerit, declarat amplius Grotius ad ista verba: *Hebræi*, ait, *ex quo Persarum potentia Orientem invaserat, coacti fuerant inter cætera ejus servitij incommoda etiam onus angariæ ferre, cujus immunitas ipsis à Demetrio concessa est, ut apud Iosephum videre est Orig. XIII. Inde factum, ut rei vehementer exosæ nomen etiam ad privatas vexationes producerent, ut apparet infra 27,32. & ex multis Hebræorum Scripturæ interpretum locis. Atq; in eum sensum vocem hanc Christus usurpat*. Equidem pugnare nolo adversus ea, quæ docte proferuntur. Quia tamen nominatim mentio fit itineris unius milliaris, magis puto respexisse ad onus novum ab Augusto impositum, de quo supra dixi: cum præsertim diu ante omiserint Persis tale ministerium præstare. Nec repugnat locus c.27.32. imo firmat potius, cum in eo de gestanda sarcina agatur. Nam Persarum consvetudo non ad sarcinas spectabat, sed litteras & nuntios, contra quam receptum fuit à Romanis. Qua de re qui volet, consulat Brissonium de Regno Persico, abunde ista explicantem. Jam ut *angariari* dicebantur, qvum ad onus hoc compellebantur, ita *angari*, qui præstabant, Græcis Ἄγγαροι. Hoc est, quod voluit Hesychius, cum ait: Ἄγγαρος, ἐργάτης, ὑπηρέτης, ἀχθοφόρος. ἡ λέξις δὲ Περσική. Σημαίνει δὲ καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματηφόρους. *Angarus, operarius, minister, bajulus. Vox est Persica. Significat vero & tabellarios regios.* Pro ἄγγαρος, sunt, qui ἄγαρος substituendum censent. Me invito, quando ἄγαρος vox Persica non est. Hesychius ostendit vocem angari duplici usurpari ratione, nam vel bajulum significare, atque eum, quem cursus publici mancipem appellant, consvetudine à Romanis introducta. Vel significare tabellarium regium, Persica consvetudine, unde vox hæc apud gentes alias invaluit. Atq; ista quidem de angaria publica. Num privatim etiam angarias habuerint, vel usurparint, discere hucusq; ex scriptoribus antiquis nequij. Quia tamen vox jam inde ab initio, ipsisq; Persis ejus auctoribus publicum quid denotavit, suspicor, tametsi usurpata fuerint vehicula, rhedarum tamen potius aut plaustrorum, quam angariarum vocabulo veniisse.

Cap.

## Cap. XXX.

# De Rheda.

*Rheda Gallorum. Isidorus notatur. Rijden proprie de equitantibus. Rheda sæpe generalius vehiculum, sæpe specialius, quod differt à cisio, petorito, & aliis. Casaubonus rejicitur. Carpenta rhedarum. Rheda & vehiculum sic specialiter dictum, idem.* Ῥήδια. *Hesychius corrigitur. Xiphilinus aliter, ac à Casaubono factum, explicatur. Habuit rotas quatuor. Corrasius notatur.* Ἅρδιον. *Suidas exponitur & emendatur. Mulæ ad rhedam. Scaligeri emendatio Varronis probata ad rhedas equi. Numerus eorum alius & alius pro diversitate temporis. Quadrigæ. Flagella. Codex Theodosianus explicatur contra Gothofredum & corrigitur. Rheda cum equis triginta. Rhedæ num sint dictæ flagella. Iumenta habebant juncta longa serie. Sulp. Severus emendatur & exponitur. Evadere. Duo & Duo. Vsus in itinere. Pertinet ad viros feminasq;. Dignitate cedit essedæ. Rheda meritoria. Svetonius exponitur. Rheda ad onera. Rheda in supellectili numeratur. Paulus ICtus exponitur. Rhedæ tectæ linteis. Rheda cursualis, & tabellariorum.* Προπομπαὶ. διπλώματα σεσημασμένα. *Cursus fiscalis. Rheda fiscalis. In hac etiam alij, quam tabellarij. Aurum in rheda transvectum, sed pondere minore, quam res aliæ, & quare. Gothofredi sententia examinata.*

RHeda, vel, ut alij malunt sine spiritu, *reda* vocabulum est apud Gallos ortum. Fabius lib. I. c. 5. *Plurima Gallica valuerunt, ut rheda ac petoritum: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* Cum ergo Gallicum sit vocabulum, perperam à Latino *rota* derivatus, quod est factum Isidoro lib. XX. c. 12. *Has*, ait, i. e. redas, *antiqui retas dicebant, propter quod haberent rotas.* Putat rhedas ab antiquis dictas *retas*. Retas vero sic vocatas permutatione litteræ à rotis. Verum *retas* pro vehiculis non puto apud veteres occurrere. Ac si occurreret, videndum esset, an non ipsum quoq; Gallicum deberet haberi. Nam derivatio à *rota* est inanis, cum rota sit commune quid in prope omnibus vehiculis. Bochardus vocem *rhedæ* suo more putat ortam in Oriente, atq; à Chaldæo *rheda* deducit, cujus plurale *rhiduuath* occurrat in Jonathanis & Hie-

rosolymitana paraphrasi. Nec fortassis malè, si primã ejus attendamus scaturiginem: Nam alias qvis dubitet à Gallis ortam vocem, esse Gallicæ originis? Ideò & Vossius in Etymolog. *Germanis ac Belgis* (qvorum lingva olim eadem ac Gallorum fuit) *hodieque* Reden *aut* Ryden *est equo aut curru vehi. Igitur, inde rheda quin sit, dubium non est.* Convenit & Grotius in Annotationibus ad cap. 18. Apocalyps. àq; isto Ryden derivat. Verum Ryden sive Reiten propriè fit eqvis, non vehiculis, tametsi Belgæ etiam de vehiculis usurpent. Et est Reiten idem atq; Reisen/ qvia veteres pronunciabant Reitsen/ sicuti à Dats factum Dat Belgarum, & Das Germanorum: à Watser/Water Belgarum, & Wasser Germanorum. Inde Reisige sæpissimè apud veteres pro eqvitibus. Porro, Reisen est à Roß/id est, eqvo, atq; ideò & Reiten inde erit, *equitare* qve signabit. Et qvoniam τὸ Reiten eqvos respicit, ignoro, an ad currus aut vehicula rectè possit trahi. Nec tamen invenio, qvo referre possim ejus ortum, cum vehiculorum omnium vocabula, qvibus hodie utuntur Galli viciniq; populi, nimium abludant. Apud Britannos *Rhediad* in usu est, pro cursu, & Rheden pro currere, uti docet Cambdenus lib. I. Britann. & originis communis facit cum *rheda* vehiculo. Sed & apud Gallos *Rhodanus* est fluvius, haud dubie à currendo dictus, unde & Germani suum Rhein derivavere. Nam est Rhein à Rennen sive Rinnen/id est, *currere*, qvia præcipiti fluit cursu. Rennen verò convenit cum Græco ῥέω, similis significationis, à qvo contracto ῥῶ non abludit *Rhone*, sicuti pronunciare vocem *Rhodani* consveverunt. Qvod si qvis & rhedam simili dictam ratione crederet, me adversum sibi neutiqvam haberet, cum sit rheda vehiculum cursui destinatum, uti ex seqventibus liqvebit. Est autem rheda interdum qvalecunq; vehiculum, unde Glossæ: *Rhedis*, ὀχήμασιν. Interdum certum & peculiare, differens ab aliis, ut cisio, sicut constat ex Philippica II. Ciceronis; Petorito, de qvo docet Ausonius ep. 8. atq; aliis. Itaq; non probo, qvod habet Casaubonus ad Svetonii Julium, cap. 58. de rheda verba faciens: *Quemadmodum hoc genus vehiculi à rotarum numero* τετρακύκλου *nomen invenit, sic apud vetustissimos AEoles ab eodem numero* πετόριτον *dictum.* Πετόριτον est *petoritum*,

*tum*, à qvo Auſonius non ſemel rhedam diſtingvit. Sed nec πετόριτον vel *petoritum* Æolicum eſt vocabulum. Nunqvam ſanè petoritum vel πετόριτον dicuntur Æoles vocaſſe aliqvod vehiculum, ſed Galli. Qvi tametſi putentur aliqvibus hanc vocem derivaſſe ab Æolico πέτορες, non tamen ſeqvitur & vehiculum fuiſſe apud Æolas, qvod petoritum vel πετόριτον vocarunt. Qvare manet, teſte locupletiſſimo Auſonio, qvippe qvi & ipſe Gallus fuit, ac iccirco Gallica vehicula noſſe debuit, aliud *petorritum*, & aliud *rheda*, de qva loqvimur. Hæc rheda ſic ab aliis diverſa qvandoqve etiam *carpentum* vocabatur. Ideò, qvod Juvenali Sat. VIII. eſt carpentum, veteri ejus Scholiaſti eſt rheda. Et in Codice Theodoſiano hac de cauſſa ſunt *carpenta rhedarum*, ſicut alibi jam dixi. Appellantur aliqvando & *vehicula* ſpecialiori notione. Qvod colligitur ex l. 17. Cod. Theod. de Curſu publico, ubi dicitur: *Vehiculis nihil ultra mille librarum menſuram patiemur imponi.* Nec enim hæc verba trahi poſſunt ad vehicula cujusvis generis, ſed nominatim ea, qvæ dicuntur rhedæ, ut ex lege alia, videlicet trigeſima ejusdem tituli, ubi rhedis onus hoc tribuitur, conſtare poteſt, & nos in ſeqventibus docebimus. Eadem eſt cauſſa, cur, qvæ in l. 18. e. t. vocantur prius *vehicula*, mox dicantur *carpenta*, & intelligantur *rhedæ*, qvod & Gothofredus obſervavit. Græci rhedas appellarunt ῥήδια imitatione vocis barbaræ, ut puto. Heſychius: Ῥηδίων, καρέχων, ῥαδίων. Ita editi, etiam nuperrimè. Sed in poſtrema voce ſcribendum ῥαιδίων. Suidas: Ῥαιδίων, ἁρμάτων; Item ante: Ῥαίδιον, τὸ φορεῖον, ἢ τὸ ἅρμα. Nempe duplici ratione pingebant, per η, & per αι, uti fit in barbaris ejusmodi. Imò reperitur & per ε apud eundem Heſychium. Ita namq; habet: Ῥεδίων, ἁρμάτων. Qvod ſi ſua lingva uterentur, vel ὀχήματα, & ἅρματα generali voce, vel τετρακύκλους appellaſſe Caſaubonus cenſet ad Svetonii Jul. cap. 58. *Rheda qvatuor rotas habebat, ut ciſium duas, auctore Iſidoro. Propterea Græci in rebus Romanis* τετράκυκλον *appellant.* *Xiphilinus in Adriano:* Οὐδ' ἔστιν ὅπου ἔτε ὀχήματι ἐτότε γε, ἔτε τετρακύκλου ἐπέβη. *Nunqvam, inqvit, in illo itinere nec currum nec rhedam conſcendit.* Sed ignoro, an hoc verum ſit. Nam non rheda ſola rotas habuit qvatuor; Et de τετρακύκλῳ alibi eſt obſervatum, qvod uſurparint de ἁπήνῃ etiam, & aliis

aliis vehiculis. Qvare mallem τετρακύκλου vocem explicare de majori vehiculo, qvocunq; deniqve, præsertim tali, qvali & sarcinæ portari, & homines recumbere solebant, ut sunt harmamaxæ vel carpenta, atq; locum ita reddere: *Nunquam in illo itinere nec curru neque laxiore vehiculo est usus.* Metaphrastes Cæsaris φορεία reddidit. Nam ubi lib. I. B.G. cap. 51. Cæsar ita scribit, *omnemque aciem suam rhedis & carris circumdederunt,* id is vertit isto modo: Πᾶσάν τε τὴν σφῶν τάξιν φορείοις τε καὶ ἅρμασι περιέστησαν. Scilicet & hoc est generale, ac de qvolibet vehiculo usurpari potest. Rhedæ species cognoscitur nonnihil ex iis, qvæ jam dicta sunt: Nam apparet, vehiculum fuisse cum rotis, numero qvatuor. Isidorus clarè: *Rheda genus vehiculi quatuor rotarum.* Atq; ob hanc caussam in l. 8. Cod. Theodos. de Cursu publico opponitur birotæ: *Statuimus rhedæ mille pondo tantum superponi, birotæ ducenta.* Si rheda non fuit birota, qvadrirota fuerit, necesse est, cum vehiculum unius rotæ plures libras, qvam duarum, portare neqviverit. Errat ergo Corrasius, qvando ei duas tantum rotas assignat lib. III. Miscell. cap. 20. ubi ait: *Rheda leviculus currus est duarum rotarum, quo utebantur passim omnes, etiam abjectissimi.* Cuncta hæc sunt commentitia, qvod abunde ex seqventibus liqvebit. Tectum an habuerit, ignoro, vix opinor tamen, qvia ferè inter oneraria vehicula. Et apud Martialem lib. V. epigr. de Basso conspici possunt, qvæ in rheda feruntur. Nam qvod habet Suidas, de aliis, non propriè sic dictis, vehiculis accipiendum est. Verba ejus: Ἤρδιον, περιφανὲς ἅρμα, σκεπαστὸν. *Erdium, illustre vehiculum, tectum.* Hic ἤρδιον nil aliud, qvam ῥήδιον, per transmutationem factum, id est, rheda. Sed aliud genus intelligitur, ut carpentum, vel carucha, sicut supra qvoq; rheda vertebatur. Nisi plane volumus apud Suidam emendare ἅρμα ἀσκεπαστὸν, ut sit sententia, *Erdium, perspicuum vehiculum, non tectum.* Qvod puto esse verissimum. Animalia ei adjuncta mulæ fuerunt. Docet Dialog. I. Sulpitii Severi, ubi cum virtute B. Martini factum ostendisset, qvod jumenta in rheda fiscali neqvirent progredi, subdit: *Consurgunt deinde omnes pariter in verbera. Consumit Gallicas mularum pœna mastigias.* Atq; ita l. 8. Cod. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad rhedam.*

*dam.* Nec fortassis aliter legendum apud Varronem lib. III. de R.R. ubi sic habetur: *Celerius voluntate Hortensii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas.* Scaliger profectò ita edidit, cum veteres haberent *rhedarios mulos*, sicut annotavit ipse, ac ex libris, qvos secutus Calepinus est, & Auctor Fori, qvod vocatur Romani, colligitur. Nam & in emendatissima editione Comeliniana Varronis locus ita editur, ut dixi. Pro mulabus tamen adhibebant qvoqve eqvos. Cicero lib. VI. ep. I. ad Atticum: *Hic Vedius mihi obviam cum duobus essedis, & rheda equis juncta.* Qvibus verbis interim colligitur, cum nominatim eqvos memoret in rheda, id fuisse non ita freqvens, sicut alterum. Qvanqvam eqvos memoret in rheda etiam Ausonius, cujus verba in seqventibus ponemus. Numerus ejusmodi animalium in rhedis privatorum sine dubio fuit arbitrarius. At in cursu publico modò habuerunt octo, modò decem, pro diversitate anni: Pauciores tempore æstivo, plures hybernali. Constantinus ad Taurinum l. 8. Cod. Theod. de Cursu publico: *Octo mulæ jungantur ad redam æstivo videlicet tempore, hyemali decem.* Nempe hybernali tempore difficilius trahuntur vehicula propter frigus, qvo conspissatur axungia, & congelatum lutum nivesve, qvibus rotæ impediuntur. Itaq; tali tempore animalia reqviruntur plura. Neq; de mulabus magis arbitror hoc verum, qvam de eqvis. Legimus sanè pro vehiculo rhedarum lib. VI. Cod. Theod. de Curiosis *quadrigas* & *flagella* istis verbis: *Singulos solidos per singulas rædas (id est, quas quadrigas vel flagella appellant) percipiatis.* Verum ista mihi valde suspecta est interpretatio. Gothofredus eqvidem existimat hinc rectè colligi, rhedas si adjunctos habuerunt eqvos, non habuisse, nisi qvatuór. Verba ejus sunt cum alibi, tum in Paratitlo ad lib. VIII. de Cursu publico Cod. Theod. *Reda verò à quatuor equis trahebatur: unde & Redæ explicantur Quadrigæ vel Flagella l. 3. sup. de Curiosis: vel ab octo aut decem mulibus,* (scribendum est, mulabus) *l. 8.* Sed non video, si minimum adjunctas habuere mulas octo, qvomodo sufficere ipsis potuerint eqvi qvatuor. Non sunt eqvi duplo robustiores mulabus, imò robur mularum superat interdum etiam eqvorum, qvod nos ipsi vidimus.

Deinde qui quadrigæ dici rhedæ potuerint, quarum ratio à quadrigis prorsus differebat? Quadrigæ collocatos equos habuere fronte æquali, non sic rhedæ, uti mox constabit. Ad postremum nominantur equi in rhedis non quatuor solummodo, sed triginta. Locus est notabilis apud Ausonium ep. VII. in qua, cum à Theone missa sibi dicere deberet ostrea triginta, accepisse ait sese,

-- *Quot habet junctos Vasatica reda caballos.*

Vocat redam Vasaticam, à Vasatibus, Aquitaniæ seu Galliæ Comatæ populis, apud quos in usu maxime fuisse hoc vehiculum hinc discimus, ac iccirco recte Gallicum putari intelligimus. Hanc redam Vasaticam testatur vulgo adjunctam habuisse caballos sive equos triginta. Vulgo, inquam, namque alias ex versu illo nequivisset colligi, quot accepisse ostrea sese diceret. Jam si vulgo triginta, qui dici potuerunt *quadrigæ*? Neq; de flagellis magis consentire possum. Gothofredus equidem sic explicat: *Flagella cur singulæ rhedæ seu quadrigæ dictæ fuerint, proprio tum & in mansionibas procul dubio cursus publici usurpato vocabulo, proclive dictu, quod uno flagello vel auriga regeretur, quæ deniq; uno flagello & auriga contenta est.* At contrarium nos docent monumenta vetera, & aurigas plures flagellaq; monstrant usurpata etiam ad rhedas singulas. Sulpitius Severus loco antea laudato: *Interea illi regressi ad rhedam suam, furore satiato, agi, quo ire cœperunt, jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia solo fixa, ac si ænea signa, riguissent, tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atq; inde resonantibus nihil penitus movebantur.* Habes ecce hic rhedam non nisi unicam, & tamen ad eam magistros, id est aurigas, atq; flagra in plurali. Quare non est dubium, quin sit falsum, quod pro flagelli explicatione affertur. Et qui omnino potuerint tot animalia flagello uno, unove auriga gubernari? Nam ut demus equos tantum habuisse quatuor, quod tamen falsum est, mulas tamen habuere octo vel decem. Nec est verisimile, propter equos accepisse nomen flagellorum, cum id genus minus frequens fuerit in rhedis. Quare sicut dixi mihi valde suspecta illa est interpretatio, nec à legumlatore, verum Glossatore nata videtur. Cum præsertim alibi occurrat nihil, quod firmare

ipsam

ipsam queat. Animalia quo pacto juncta fuerint, jam dixi, non nimirum eo, quo quadrigæ vel id genus, verum bina atq; bina longa serie. Docetq; manifeste locus Sulpitij, ubi sic habetur paulo ante ea, quæ superius sunt allata: *Vbi Martinum in veste hispida, nigro & pendulo pallio circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram evaserunt. Deinde funibus implicatus, protentos illos, quibus, ut sæpe vidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt.* Ita lego ista. Vulgo habent, *paululum in partem alteram hæserunt*, quod non intelligitur. Ecquid enim est, *hærere in partem aliquam?* Qui hæret, eodem manet loco; at hic agitur de jumentis terrore fugientibus à conspectu Martini, quod vere est *evadere*, hoc est aliorsum, & in latus à via cepta declinare. Dicit autem animalium eorum ordines fuisse *protentos*, quo id manifeste ostenditur, quod dixi. Videlicet non æqua fronte, verum longa serie ambulasse. Fuit Porro illa series non singulorum, sed duorum, quod colligitur ex eo, quia nominat *contigua de latere* Martini aliqua, quæ intelligi non possunt, nisi comparatione quadam cum non contiguis, qualia erunt juncta singulis à parte altera. Habuerunt ergo juncta animalia, ut dixi. Usus fuit vel privatus, vel publicus: uterq; pertinebat vel ad onera, vel ad itinera. De itineribus privatorum in rhedis discimus ex Or. Tullij pro Milone, ubi ait: *Obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat: sine uxore, quod nunquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda.* Quibus verbis simul intelligimus, fuisse hoc vehiculum non viris modo usitatum, sed & mulieribus. De viris firmat idem Philippica II, ubi ait: *Vehebatur in essedo tribunus plebis, sequebatur rheda cum lenonibus.* Ubi rheda velut minus dignum affertur vehiculum, in comparatione cum esseda, quando hoc tribuno, illud lenonibus assignatur. Habuerunt autem ideo, quia crebro genere hoc utebantur, non privatim modo suas, sed & publice locandas aliis, qui vellent conducere, quas propterea vocarunt *meritorias*. Sveton. Jul. c. 57. *Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus meritoria rheda, centena pas-*

*ſuum millia in ſingulos dies.* Rheda *meritoria* hic dicitur eodem modo, ſicut *meritorium* cœnaculum in Vitellio c. 7. quod ſub pretio certo elocatur aliis. Verba Svetonij: *Satis conſtat exituro viaticum defuiſſe, tanta ægeſtate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem ablocaret.* Sententia hæc eſt; elocaſſe domum ſuam ſub precio bene magno, quod ut conſequeretur, alibi conduxiſſe levi precio cœnaculum, in quod uxorem liberosq; conjiceret. Viri docti videntur accepiſſe de cœnaculis in ea ipſa domo, quod eſt falſum. Clare namq; dicit, *ablocaſſe domum*, ſine partis alicujus exceptione. Quare id cœnaculum fuit non in domo Vitellij, qui hactenus ſuæ domus partem nullam ſolitus eſt elocare, verum alibi, ubi quis hoc facere conſveverat, unde quoq; *meritorium* id cœnaculum hic appellatur. Sicut ergo meritorium cœnaculum, pariter & rheda meritoria eſt dicta. Nec ſunt alia *meritoria vehicula* apud dictum Svetonium in Calig. c. 39. nam *vehicula* ſpecialiori notione aliquando nominari genus hoc, jam in ſuperioribus oſtendi. *Quicquid*, ait, *inſtrumenti veteris aulæ erat, ab urbe repetijt, comprehenſis ad deportandum meritoriis vehiculis.* Deportari hæc in Gallias curavit. Unde colligas, frequentes per regiones viasq; publicas extitiſſe, qui hoc genere quæſtum facerent, aliisq; rhedas tales elocarent. Arguitq; idem Cęſaris exemplum, qui celeritate iſta iter facere haud potuiſſet, niſi habuiſſet ubiq; paratos rhedarum ejuſcemodi elocatores. Diſcimus autem porro ex his verbis Svetonij, nō vehendis hominibus ſolummodo, verum etiam oneribus adhibitas, huncq; alterum eſſe uſum rhedarum. Quem confirmat quoq; Juvenalis III. Sat. ubi ait de Umbricio.

*Sed dum tota domus rheda componitur una*
*Subſtitit ad veteres arcus, madidamq; Capenam.*

Monſtrat enim, omnes facultates ſuas, omnemq; ſupellectilem uni rhedæ impoſitam habuiſſe. Docet eadem & Martialis quando Baſſum ſcribit ea vexiſſe omnis generis holera ad urbem. Verſus extāt lib. V. epigr. de Baſſo. -- *Plena Baſſus ibat in rheda*
*Omnes beati copias trahens rutæ.*

*Illic*

*Illic videres frutice mobili caules,*
*Et utrumq; porrum, ſeſſilesq; lactucas,*
*Pigroq; ventri non inutiles betas.*
*Illic coronam pinguibus gravem turdis,*
*Leporemq; læſum Gallici canis dente,*
*Nondumq; victa lacteum faba porcum.*

Jam quoniam tam varius multiplexq; uſus fuit rhedarum, iccirco & in ſupellectili numerabantur. Paulus l. 4. ff. de Supell. leg. *Rhedæ & ſedularia ſupellectili annumerari ſolent.* Sed quid eſt, quod idem lege ſubſequenti negat eſſe in ſupellectili, ſed inſtrumento potius viatorio tapetes, quibus vehicula inſternuntur? Verba legis: *De tapetis autem vel linteis, quibus inſternuntur vehicula, dubitari poteſt, an ſint in ſupellectili. Sed dicendum eſt, potius inſtrumenti viatorij ea eſſe, ſicut pelles, quibus involvuntur veſtimenta.* Scilicet cum imminerent pluviæ tapetibus ejusmodi, aut linteis craſſioribus inſternere vehicula, id eſt rhedas ſolebant. Ita hodieq; fieri videmus per Germaniam in rhedis, quibus vel peregrinantes utuntur, vel mercatorum ſarcinas deportant. Linteum craſſioris fili ſuperne injiciunt, probeq; intenſum firmant ad latera, ut vis pluviæ coërceatur. Rhedis itinera fiebant publice quoque, præſertim celeriora. Hinc in curſu publico crebra mentio rhedarum, ſicuti ex Codice utroq; liquet, ipſaq; rheda *curſualis* dicta l. 9. C. Theod. de legatis. Utebantur vero tali genere ab initio ij, qui perferre literas ad Imperatorem ex provinciis deberent, eratque primum hoc inſtitutum ab Auguſto. Svetonius in vita ejus c. 49. *Quo celerius ac ſub manum annunciari cognoſciq; poſſet, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit.* Subdit poſtea rationem, cur vehicula: *Commodius id viſum eſt, ut qui à loco eidem perferrent litteras, interrogari quoque, ſi quid res exigeret, poſſent.* Antea cum diſpoſiti eſſent curſores, alteri alter ſolas debet litteras porro ferendas, ſic per curſores multos tandem perveniebant ad Auguſtum. At diſpoſitis vehiculis ille ipſe, qui primus litteras acceperat, pervenire

ad Augustum poterat, & coram sermone quoq; proferre, quæ scire Augustus volebat. Instituerat vero Augustus hæc vehicula præberi à privatis, quos ad id compellerent Magistratus municipales. Plutarchus in Galba: *Nymphidius non mediocriter indoluit, cum servi publici à Consulibus destinati essent, qui Senatusconsulta ad Imperatorem ferrent, quibus ipsis diplomata, quæ dicuntur, dari solent, ut iis statim agnitis Civitatum Magistratus tabellariorum cursum accelerent in commutatione vehiculorum datis deductoribus.* Vides apertè, Magistratibus hoc fuisse injunctum, ut darent deductores. προπομπὰς τῶν γραμμαληφόρων, ipse vocat, & intelligit municipes, qvi vehicula præbere cogebantur. Hos ait datos à Magistratibus interventu diplomatis. Pancirollus id exponit codicillos charta duplicata, in Comm. ad Not. Imp. Verum rectius Budæus thessaram fuisse ait, aut chartam signo Principis firmatam. Idcirco enim hic, cum Princeps esset nullus, signum imprimitur Senatus, unde vocantur δίπλώματα σεσημασμένα: Et Nymphidius fert ægrè, qvod non suo signo obsignassent, ut qvi Præfectus Prætorio vicem velut Principis gerebat. οὐ μέτριως, ait, ἠγανάκτησεν, ὅτι μὴ παρ' αὐτὸ καὶ σφραγῖδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀνέπεμψαν. Nempe res se ita habebat: Non obtinebat qvilibet vehicula ejusmodi, qvi vellet; Verum exhibere signum aliqvod debebat, ex qvo constaret, esse ipsum de hoc genere, cui vehicula præstanda. Id signum erat, qvod *diploma* vocatur à Plutarcho, munitum sigillo Imperatoris, vel, absente illo, ejus, qvi proximam ab eo tenebat potestatem. De hujusmodi diplomate agit Plinius lib. X. ep. 14. *Rex Sauromates scripsit mihi, esse quædam, quæ deberes quam maturissimè scire: Qua ex caussa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adjuvi.* Pertinet hic diploma ad impetrandas rhedas cursuales festinanti ad Trajanum tabellario ab iis, qvi præstare tenebantur. Qvando viso hoc diplomate Magistratus exhibere vehicula & rhedas cursuales cogebatur. Ac hoc qvidem factum usq; ad Hadrianum, de qvo Spartianus: *Statim cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere gravaretur.* Hic cursus, cum ante per Magistratus juvandus esset à privatis, fit fiscalis, præbito ex fisco sumptu, qvi ad eum fuit necessari-

us.

us. Nam *fiscalis cursus*, sicut *res fiscalis*, qvæ non pertinet ad alios, sed fiscum, hoc est, Principem, l. 9. ff. ne qvid in l. p. Pertinebat enim ad fiscum, cum qvia species fiscales & id genus ad Principem spectantia deferebat, tum qvia ex fisco debebat impendi, qvod in usum ejus erat erogandum. Atq; post id tempus vehicula ipsa, nominatimq; *rhedæ* dictæ sunt *fiscales*. Sulpitius Severus Dial. II. cap. 4. *Per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis reda veniebat.* Pertinebant autem postea non ad tabellarios solum rhedæ, sed & alios. Qvomodo videmus ex hoc ipso Sulpitii loco, vectos ea qvadam milites. Alibi, & qvi mittuntur à provincialibus ad negotia qvædam apud Principem expediunda, iis utendi potestatem habent. Sic in l. 9. Cod. Theod. de Legatis: *Si integra diœcesis unum vel duos elegerit, quibus desideria cuncta committat, redæ cursualis unius hisdem tribuatur vectio.* Neq; dubium, qvin ad Magistratus qvoqve, cæterosq; omnes, qvi habebant jus utendi cursus publici, spectarint. Qvo in cursu tamen non homines solummodo, verum onera qvoq; sarcinæq; rhedis portabantur, qvæ ad fiscum pertinebant. L. 48. Cod. Theod. de Cursu publico: *Lineæ vel amictoria, quibus hactenus onerari redæ solebant, nec ulterius redis, sed angariis vel navibus dirigantur. Reliquæ verò delicatæ vestes, sed & linteamen amictorium, nostrorum usibus necessarium, redis, sed mille librarum ponderatione, mittantur.* Vides onera in rhedis, præsertim lineas, amictoria, & vestes delicatas. Nec hæc solum iis portabantur, verum aurum qvoq; & argentum largitionum. Eadem lex à principio: *Si aurum sacrarum largitionum vel argentum ad comitatum nostrum destinatur, una reda quingentis auri libris, mille verò argenti, si verò privatarum, auri trecentis, quingentis verò argenti libris oneratur.* Ubi nota, non eodem pondere aurum, qvo argentum, neq; hoc, qvo vestes imponi consveviſſe: Vestium onus solenne fuisse mille librarum. De hoc onere librarum mille sæpe docent leges veteres. L. 8. Cod. Theod. de Cursu publico: *Statuimus, redæ mille pondo tantummodo superponi.* L. 28. d. t. *Quod jam Gallis prodest, ad Illyricum etiam Italiæque regiones convenit redundare, ut non amplius reda, quam mille pondo, subnectet.* L. 30. e. t. *Perspicuè sanxeramus,*

*mus, ut in carpentis redarum mensuram subditam nullus excederet, & nemo amplius redæ, quam mille pondo, auderet imponere.* Hæ leges omnes sunt intelligendæ non de onere rerum qvarumlibet, sed earum modò, qvæ nec aurum sunt, nec argentum. Nam hæ duæ species minore pondere imponebantur, præsertim, si essent largitionum privatarum. Causſam Gothofredus sese ait ignorare, nisi fuerit in magnitudine rhedarum. *Cur*, ait, *species fiscales in auro & argento distingvantur à vestibus, cur aurum ipsum ab argento, cur sacræ largitiones à privatis, mihi non liquet: Nisi quod necesse est redas alias aliis majores fuisse, nempe redas vestiarias longè majores, ut & argentarias, quam aurarias: Item, sacrarum largitionum redas, majores, quam privatianas. Et sic in triplici discrimine, si pondus spectes, fuere redæ, 1. mille librarum, puta communes, itemque argentariæ sacræ & vestiariæ. 2. Quingentarum, auratiæ sacræ & argentariæ privatæ. 3. Trecentarum, auratiæ privatæ.* Sed hic nondum dubium sublatum: Qværas enim, cur majores hæ, illæ minores fuerint? Adde, qvod ne constet qvidem satis de hac magnitudinis diversitate, & producta l. 30. statuere diversum videatur. Qvare nescio, annon causſa fuerit in arcis, qvibus istæ species transferebantur. Arcis enim, aurum præsertim & argentum, transferri consveviſſe, potest colligi ex iis, qvæ de Susceptoribus in sæpe dicto Codice leguntur. At illæ arcæ absq; dubio diligenter erant clausæ ferramentis serisqve, qvantoq; res unaqvæq; pretiosior, tanto diligentius solita custodiri. Qvantum ergo accedebat ponderis in arca, tantum detrahi necesse fuit in materia. Lintea & vestes vel omnino nullis, vel certè non ex gravi ferro confectis, opus habebant arcis. Itaq; in iis relictum pondus mille librarum. Aliter comparatum fuit cum auro & argento, speciebus pretiosiſſimis. Huc fortaſſis accedebant rhedæ ipsæ, ferro firmatæ, an & clausæ tabulis, ne aurum argentumqve ita submoveri posset facilè. Qvæ omnia efficiebant, ut ne tanto pondere imponi posset aurum argentumve, qvam res aliæ.

Cap.

## Cap. XXXI.

## De Sarraco.

*Sarracum. Serracum. Sarraca. Gallicum vehiculum. Soracum & ſarracum differunt. Ornamenta ejus.* Σκέυη. *De genere plauſtrorum fuit. Cum rotis quatuor. Geſtabat onera, tigna, oleum, vinum, homines. Fabius exponitur contra Turnebum. In ſarraco & plauſtro homines tantum viliores & ruſtici. Mortui elati ſarracis. Pertinebant etiam ad ſarcinas militares.*

SArraci nomen non eodem modo ſcriptum reperitur apud veteres. Apud Ciceronem ita extat, uti dixi. Fabius lib. VIII. c. 3. *An cum dicit in Piſonem Cicero: Cum tibi tota cognatio in ſarraco advehatur.* Meminit & Curius Fortunatianus III. Rhetor. *Sunt quædam verba, quæ quamvis obſoleta ſint, illis melius expeditur oratio, ut M. Tullius & ſarracum & ficem & ſcalas dicere non turpe duxit.* Atq; ita legas alibi. At apud Sidonium lib. IV. ep. 18. *ſerracum* eſt. Ita namq; habent editi, conſenſu quodam: *Nullæ graves ſarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla ſerraca, nulla eſſeda ſubvehendis oneribus attrahebantur.* Quin & genus quidam mutant, quodq; vulgo neutraliter, id feminine efferunt. Inde habes in Gloſſario Philoxeni. *Sarraca,* ἅμαξα. & Gloſſis Mſ. Savaronis. Ἅμαξα, *ſarraca, ſarracum.* Unde nomen ſuum traxerit ſarracum, liquido haud dixerim. Meurſius à Græco σωρακὸς derivat. Idem probat Voſſius in Etymologico his verbis: Σωρακὸς, *unde ſaracum factum literulæ mutatione, venit à* σωρὸς. Sic edendum fuerat, nec diſtinctio ponenda poſt *factum.* Iſtoc enim vult, *ſaracum* factum à σωρακὸς mutatione litteræ ω, in *à* Latinorum. Verum obſtat huic ſententiæ, quod quoties vehiculum ſignificat, *r* litteram habeat geminatam. Deinde inter peregrina numeratur à Siſenna, & conjungitur cum carris. Verba ejus lib. IV. *Conſtruunt carros, & ſarraca crebra diſponunt.* Ad poſtremum Hieronymo expreſſis verbis Gallicum eſt vehiculum in Comment. ad c. ult. Eſaiæ, ubi agit de opinione Judæorũ circa ſtatum ſæculi, quo venturus atq; regnaturus ſit Meſſias: *Reducentur filij Iſrael, nequaquam aſſumptis aliis, ſarraco Gallico, covinisq; Belgicis,*

*& equis Cappadociæ atq; Hispaniæ.* Atq; hæc fortassis caussa est, cur Alanis à Marcellino tribuantur. Jam si Gallicum barbaricumve fuit vehiculum, qui potest nomen ejus derivari à Græco? Græcum equidem est σωρακὸς, sed ab eo non *sarracum* sed *soracum.* Multum autem ista differunt. Salmasius rectissime ad vitam Antonini; *Corrigendus error est eruditorum hominum, quibus hodie persvasum est, soracum idem esse cum sarraco. Tantum sane interest, quantum inter cophinum & plaustrum. Soracum enim vox est mere Græca, nam σώρακ illis dicitur.* Dicit, *soracum* esse mere Græcum, per quod innuit, contrarium se de *sarraci* voce opinari. *Soracum* comparat cophino, *sarracum* plaustro. Cophinus *est vas ex virgultis aptum mundare stercora & terram portare* inquit Isidorus. Similia habemus de soraco. Hesychius: Σώρακον, ἀγγεῖον, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται. corbem vel fiscellam explicat, in quam conjiciantur ficus. Pollux exponit τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν, *vas, in quo sint instrumenta histrionum.* Atq; ita plane Festus: *Soracum est, quo ornamenta portantur scenicorum.* Quæ *ornamenta* Festo, ea σκεύη sunt Polluci: Intelligit autem non *vestimenta* sola, sicut vocem hanc exponit Vossius, sed omnem supellectilem apparatumque, quo in scena utebantur ludiones. Eum omnem ait immitti consveviſse vasis, soraca nominatis. Festi igitur soracum nihil pertinet ad hunc locum. Nam sarraca vehicula fuere, ac vehicula non multum plaustris dissimilia, quod Salmasius innuit, & nos in sequentibus monstrabimus. Græci sane, quando vertunt, quæ Latinis sunt *sarraca,* generali voce ἅμαξας reddunt, unde intelligitur clarissime, nec ab ipsis natam eorum appellationem, nec extare vocabulum in eorum lingua, quo peculiariter sint appellata. Glossæ Philoxeni superius laudatæ nobis: *Sarraca,* ἅμαξα. Glossæ Savaronis: ἅμαξα, *sarraca, sarracum.* Speciem vehiculi quod attinet, ea plaustris fuisse non absimilis videtur. Quod colligitur ex eo, quia Græcis ἅμαξα, quod plaustrum denotat. Deinde quia etiam Latini quæ loco uno vocant sarraca, alio reddunt plaustra. Ammianus lib. XXXI. *Carne & copia victitant lactis, plaustris superſidentes. Cumq; ad gramina venerint in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur.*

Hic

Hic quæ priore loco plaustra sunt, alio dicuntur sarraca. Neq; tamen plaustra omnino fuere. Nam distinguit Vitruvius lib. X. c. 1. *Portationesq; eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram.* Ad eundem modum tanquam diversa leguntur apud Juvenalem Sat. III.

-- -- *Modo longa coruscat*
*Sarraco veniente abies, atq; altera pinum.*
*Plaustra vehunt* -- --

Idem voluit Sisenna lib. IV. Histor. *Construunt carros, & sarraca crebra disponunt.* Rotis incessisse quatuor conjicio ex eo, quia sydus cœleste, quod plaustrum vulgo dicitur, à Juvenale nuncupatur sarracum: ejus namq; stellas quatuor, quadrata figura dispositas referre rotas quatuor alibi ostendi. Juvenalis versus extat lib. V.

*Frigida circumagunt pigri sarraca Boetæ.*

Ad quem locum Commentator vetus: *Sarraca, plaustra Septemtrionis.* Certe nisi rotis incessissent quatuor, tantæ molis longitudinisq; sustinere onera non potuissent, quanta gestasse Juvenalis docet in superius allatis verbis. Usus sarracorum fuit idem pæne, qui plaustrorum, pertinuitq; vel ad pacem, vel ad bellum. In pace onera eis vehebant. Sidonius lib. IV. ep. 18. *Nullæ graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla sarraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur.* Oppidum, quod Sidonis hic vocat, est Arverna Galliæ, ubi proinde receptum sarracorum usum colligimus fuisse, ac simul stabilimus, quod superius de sarracis Gallicis testati sumus. Neq; tamen Gallis solum fuerunt usitata, verum in ipsam urbem Romam translata sunt, ubi tigna ingentia integrasq; arbores in eis deportata ex agris. Ita Juvenalis testatur, loco, quem superius ostendi.

-- -- *Modo longa coruscat*
*Sarraco veniente abies* -- --

Dicit *longa*, unde liquet, integram propemodum fuisse, atq; propter ipsam eam longitudinem, vehiculum exegisse quatuor rotarum. Vitruvius oleum vinumq; imponi eis consveviſse, ait ac ex loco uno deferri in alium. Verba leguntur lib. X. c. 1. *Si non fuisset*

*torcularis præparatio, neq; olei nitorem, neq; vitium fructum habere potuissemus ad jucunditatem. Portationesq; eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram inventæ essent machinationes.* Si absque plaustris sarracisve non haberi potuerunt portationes olei & vitium fructus, sequitur hæc talia sarracis fuisse portata. Serviebant quoque rebus aliis vehendis, interdum & hominibus, quod colligo ex verbis Ciceronis, quæ laudantur Fabio lib. VIII. cap. 3. *Vim rebus aliquando & ipsa verborum humilitas affert. An, cum dicit in Pisonem Cicero: cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur: incidisse videtur in sordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum volebat auxisse?* Dicebat Cicero, totam Pisonis cognationem advectam ei in sarraco, quod non potuisset, nisi aliquando ita factum esset. Sed quid est, quod Fabius hoc verbum *sordidum* appellat? Turnebus ait, quia *est mechanicum*, quod non intelligo. Mihi duo respexisse videtur, primum, quod sarraci usus esset hominum non elegantiorum, sed agrestium; dein quod vocabulum esset peregrinum atque barbarum. Poterat Cicero pro sarraco, plaustrum ponere, sed maluit alterum, ut ostenderet hominem non communiter, sed barbare plane sordidum. Poterat ponere currum aut vehiculum, sed sarracum maluit, quoniam in sarracis & plaustris sedebant rustici & agrestes. Tibullus lib. I. & ult.

*Rusticus è lucoq; vehit male sobrius ipso*
*Vxorem plaustro, progeniemque domum.*

Quod igitur proprium fuit hominum agrestium sordidorumq;, id Cicero Pisoni familiæq; ipsius tribuit. Apud Julium Capitolinum etiam defuncti efferuntur isto genere. Ita namq; habet in vita Antonini: *Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata sarracisq;.* Verum fuit hoc inusitatum alias, *cum de more honestiores in lectis efferentur, pauperes populari saltem sandapila*, sicut Casaubonus ibi ait. Illud quoq; singulare, quod propter multitudinem funerum vehicula honestiora quoq; non sufficerent, sed ad sarracas plane veniendum esset, instarq; stipitum lignorumq; cadavera efferri deberent. Nam alias honestius sepelire suos solebant, sepulturamque numerare inter pia sacraq; officia, sicut notum.

Et

Et hic quidem sarracarum usus in pace. In bello pertinebant ad gestandas sarcinas militares, præsertim apud gentes barbaras, ut Alanos, de quibus hoc ex Ammiano Marcellino discimus. Construebant eis quoq; instar munimenti, quo munirent castra, positis in orbem sarracis. Ammianus dictus lib. XXXI. *Cumque ad gramina venerunt, in orbiculatam figuram locatis sarracis ferino ritu vescuntur: absumptisq; pabulis velut carpentis civitates impositas vehunt.* Agit de Alanis, gente Scythica, neq; uno subsistente loco, sed cum uxoribus liberisq; ac pecore suo errante, semper ad arma parata, & velut bellum perpetuum agitante cum omnibus. Hanc ait instar civitatis ambulatoriæ facere cum sarracis suis, quibus quocunq; venerint, multitudinem suam, velut mœnibus circundat in orbem. Idem alij fecere barbari, præsertim quando metus esset ab hoste. Quod colligitur ex Sisenna, quem opinor agere de Gallis, quando ait lib. IV. *Construunt carros & sarraca crebra disponunt.* Verum de hoc genere satis multa in superioribus attulimus ubi de carris egimus.

## Cap. XXXII.
## De Epirhedio.

*Epiredium. Vehiculum Romanum. Cum rotis quatuor. Scaligeri sententia rejecta, item Vossii. Epiredia aperta. Epirotum. Curriculus. Equis ducitur ignavis. Onera eo portantur.*

VEnio ad epiredium, cujus est exigua in antiqvis libris mentio. Nominatur Fabio lib. I. cap. 5. ut post monstrabo: Juvenali qvoq; Sat. VIII. ubi ita loqvitur:

-- -- -- *Trito ducunt epirhedia collo*
*Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.*

Inde venit & in Glossas, qvas Tyronis Tullii & Senecæ appellant. Vocabulum ipsius ex Græco Gallicoq; esse compositum intelligimus ex Fabio, loco antea laudato, ubi hæc leguntur: *Iunguntur autem, aut ex duobus Latinis integris, &c. aut ex duobus peregrinis, ut epirhedium. Nam cum sit præpositio ἐπὶ Græca, Rheda Gallicum, nec Græcus tamen, nec Gallus utitur composito; Romani suum ex alieno*

*utroque fecerunt.* Ubi nota, vocem esse apud Romanos solos notam usitatamque. Quod existimo ex eo esse, quia hoc vehiculum Romanis solis fuit usitatum. Unde frustra forsan quærimus, quod ejus apud Græcos fuerit vocabulum, qui prorsus ignorarunt. Interim hoc discimus, cum à rheda nominatum sit, figuram speciemve ejus non fuisse multum ab ea diversam. Ita judicavit & Turnebus. Sic enim ad locum Fabii præmissum: *Epirhedium genus est vehiculi, quod non est absimile rhedæ.* Corrasius existimat, fuisse currum. *Epirhedium quoque currum significat,* inquit lib. III. Miscell. cap. 20. Sed si currus fuit, quid ita nomen suum habuit à rheda? Differunt plurimum inter sese ista duo, cum currus rotas duas habeat, rheda quatuor. Scaliger existimat, fuisse id vehiculum, quod Latini alias arceram appellarunt. Verba sunt in Verborum Etymologiis, quas subjungit Conjectaneis: *Arcerra, ab ad & carrus. Id erit ad verbum, epiredium, spuria & hibrida voce.* Sed jam alibi monstravimus, non posse hoc procedere, cum sit currus aliud, & rursum aliud rheda. Si arcera à curru, quod interim concedamus, nil commune habet cum epirhedio, quod auctore Fabio est à rheda. Quare aliud epirhedium, aliud arcera. Arceræ sanè clausæ fuerunt tabulis, ut est dictum alibi: Non sic epirhedia, quod colligo, quia Scholiastes Juvenalis explicat per plaustra. *Epirhedia,* inquit, *ornamenta rhedarum, aut plaustra.* Si epirhedia de plaustrorum genere, non potuerunt esse clausa. Itaq; nec amplector, quod habet Vossius in Glossis carrum significare quadratum. *A rheda,* inquit, *& Græco proverbio factum est epirhedium, genus carri quadrati.* Plaustrum sanè non est quadratum, sed bene longum. Et quid est, *quadratus carrus?* Sine dubio his verbis Vossius respexit ad arcam, quæ arceram constituebat. Hæc quia fuisse quadrata visa est, cum sit ista species arcarum vulgo, ideò quadratum carrum dixit. Subdit namq; post superiora: *Quod* (genus carri) *Ios. Scaliger rectè scripsit transferri posse arcerram, cum hoc nomen sit ab ad, & carrus.* Epirhedium verò non arcera fuit, ut jam dixi, sed de genere plaustrorum, rhedæ non absimile. Ac fortasse rheda minuta erat, quomodo apud Nonium est *epirotum,* vehiculum minutum, alias *curriculus* vocatum. *Curriculus,*

*lus,* ait, *ut consvetudo fert, à curru diminutio est: Dicitur brevissimum vehiculi epiroti genus.* Nisi *genus epirotum* hic accipiamus, qvod sit rotis instructum, oppositumq; illi, qvod rotarum vice sustinetur tignis, sicut trahæ solent. Qvicqvid verò sit de epiroto, epirhedium existimo fuisse rhedæ simile, sed aliqvanto minus, ita dictum, sicut ab *epistola* est *epistolium.* Habuit de cætero adjunctos eqvos, verum inertes ignavosqve, sicut Juvenalis docet, in superius producto loco, ubi *segnipedes* appellat, & comparat cum asinis. Usus epirhediorum qvalis fuerit, non licet divinare, qvia nil de eo prodidere veteres, qvod sciam. Illud liqvet, genus tardum fuisse, nec adhibitum ad cursum, verum onera. Ideò segnipedum in eis locus, qvi alias debuissent esse celeres. Sed & colla trita ideò in jumentis illis Juvenalis notat, qvod sine dubio à difficultate laboris in commovenda gravi mole:

*-- Dominos pretiis mutare jubentur*
*Exiguis, trito ducunt epiredia collo*
*Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.*

Deniqve contemptum vileq; genus liqvet ex his verbis habitum, qvippé cui adjuncti viles eqvi. Atq; hoc de epirhediis.

## Cap. XXXIII.

## De vehiculis aliqvibus putatis falso, maleve intellectis.

*Tintinnabulum non est de genere vehiculorum. Scaliger revellitur & Lambinus. Gronovius laudatur. Lucilius explicatur. Pampillum. Lampridii locus examinatur.*

EXecuti sumus, qvantum scimus, omnia vehicula, qvorum mentio est apud veteres. Sed qvia sunt, qvæ vulgo pro vehiculis habentur, necdum nominata nobis, ideò & de ipsis aliqva dicemus. Primum, qvod hic memorari debet, est *tintinnabulum.* Id ex Plauto & Lucilio Scaliger vehiculum est commentus. Verba Scaligeri

Ieguntur

leguntur ad Varronis lib. de LL. IV. ubi sic ad vocem *sirpea*: *Sirpea: Lucillius: Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæque olerorum. Est autem vehes ex crate. Sunt enim hic duo genera vehiculorum, sirpea aut sirpiculæ, & tintinnabulum. De sirpeis habes hic apud Varronem. De tintinnabulo non ita cognitum omnibus. Plautus Pseudolo:*

*-- -- Lanios inde arcessam duo cum tintinnabulis.*
*Eadem duo greges virgarum indidem ulmearum adegero.*

*Quod tamen vocabulum Scholasticorum & Grammaticorum nationi antea ignotum fuit.* Servat expositionem hanc Lambinus in suis ad Plautum Commentariis: *Cum tintinnabulis*, ait, *cum vehiculis. Nam tintinnabulum, præter vulgatam significationem, genus vehiculi est, quod indicat Scaliger Iosephus, Comment. in Varr.* Eandem amplectitur & Douza in Comment. ad Lucilium. Verum mihi rectiora longè, qvæ ad Plauti locum super hac re scribit incomparabilis Gronovius. Apponam cuncta ejus verba, qvia mirè faciunt ad rei illustrationem: *Quid fuit in mentem Scaligero, quum ad quartum Varronis notaret, duo esse genera vehiculorum, sirpeas & tintinnabula, & insultaret Scholasticorum ac Grammaticorum nationi, quibus hæc essent ignota vocabula? Quid illis, qui toties hoc ex illo scribunt? Imò nec sirpea vehiculum est, sed imponitur vehiculo, nec tintinnabulum, sed si quando appenditur. De sirpea alibi. Sed dixerit Lucilius: Tintinnabulum abest hinc, sirpiculæq; olerorum. Quid hic, quamobrem credam ea esse vehicula? Quid in loco Plauti? Palam est, carnifices & tortores describi, qui solebant cædere κωδωνοφορεῦντας, ut ab aliis jam notatum. Et tamen etiam nolas ad usum sacrificiorum comminiscuntur. Lusus est servuli, qui de supplicio, quo vult mactari Lenonem, loquitur, quasi de sacrificio, quo is, quem Iovem sibi fecerat herus, mactetur. Itaque pro carnificibus dicit lanios, quasi victimarios, sed cum tintinnabulis, quibus carnifices ornabant noxios, pro hostiis, greges virgarum ulmearum, vel virgas in fascem colligatas.* Isthæc optimus Gronovius eruditissimè: Neq; dubitari debet, qvin tintinnabulum loco nullo vehiculum significet. Qvid tamen est, qvod Lucilius, ubi de sirpiculis agit, tintinnabuli facit mentionem? Qvo ista pacto cohærent? Puto usum figura, qvam appellant ἓν διὰ δυοῖν, & *tintinnabulum sirpiculasq;*

*las*q; posuisse pro sirpiculis cum tintinnabulo. Erat ea consvetudo veterum, ut res venales indicarent pulso commotove tintinnabulo. Ita solebant Græci, cum vendendi pisces essent, qvod ex Strabone aliisq; annotarunt viri docti. Hoc modo Romæ etiam existimo vendidisse holera. Habebat vehiculum seu plaustrum appensam campanulam, cujus sono admonerentur, si qvi vellent emere, adesse venalia. Et hoc credo intelligere Lucilium. Manet ea ratio hodieq; alicubi per Belgium aliasq; regiones, cum venale qvid proponitur, & Argentorati, mea in patria, molitorum plaustris appenduntur tintinnabula, qvo prætervehentes possint audiri, & frumentum ipsis offerri ad pistrinum molamve farinariam deportandum. Idem observatur eo in genere vehiculorum, qvo purgamenta platearum exportant, qvod propterea die Klingelkärch/ id est, *currus tinnientes*, vocant. Venio ad *Pampillum*, de qvo Calepinus censet, qvod ex genere fuerit vehiculorum. *Pampillum*, ait, *genus delicati currus*; laudatq; in hunc sensum verba Lampridii, ex vita Heliogabali desumpta. Calepinum exscripserunt Auctores Fori Romani, aliiqve, qvi Lexica compilarunt. Sed pampillum nusqvam legas alibi, nec est ulla ratio vocabuli illius, aut probabilis origo, sive Græca, sive Latina, unde corruptum esse intelligitur. Verba Lampridii leguntur cap. 29. *Iunxit & quaternas mulieres pulcherrimas, & binas ad pampillum, vel ternas & amplius, & sic vectatus est*. Ita habent veteres editiones, agnoscitq; Grutero teste etiam Palatinus. Sed, ut dixi, nusqvam alibi pampilli vox occurrit. Qvare sunt, qvi pompillum maluerunt, ut à *pompa* videatur ortum, signetq; genus tale, qvale Isidoro alicubi *pompaticum* vocatur. Ac à *pompa* rectè qvidem oriri *pompaticum* apparet, sicut à *gramma*, *grammaticum*, à *sylva*, *sylvaticum*, & hujusmodi. At, qvo pacto à *pompa* sit *pompillum*, non æqvè possis dicere. Dein non magis legas alibi *pompillum*, qvam *pampillum*. Deniq; totus locus docet, agere Lampridium de re nota, faciliq; intellectu. Ideò vocem affert nudam, nihil addit explicationis gratia. Qvare verisimile non est, scripsisse *pompillum*: cum, ut maximè accipiamus pro vehiculo pompatico, de hoc ipso,

qvale sit, interrogari qveat. Fuerunt enim multa diversaq; in pompis vehicula, bigæ, quadrigæ, currus, carpenta, thensæ, ac id genus. Ne ipsæ pompæ quidem unius ejusdemq; generis fuere, sed aliæ circenses, aliæ theatrales, aliæ triumphales ac deinceps. Ad postremum libri alij Lampridij, ad quos editiones optimæ sunt formati, non *pampillum* habent, sed *papillam*. Quanquam ne hoc ipsum quidem probum videatur. Ecquid enim hic *papilla*? Nam si mamma, quo pacto junctæ plures fuerunt ad mammam? Genus locutionis arguit, sermonem esse de diversis, & aliud, quod junctum est, aliud cui junctum est, intelligi oportere. Svetonius in Julio c. 31. *Mulis è proximo pistrino ad vehiculum junctis iter ingressus est.* Plinius lib. VIII. c. 16. de Leonibus: *Primus Romæ ad currum junxit M. Antonius.* Ipse Lampridius aliter non loquitur. ut c. 23. Dicitur *junxisse etiam camelos quaternos ad currus in circo.* Item c. 28. *Canes quaternos ingentes junxit ad currum.* Quando ergo ait, *junxit ad papillam*, non potest papilla mulierum junctarum intelligi, sed quid aliud, ad quod junctæ ipsæ fuerunt. At hoc vox papillæ non declarat; Unde sequitur, esse depravatam. Suspicabar aliquando, ad *plaustillum* legi oportere. Nam ex *plaustillo*, scribarum incuria potuit fieri primo *paustillum*, dein *panstillum*, & cum *st* in Mss. parum differat a *p*, *panpillum* ac *pampillum*. Verum nolo conjecturam hanc tueri adversus eum, qui quid melius excogitabit. Cum præsertim locus totus valde corruptus imo mutilus videatur. Ecquid enim est, quod primo ait, *junxit & quaternas & binas*, & statim post, *vel ternas & amplius?* Quo spectat illud *& amplius?* nam si ad quaternas, eæ vero jam antea enumeratæ sunt. Plane liquet esse hæc inepta, neq; sic à Lampridio formata. Id quod olim deprehendent, qui libros emendatiores consulent.

Cap.

## Cap. XXXIV.

## De vehiculis admiratione dignis.

*Currus ignei Eliæ & Simonis Magi. Arnobius emendatur. Currus alati, cum velis, ac sine equis incedentes. Indicantes viæ longitudinem, & numerum horarum. Vmbram semper facientes. Capitolini locus expenditur. Salmasius rejicitur. Vertigo. Exquisita sedilia. Capitolinus corrigitur. Currus minimi ex ebore, ære, marmore. Plinij lectio vetus defensa. Marmoreæ quadrigæ Claudiani contra Barthium explicatæ. Currus ex vitro. Ex argilla miraculosus. Festus emendatur. Currus ex ferro libere pendens in aere. Currus ad excitandas pluvias.*

IIs quæ hucusq; tradidi, addam aliquid de vehiculis miraculosis. Nam & talia inveniuntur in antiquis monumentis. Nullum autem est, quod dignitate superet vehiculum, quo vectum olim legimus Eliam Prophetam in ipsos quoq; cœlos. Totum enim, quantū quantum fuit, flagrabat ignibus, & coruscabat flammis. Auctor lib. IV. Reg. c. 2. *Quumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce, currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumq;, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Currum huncce tam stupendum, solaq; virtute divina fabrefactum, imitari ausus est per æmulationem improbam Simon magus, sed successu infelici, quando Petrus Apostolus omnem ejus perdidit structuram, ipsumq; Simonem ex aëre dejecit. Hinc Arnobius lib. II. *Viderant enim currum Simonis magi, & quadrigas igneas, Petri ore diffatas, & nominato Christo evanuisse*, Ubi forte legi debet, *Petri ore diffatas, sed nominato Christo, evanuisse.* Ita namq; illud *sed* eleganter usurpari, jam ad Phædrum nostrum lib. 4. c. 17. demonstravimus. Currus igneos alioqui circa se custodiæ caussa habuit & Propheta Eliseus, de quo in prædicto libro Regum capite 6. ita legimus: *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce, mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Currum alatum vidit Ezechiel Propheta tractum ab animalibus quatuor alatis modo eumtem, modo subvolantem in al-

tum, cui Deus ipse insidebat. Describitur latissime in libro ejus cap. 1. Cæterum respectu ejus à Platone Jovi quoque currum alatum tributum, censuit Justinus Martyr in Cohort. ad Græcos. *Num*, inquit, *aliunde institutus Plato, quam ex Propheticarum lectione historiarum volucri Iovem in cælo curru vehi affirmat? Vidit ille in Prophetæ responsis de Cherubim dictum illud: & exivit è domo gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & elevarunt Cherubim alas suas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Israelis erat super eos.* Aliter res sese habuit cum curru Triptolemi, quem alatum (ἅρμα πτερωτὸν) vocat Aristides in Or. Pan. & Pelopis, qui alatos equos dicitur habuisse jūctos. Nam de altero Philochorus, de altero Palæphatus testantur, quod sint vecti navibus, quemadmodum jam pridem docui in libris de Militia & Re Navali. Quare potiori jure currus alatos diceremus, quos ætate nostra invenit in Batavis Stevinus, nullis tractos equis, sed velorum ope incedentes, quorum unus spacio dua um horarum milliaria quatuordecim Hollandica valuit conficere. Descripsit eos Baudius eleganti carmine, & Hugo Grotius epigrammate non uno. Ecce tibi aliquod:

*Qui Scyllam veterem, & Lyciæ portenta Chimeræ,*
*Quiq; Ixionidas, Semivirumq; bovem*
*Vera negas; posthac ne sis incredulus, istud*
*Materiæ Divum cerne biformis opus.*
*Cerne sinus, áxem, capsum, carchesia, clavum,*
*Absida, paxillum, stamina, rostra, foros,*
*Flamineq; antennam stringi, sufflamine currum,*
*Segnratem cæloferre, rotamq; solo.*

Memini me videre olim apud eosdem Batavos currum, cujus rotæ circumagebantur machina peculiari per virum in eo sedentem, qui simul iter ejus dirigebat quoquo vellet, absq; equis ullove alio præsidio. Sed hi quidem lusus sunt ingenij humani, neque usum habent aliquem in communi vita. Memorat Vitruvius vehiculum singulari structum arte, ut cognosci possit, quantum itineris per id

fit:

sit confectum quovis tempore. Verba, quia longiora sunt, non exscribimus & legi possunt apud ipsum lib. X. cap. 14. Quanquam pridem anteque Vitruvium delineaverit Heron in Dioptricis prop. 28. ubi ὄχημα ὁδομέτρον nuncupavit. Usurpavit autem Commodus Imperator, uti, testis est Capitolinus in vita Pertinacis c. 8. Locus est notabilis, nam & alia vehicula rariora docet: Ita vero habet: *Nec non vehicula arte fabricæ nova, perplexis diversisq; rotarum orbibus, & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia horasq; monstrantia.* Quibus verbis manifeste docet habuisse, quibus iter poterat metiri. Erant ei quoque, quibus monstrabantur horæ, sive illa ipsa, sive alia. Deniq; quibus Solis evitari radij, auraq; undecunq; veniret, captari poterat. Quod quidem fiebat *per vertiginem*, id est, ut Salmasius exponit, per *versatilitatem, quia ita apta vertebris & verticulis erant, ut nunc in partem, quæ Sol esset, versari, nunc in aliam unde aura veniret, facile possent.* Quanquam mea sententia illud *per vertiginem* non ad ista præcedentia, sed subsequentia potius pertineat, cohæreantq; inter se, *vehicula perplexis diversisq; rotarum orbibus monstrantia horas, & metientia iter per vertiginem*; ut *per vertiginem* sit, dum illi orbes rotarum vertuntur. Sic enim fiebat in ejusmodi vehiculis, ut ex Vitruvio cognoscimus. Habebãt rotas plusculas, quarũ conversione ac circumactione longitudo viæ indicabatur, plane ut in nostris fit automatis. Neque aliter est sentiendum de significatione horarũ. At vero umbræ & auræ habebantur non per vertiginem, sed exqvisitis sedilibus, hoc est, ita factis, ut pro ratione Solis auræve possent mutari. Atq; sic Capitolini verba ita debebunt distingvi, ---- *nunc ad spiritus opportunitatem; Per vertiginem & alia iter metientia horasque monstrantia:* Ut illud *per vertiginem & alia* sint connexa, eaqve *alia* de indicibus, ut lapillis decidentibus, qvos Vitruvius commemorat, vel similia accipiantur. Præter istos currus digni admiratione illi Myrmecidis, de qvibus Ælianus noster: Τέτριππα ἐποίησαν ὑπὸ μυίας καλυπτόμενα. Plinius lib. VII. cap. 21. de iisdem ita loqvitur: *Myrmecides in eodem*

*genere inclaruit , è quo quadrigam ex eadem materia , quam muſca integeret alis , fabricatam M. Varro retulit.* Per materiam eandem intelligit ebur , unde & Callicratitas , de qvo præceſſit , opera ſua faciebat. Similes , ſed tamen aliæ, fuerunt qvadrigæ Theodori , de qvibus idem Plinius lib. XXXIII. cap. 8. *Dextra limam tenet , læva tribus digitis quadrigulam tenuit , translatam Præneſte , tantæ parvitatis , ut totam eam currumque & aurigam integeret alis ſimul facta muſca.* Hæ qvadrigæ fuerunt æreæ , qvod conſtat ex capite toto , cum Myrmecidis eſſent eburneæ. Myrmecidis tegi alis muſcæ ejusqve veræ poterant , Theodori tegebantur , verum ejus , qvæ & ipſa fuit ærea. Fecit rurſum alias qvadrigas ante dictus Myrmecides ex marmore. Plinius lib. XXXVI. cap. 5. *Sunt & in parvis marmoreis famam conſecuti Myrmecides , cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis muſca.* Hermolaus Barbarus pro *marmoreis* ſubſtituit *eboreis* , qvia Plinius de talibus in præcedentibus. Sed obſtat primum conſtans codicum omnium lectio. Deinde argumentum capitis totius , in qvo nihil de eburneis, tantum de marmoreis operibus. Ex qvo ſeqvitur , duplices feciſſe qvadrigulas , alias ex ebore , alias ex marmore. Marmoreas qvadrigas memorat & Claudianus , admodum mirabiles profectò , ſi fuerunt tales , qvales Barthius exiſtimat. Putat enim ſic fuiſſe ſculptas , ut decidere & redire in currum agitator poſſet. Verba ejus extant lib. XIV. Adverſ. cap. 20. *Epigramma hoc ſcriptum eſt in quadrigam convertilem , cujus membra verſa reddiderunt effigiem aurigæ inſidentis currui , verſa denuò , currum aurigæ incumbentem , equos , axes , virum currumque , omnia ex una materia vertibilia.* Adde cætera. Epigramma habet ita :

*Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?*
*Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis*
*Vnanimēs frænantur equi. Quos forma diremit,*

*Materies*

*Materies cognata tenet, discrimine nullo.*
*Vir redit in currum: Ducuntur ab axe jugales:*
*Ex alio se quisque facit. Quæ tanta potestas?*
*Vna silex tot membra ligat, ductusque per artem*
*Mons patiens ferri varios mutatur in artus.*

In hoc epigrammate nos qvidem invenimus nihil, qvod interpretationi Barthianæ respondeat. Versionis ejus, qvam commemorat, nullum hic indicium, nulla plane mentio. Qvia omnia ex uno lapide confecta erant, Poëtæ ansam scribendi epigrammatis præbuere. Hoc est, qvod ait, *surgit in aurigam currus.* Nam id ipsum marmor, qvod in currus speciem fuit formatum, continuum, nec interruptum, præbuit materiam formando aurigæ, qvi currui insistebat. Bene ergo, *surgit*, qvia supra currum auriga stetit. Mox tamen, *redit in currum*, qvia, ex qvo marmore fuit auriga, ex eodem currus, ut, sicut currus in aurigam surgeret, sic auriga in currum rediret. Sed & ab axe ducti sunt jugales, qvia illa parte cohærebant currui, cætera liberi & soluti. Erat autem necesse, ut una parte cohærerent, qvoniam ex uno marmoris frusto fuerunt facti. Hinc est, qvod subdit, *una silex tot membra ligat.* Barthius illud, *surgit in aurigam currus*, ita explicat: *Qui ante incedebat velut, ex curru fit currui imminens auriga. Tortilis & mutabilis in varios vultus machina ex curru pariebat aurigam, ex auriga denuò currum.* Qvæ ut sint ingeniosa, ita nihil faciunt ad intellectum hujus epigrammatis, qvemadmodum opinor. Currus admiratione dignos ex vitro memorat Cardanus, lib. X. de Var. Rer. cap. ult. *Hic*, ait, *artifex adeò subtiliter è vitro cuncta elaborabat, ut quandoque currum cum bobus fabricaverit, qui sub muscæ ala continerentur.* Addo his qvadrigas fictiles, qvas apud Thuscos memorant crevisse in fornace, cum coqvendæ essent, adeò, ut fornacis partem superiorem perrumperent, ut ostendit pluribus in vita

Publicolæ

Publicolæ Plutarchus. Festus in *Ratumena* voce : *Quadrigas fictiles faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam , artis figulinæ prudenti. Quæ bello sunt reciperatæ , quia in fornace adeò creverant , ut eximi nequirent. Idque prodigium portendere videbatur , in qua civitate eæ fuissent , omnium eam futuram potentissimam.* Sic distingvo ista. Postrema docent , qvare has qvadrigas inter ea septem numeraverint Romani , qvibus salus civitatis atq; incolumitas inniteretur. Servius ad Æn. VII. ubi de ancilibus agitur : *Septem fuerunt paria , quæ imperium Romanum tenent : Acus Matris Deum , quadriga fictilis Vejorum , cineres Oresti , sceptrum Priami , velum Ilionæ , Palladium , Ancilia.* Legimus & qvadrigas ferreas liberè pendulas in templo Serapidis , virtute magnetis cameræ affixi. Prosper Aqvitanicus lib. III. de Promiss. Dei , cap. 38. *Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum dæmonis fuit : Quadriga ferrea, nulla basi subfulta , nullis uncis infixis parietibus colligata, in aëre pendens , cunctis stuporem ac velut divinum subsidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes , qui ferrum sibimet attributum suspendit , eo loco cameræ affixus, totam illam machinam sustentabat.* Fuerunt hæ qvadrigæ Solis , qvod collatione loci hujus cum Rufino constat , & jam Barthio significatum est. Currum memorat Antigonus in mirabilibus Narrationibus, qvo pulsato pluvia exoriebatur Cranone, Thessaliæ urbe. *Inter sacra donaria* , inqvit , *currum servant æreum , quem, ubi siccitas incidit , pulsant , & aquam à DEO poscunt , atque impetrant.*

V. C.

*V. C.*

PYRRHI LIGORII NEAPOLITANI

*De*

# VEHICULIS ANTIQVORUM

Diatriba, Excerpta

Ex libris ejus de Familiis Romanis.

Nunqvam ante publicata.

*Primus edidit, Notisq; necessariis instruxit,*

JOANNES SCHEFFERUS Argentoratensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# LECTORI BENIVOLO S.

*QVem hic primus edo, libellum induſtriæ debes viri eruditiſſimi amiciſſimique nobis*, Domini Andreæ Nicolai Norcopenſis, *Eloquentiæ in hac Academia Profeſſoris deſtinati, qui eum Romæ deſcriptum ex Codice variorum Pyrrhi Ligorii operum, quos inſtructiſſima* CHRISTINÆ *Reginæ bibliotheca ſervat, ad nos amicè transmiſit. Vt eum ederem, præcipuè me impulit, quod ſcirem neminem alium, qui hoc argumentum ex profeſſo tractavit. Deinde, quod auctorem ejus in exiſtimatione magna eſſe apud Italos didiciſſem. Ita namque præter alios Pignorius, vir celeberrimus, de eo in Epiſtolis:* Pyrrhus Ligorius Neapolitanus & Æneas Vicus Parmenſis gemini Soles præluxerunt vetuſtati illuſtrandæ. Ille in qvadraginta libros conjecerat, qvicqvid pervenerat ad nos à vetere ævo. Meminitqve ipſe hujusce laboris à ſe exantlati, productiqve à Saturno, Rege Italiæ, ad Juſtinianum usq; Auguſtum, in libello Italicè ſcripto editoqve, cui titulum fecit: Antiqvitates Romanas. Hinc illi jure & merito obtigit, ut à doctiſſimis viris ipſe calamo & penicillo præſtans honorificentiſſimis elogiis appellaretur, ab Onuphrio Panvinio, ab Hieronymo Mercuriali, ab Antonio Auguſtino & Stephano Pighio. Verum hujus libri lucem publicam non aſpexerunt, & cum magno qvidem rei litterariæ detrimento. *Hæc Pignorius, quæ profectò quemlibet ad publicanda, ſi quæ Ligoriana veniunt in manus, poſſunt invitare. Quanquam autem Pyrrhus meritò laudetur, quod ingenti animo tam vaſtum argumentum ſibi ſumſerit tractandum, ac in cæteris fortaſſe dignum ſeſe laude iſta præſtiterit, tamen in opuſculo præſenti pæne nil invenio, quod æquare titulos tantos valeat. Quod non gratis à me dici, facilè oſtendent* NOTÆ *à me additæ, quibus ſimul apparebit, utrum ſupervacua fuerit noſtra in expoliendo præſenti argumento poſt celeberrimum Ligorium induſtria. Vale, ſtudiisque noſtris fave.*

PYR-

# PYRRHI LIGORII De VEHICULIS ANTIQVIS.

*Ex libro ejus de Familiis Rom.*

ORa perche molte volte cose nei carri si veggono poste nei danari tutte a qvalche fine, ò per segno di vittoria, ò di cose sagre, parlaremo brevemente qvi dell' uso, & nome di diversi carri, accioche siano distinte le cose di essi secondo l'uso, & si dira di qvanti carri si trova memoria. Premieramente porremo le cose in generale; Perche tutti i carri sono detti vehiculi, sotto, qvalsivoglia altro nome, qvesto fu il primo che si diede a tutti i carri. Poscia diremo di qvelle che sotto a essi vehiculi hanno altri nomi con altre voci appellati. I Latini hanno usato dunq di dire Vehiculum, Rheda, Essedum, Cisium, Car-

# VERSIO LATINA Per Clarissimum ARRHENIUM, V. C.

QVoniam sæpe in carris variæ res conspiciuntur, qvi nummis sunt impressi, eæqve omnes certi alicujus finis caussa, utpote vel in victoriæ vel in rei alicujus sacræ signum, ideò dicemus breviter de carrorum multiplici usu & appellatione, ut res huc spectantes ritè distingvantur secundum ipsarum usum, & dicemus de qvibuslibet carris, qvorum ulla uspiam fit mentio. Primo explicabimus rem hanc universim, qvia omnes carri vehiculorum nomine indigitabantur primum, & qvæcunq; appellatione aliqva alia distincta postmodum sunt, carrorum genera varia, ea ab initio omnia continebantur vocabulo vehiculorũ.

Carpentum, Currus, Pilentum, Arcina, Baſtarna, Benna, Biga, Triga, Qvadriga, Birotum, Burdones, Camulum, Cantherion, Carruca, Combatus, Covinus, Octophorum, Petoritum, Sarracum, Staticulum, Thenſa, Traha, Vectabulum & Veha. I Greci hanno piu freqvente Ἅμαξα, Ὄχημα overo Ὀχήματος che ſono voci che comprendono molti carri, come fà il nome vehiculo & carpento & curro preſſo Latini, perche carro ſuonano in tutte cinq le lingve Greche; Perche currus & vehiculus ſono detti dal vehere & portare & correre, come anche ſotto nome di plauſtro ſono molti carri altrimente detti, ſecondo è piaciuto à Scrittori chiamarli, & ſecondo le nationi che l'hanno uſato.

*I. Del Plauſtro.*

PLauſtrum, i Greci Ἅμαξα & Ἅμαξης lo dicono & tanto i Poëti conce gl' Hiſtorici, di cui parla Aulo Gellio parlando del plauſtro porto in Cielo trà le ſydera, e ne parlano Arato e Hygino.

Poſt agemus de iis, qvæ ſub ipſo vehiculorum vocabulo alias ſortita ſunt appellationes, aliis vocibus expreſſas. Latinis in uſu fuere ſeqventia: Vehiculum, Rheda, Eſſedum, Ciſium, Carpentum, Currus, Pilentum, Arcina, Baſtarna, Benna, Biga, Triga, Qvadriga, Birotum, Combatus, Covinus, Octophorum, Petoritum, Sarracum, Staticulum, Thenſa, Traha, Vectabulum & Veha. Græci freqventius ſuis vocant nominibus, Ἅμαξα, Ὄχημα vel Ὀχήματος, qvę ſunt voces comprehendentes multa carrorum genera, utpote vehicula, currus & carpenta, qvæ Latinis dicuntur, nam tantundem ſignificant Græcæ iſtæ voces in omnibus qvinq; dialectis. Currus & vehiculum dicitur à vehere & portare, & currere, ſicut & ſuo nomine plauſtri ſunt multi carri aliter dicti, prout placuit Scriptoribus ipſos appellare, & nationibus, qvæ ipſis uſæ ſunt.

*I. De Plauſtro.*

PLauſtrum à Græcis, tam Poëtis, qvam Hiſtoricis, Ἅμαξα & Ἅμαξης vocatur, qva de re Aulus Gellius loqvitur, ubi agit de plauſtro in Cœlo inter ſydera. Ejus qvoq; meminerunt Ara-

gino. Viene detto dal portare per la via Amaxeia ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΑΜΑΞΩΝ ΦΟΡΤΟΣ; Perche con esse si conduce per strada larga & aperta. Plaustro chiamano la qvadriga di Erichthonio, come altri lo dicono vehiculo, il qvale era con due ruote tirato da qvattro cavalli, & plaustro & vehiculo & Amaxa chiamano il carro di Sysello, tyranno di Corintho, come qvel del Sole & qvel di Marte, & vi aggiangono volucris, perche hanno i cavalli le ale. Plaustro, vehiculo & amaxa ancora furono detti i carri di Dario Rè, qvel di Alexandro Magno, qvel di Lajo, Rè di Thebe di Beotia, perche tutti suonano, una cosa istrisa. Furono usati il pilento & carpento & vehiculo lo medesimo; Et pria si faccuano, con due ruota, poscia con qvattro & fù detto petorito. Carpento fù il primo nome, detto per mutatione di lettere; Perche è come dire qvasi Carmentum, per essere Stato usato da Carmenta, madre di Evandro Re, & carpentophoro, cio è curro da portare frutti, nelle decime, nei sacrifici, come le donne Romane li portavano a Carmen-

Aratus & Hyginus. Sic est dictum, qvod portet per viam amaxeia, ΠΑΡΑ ΤΩΝ ΑΜΑΞΩΝ ΦΟΡΤΟΣ. Qvoniam ejus ope per viam latam & apertam qvid ducitur. Plaustrum vocatur qvadriga Erichthonii, qvæ ab aliis dicitur vehiculum, qvod cum rotis duabus trahitur ab eqvis qvatuor. Plaustrum qvoqve, Vehiculum & Amaxan vocant currum Syselli, Corinthiorum tyranni, currum qvoq; Solis, & Martis, cum epitheto volucris, qvoniam eqvis adpositæ erant alæ. Plaustra, vehicula & amaxa itidem dicti fuere currus Darii Regis, item, Alexandri Magni, Laji qvoqve, Thebarum Bœotiarum Regis, qvæ vocabula idem valent. Eodem significatu usi sunt veteres vocibus, pilenti, carpenti, & vehiculi, qvæ primum duabus, post qvatuor rotis conficiebantur, itemq; petoriti. Carpentum est primum & antiqvissimũ carri nomen, sic dictum per litteratum transmutationem, qvasi carmentum, qvoniam eo usa sit Carmenta, mater Regis Evandri. Et carpentophorus, currus portandis fructibus destinatus in decimis & sacrificiis, qvæ Romanæ matronæ Carmentæ Si-

menta loro Sibylla, & a gl' altri Iddy. Fù detto veramente da essa gran donna, carmentum, come ci mortra Ovidio nel primo de Fasti:

*Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.*

Chel carpento dunq. fosse delle gran donne, celo accenna Cornelio Tacito nelle cose di Agrippina, che haveva il carpento fastigiato, & bello, & ornato, come lo veggiamo nelle sue medaglie, con due ruote tirato da due mule, ò da due cavalli; Onde esso autore dice: *Suum quoque fastigium*, inqvit, *Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & Sacris antiquis concessus, venerationem augebat fœminæ.* Il medesimo usarono nelle solennità, dunqve il pilento, come dice Livio, è spetia di plaustro.

*II. Del Vehiculo, Pilento, & Petorito.*

PIlentum, come jè detto, era usato come il carpento detto vehiculo & petorito. Serviva al sudetto officio per portar le matrone colle ceste al sacrificio, loqvale haveva qvattro ruote detto in lingva Volsca, secondo

byllæ suæ apportari fecerunt, alisq; Diis Deabusqve. Verè ab ea carmentum primo dictum, ut ostendit Ovidius Fastor. I.

*Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant.*

Carpentum itaqve convenisse magis fœminis innuit & Cornelius Tacitus in rebus Agrippinæ, qvæ habebat carpentum fastigiatum & pulchrè ornatum, sicut conspicitur in nummis, ubi duabus constans rotis à duobus mulis aut eqvis trahitur, unde auctor dictus ita: *Suum quoq; fastigium Agrippina altius extollere, carpento Capitolium ingredi, qui mos Sacerdotibus & Sacris antiquis concessus, venerationem augebat fœminæ.* Eodem usi sunt in solennitatibus. Pilentum, ut ait Livius, species est plaustri.

*II. De Vehiculo, Pilento, & Petorito.*

PIlentum, sicut est dictum, usurpatum erat sicut carpentum vehiculum, & petoritum. Inserviebat dicto ministerio, ad portandas nempe matronas cũ calathis ad sacrificia, habebatq; rotas qvatuor, ita dictum à Volscis,

secondo alcuni. Mà Varrone dice chil pilento fù trovato in Hispania. Fù usato à tempo suo in Roma, & non prima dalle matrone nelle cose di sacrifici, & dice chè con due ruote, e con qvattro, con due più freqvente. Ma nell' antichi monumenti veggiamo scolpito si fatto carro, con che le donne andavano con le placente à sacrificare à Cerere, colla ceste piena di spiche & di focavie. Et alcuna fiata hanno due ruote, altri con qvattro ruote. Si vede ancora si fatto carro nella casa di mafei in Romæ nell' antica historia di Cleobi & di Bitone Argivi, i qvali giovanetti in vece di buoi tirarono il carro, che alcuni dicono plaustro, altri amaxa, altri vehiculo, altri pilento, secondo l' accommoda nel verso la parola, non curando di osservar l' uso del tempo & delle lingve, bastando loro dire un carro dato alla commodità di tali essetti nei sacri misteri usato, col qvale andò col accese facelle la madre di detti giovanetti al tempio di Junone; La qvale non potendo havere i buoi à tempo, i figlioli tiraro

scis, ut qvidam volunt. Sed Varro dicit, pilentum fuisse repertum in Hispania. Romæ suo tempore fuisse ait in usu, nec esse primum usurpatum à matronis in sacrificiis, & constitisse modo duabus, modò 4. rotis, sed 2. freqventius. Atq; in monumentis antiqvis videmus sculptos in hunc modum carros, qvibus vehuntur fœminæ cum placentis, sacrificaturæ Cereri cum calathis plenis spicis & pane subcinericio. Habet interdum duas, interdum qvatuor rotas. Videre etiamnum licet ita factum currum in domo Maphæorum Romæ, in antiqva historia Cleobis & Bitonis Argivorum, qvem juvenes isti loco boum trahebant, alii vocant plaustrum, alii amaxam, qvidam vehiculum, qvidam pilentum, prout commoda in versu vox una vel altera est visa, nulla prorsus habita ratione temporum, consvetudinis, aut lingvarum, sufficere putantibus, si dicerent currum datum ad efficiendum, qvod in sacris mysteriis esset usitatum. Tali ergo curru vecta mater dictorum juvenum accensis facibus ad Junonis templum, qvæ cum non posset jumenta habere in tem-

no

pore,

no il carro; & essendo stati gl' atti di qvelli pietosi & di religiosa gloria, essa Sacerdotessa poi prego la Dea per la felicità di qvelli; & tosto amendue l' adormirono nel tempio, ne mai più si suegliarono; delche fù compreso che è meglio la morte nel fine glorioso, che vivere con pene e doglie, & con pericolo sotto speranza di qvesta humana vita. Cosi scrive Plutarcho nella consolatione della morte.

### III. Del Vehiculo detto Cisio & Carruca.

Fù simile ancora il cisio come il petorito, & il curro; i Greci lo dicono ΑΥΤΡΟΧΟΝ, & vehiculo parlando della medesima occasione sopra detta intravenute in Argo. Fù detto cisio all' hora, che lo congiunscio colli cavalli, cò qvali l' andava prestamente nella città, & da un' luogo ad un altro; & ib gvidatore si dice cisario, cioè dal cisio moderatore, & auriga secondo si trova scritto nelle pandette nella legge de jure Cisareo perche sono alcuni isolenti; Per la prestezza dunqve del carro alcuni lo annumerarono nelle carri veloci & presti,

pore, filii subiere currum, cumq; opera piissimorum juvenum ad gloriam religionis faceret, ipsa Sacerdos precata est Deos pro felicitate juvenum, statimq; ambo obdormiverunt in templo, nec post evigilarunt unqvam. Unde apparuit, meliorem esse mortem gloriosam, qvam vitam cum molestia, dolore, periculis, & incerta spe vitæ humanæ. Ita refert Plutarchus in Consolatione mortis.

### III. De Vehiculo, Cisium & Carruca dicto.

CIsium petorito & currui fuit simile. Græci appellarunt ΑΥΤΡΟΧΟΝ & vehiculum, de eadem re loqventes, qvam diximus contigisse Argis. Dictum est cisium tum, cum jungerentur eqvi, qvibus celeriter vehebantur per urbem, vel alias ab uno loco festinabant in alium. Et talis currus moderator dictus est cisarius, & auriga cisii, juxta id, qvod scriptum in Pandectis in lege de jure Cisario, qvoniam horum aliqvi sunt insolentes. Propter celeritatem cursus aliqvi annumerarunt curribus citis, & velocibus, qvoniam cisia sic facta,

ut

presti, perche si facevano delli cisii leggieri & agili; & si comprende nel numero delle bighe per prestezza, non per forma del corpo; porche la biga, la triga, la qvadriga, la qvinqvejuges, & la sexjuges tutte dette la numero de cavalli, con qvali sono tirati, tutti sono carri veloci, tutti sono detti anco curri, plaustri, & vehiculi, & cisia: ma qvesti nec givochi Circensi sono d' avanti chiusi di dietro aperti, & qvelli da combattere sono chiusi & armati da ogni parte, & anco dell' aperti di dietro con due ruote. Qvello di givochi il gui dava il proprio agitatore, qvello della gverra da combattere era compartito accioche la parte anteriore, stesse per l' auriga, & il corpo principale, per lo padrone, come havemo mortrato nelli danari, fatti ad honore di Hostilio Rè. Or dunqve il Cisio tutti i scrittori che lo nominato, tutti dicono esser vehiculo, ò vogliamo dire carro velocissimo & prestantissimo da portar huomini, di due ruote, & lo chiamano anco carruca; onde cisario & carrucario viene detto colui,

ut essent levia & agilia, & comprehenduntur sub numero bigarum, ob velocitatem, non formam corporis. Nam bigæ, trigæ, qvadrigæ, qvinqvejuges, sejuges, omnes nomen habent ab eqvorum numero, à qvibus tracti sunt, omnesqve sunt carri veloces, omnesqve dicti currus, plaustra, vehicula, & cisia. Sed hæc in ludis Circensibus à parte anteriore fuerunt clausa, à posteriore aperta: At verò militares currus ab omni parte fuerunt clausi & armati, etiam illi, qvi à tergo erant aperti, duas habebant rotas. Cisia, qvibus utebantur in ludis, peculiaris agitator regebat: Sed bellica, qvibus solebant confligere, divisa erant in partes, qvorum anterior erat pro auriga, posterior, qvæ reliqvi corporis princeps pars, pro patrono, sicut demonstratum est à nobis in nummis cusis honori Hostilii Regis. Qvotqvot igitur Scriptores cisii meminerunt, dicunt esse vehiculum, aut, si malumus, currum velocissimum citissimumqve ad portandos homines, cum rotis duabus, qvi alias sit appellatus carruca. Unde cisarius & carru-

colui, il qvale lo gvidava, come dice Cicerone nel' ſecondo delle Philippiche : *Inde ciſio celeriter urbem advectus, domum venit capite involuto.* E porto il ciſio nel numero de carri fortiſſimi onde la voce ciſio non ſignifica altro, che la preſtezza, uſato per la ſodezza nelle coſe di fabricha, in condurre materia da fabricare, per lo che Vitruvio l' annumera fra qveſti nominati à tal officio, Rheda, Ciſia & Tornis ; Il Torno è carro da poterſi girare ovunq. ſi vuole con agilità, & preſtamenta ſi muove & ſi vede nell antichi monumenti, ove ſono ſcolpite memorie di alcune coſe accommodate à portar da un luogo ad un altro.

carius perinde dicitur is, qvi eum ductat, ut ait Cicero Philippica ſecunda : *Inde ciſio celeriter urbem advectus, domum venit capite involuto.* Ciſium itaqve relatum eſt in numerum carrorum vehementiſſimi curſus, unde ciſii vox nihil aliud ſignificat, niſi celeritatem. Propter ſoliditatem qvoqve adhibita rebus architectonicis ad congerendam materiam, idqve patet eo, qvod Vitruvius adnumerat inſtrumentis ad hoc negotium Rhedam, Ciſia, & Tornos. Tornus eſt carrus, in qvo qvis ſe cum agilitate gyrare poteſt, qvocunq; vult, verſareq; ſubito, cujus formam videre licet in antiqvis monumentis, qvibus inſculpta memoria qvarundam fabricarū commodarum ad transvehendas res de uno loco in alium.

*IV. Della Carruca & Rheda.*

CArruca è detto vehiculo ancora, & ſi piglia l' uno per l' altro ; Concioſia coſa, che vehiculo è ſempre ſignificato, come à noi carro, & tanto è dire carruca, come carretto. Qveſto era un gentile coccio che uſavano per andar modeſtamente, preſto & com-

*IV. De Carruca & Rheda.*

CArruca etiam dictum eſt vehiculum, unumq; pro altero uſurpatur, nam vehiculum ſemper id ſignificat, qvod nobis eſt carrus, idemq; eſt carruca ac currus parvus : Erat autem currus venuſtus, qvo uſi ſunt, cum ire vellent modeſtè, celeriter, & commodè, non multum ſpa-

tii

commodo , ſenza occupare molto la ſtrada ; Della cui carruca fà mentione Spartiano nella vita di Alexandro Mamæo Severo , dicendo : *Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus ut haberent argenteas, permiſit : Intereſſe Romanæ dignitatis putans, ut his tanti Senatores vectarentur.* Furone nel vero le donne Romane di tali carri anco tanto ghiotte , per lo commodo & bello andare , che eſſendo di ſimili carri ſtate , private per decreto del Senato, preſero la coſa à tanto i degno, che non più volevano far carrezze à i loro mariti , gli voltavano le ſpalle in atti amoroſi , non ſi uvolevano piu ingravidare , comedice Livio ; Onde por per hauer fatte opere laudabili, gli furono reſi. Crano lavorati in Roma li carri di argento , nel vico chiamato di Sigillari non gvari lontano an Amphitheatro di Flavii preſſo le therme di Trajano & di Tito Veſpaſiano. Della carruca di argento fà mentione Plinio, qvando dice : *Carrucas quoque ex argento cælare invenimus.* Della qvale ſorte Nerone Imperadore ne fece mille. Sono dette

tii occupantes in via. Hujusmodi carrucæ mentionem facit Spartianus in vita Alexandri Mamææ Severi , dicens : *Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus ut haberent argenteas , permiſit : Intereſſe Romanæ dignitatis putans , ut his tanti Senatores vectarentur.* Talium carrorum ita cupidæ erant fœminæ Romanæ , propter inceſſus commoditatem & venuſtatem, ut, cum decreto Senatus ademptum eis eſſet jus iis utendi , tantum inde offenſionis iræqve conceperint, ut noluerint maritis ulla amoris ſigna monſtrare,ſed,qvoties conjugalis debiti officia ab eis exegerint, obverſis tergis eos averſatæ ſint, nunqvam in amplexus admittentes , ut fierent gravidæ, ſicut ait Livius. Unde poſt ob virtutem jus id eis reſtitutum. ConficiebanturRomæ argentei hi carri in vico Sigillari dicto, non procul ab Amphitheatro Flavii, apud thermas Trajani, & Titi Veſpaſiani. De argentea carruca loqvitur Plinius, cum dicit : *Carrucas quoq; ex argento cælare invenimus.* Cujus generis Nero Imperator fecit mille. Per diminutionem itaqve , ut lo-

te carrucæ qvasi carretti, della qval sorte parla Martiale nel libro terzo:

*Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Carruco ò carruca dunq; si vede con due ruote alte, con un coperto di alcune cose nobili, con imagini in luogo di colonnette, con gelosie accerco da tutte le blande, da avanti in fuora comesono nelle medaglio, e qvasi di tal sorte sono i carri detti thensæ che sono fatti à memoria delle pompe ad honore dedicato, di cui' era porto nel numero di divi tirato da mule ò da elephanti. Rheda viene detta à Rheduco, è in due sedili partita. Dicono che con cento rhede ò vehiculi Terentia andò incontrare Marco Tullio Cicerone, suo marito, tornando à Roma da essilio.

*V. Della Thensa & Carpento & Vehiculo.*

THensa overo Thensæ sono porte talvolta per carpento & per vehiculo perche tutti suonano carri & sacri & privati. Sacri sono néu' uso di portar le imagini nelle pompe Circensi di coloro, che sono assunti

qvuntur, dictæ sunt carrucæ à carris, de qvibus loqvitur Martialis libro tertio:

*Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Carrucus itaq; vel carruca constabat duabus eminentioribus rotis, contecta rebus qvibusdam pretiosis, cum imaginibus loco columnularum, cum clathris per ambitum ante & à tergo, qvemadmodum cernuntur in nummis. Et tales qvoq; ferè sunt carri, qvi dicti thensæ, confecti in memoriam pompæ institutæ in honorem dedicationis, qva qvisqve relatus est in numerum Divorum, tractæ à mulis aut elephantis. Rheda dicitur à Rheduco, est in duo sedilia divisa. Dicunt centum rhedis aut vehiculis obviam esse Marco Tullio Ciceroni, marito suo, Romam redeunti ab exsilio.

*V. De Thensa, & Carpento, & Vehiculo.*

THensa vel thensæ sæpe ponuntur pro carpento vel vehiculo, qvia significant carros æqvè sacros & privatos. Sacri sunt, dum adhibentur ad portandas imagines pompæ Circensis eorum, qvi assumpti

sunt

assunti nella Dietà, & nell' uso di' andare à spasso in pompe; de qvali scrive Svetonio in Augusto, qvando egli dice: *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans thensis deduceret.* Servio dice che thensa è charro degli iddy cosi *thensam currum esse, quo Deorum portantur simulachra.* Cicerone nelle Verrine dice il medesimo: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis.* Thensa fu detta perche avanti lei la tela di lino tendevano, accioche colle mani non la potessero toccare gli ducitori, che si dicevano Armamaxi, come li chiama Tertulliano. Asconio Pediano dice: *Thensæ,* inqvit, *sunt sacra vehicula, pompa ordinum & officiorum.* Altri parlando dell' istessi carri, carpenti l' appellano; Talche thensa, carpento & vehiculo significa carro sacro & profano. Mà sacro vera mente si deve dire thensa da non potersi toccare, lo paravano d' uno tela.

sunt in classem Deorum, & dum adhibentur in pompam obambulationum, qvæ instituuntur ad oblectationem. De qvibus scribit Svetonius in Augusto: *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans thensis deduceret.* Servius ait, qvod thensa *currus sit, quo Deorum portantur simulachra.* Cicero in Verrina dicit idem: *Omnes Dii, qui vehiculis thensarum solennes cœtus ludorum initis.* Thensa fuit dicta, qvia ei linea tela prætendebatur, ne aurigæ manibus possent eam attingere, qvi dicti sunt Armamaxi, sicut eos appellat Tertullianus. Asconius Pedianus ait: *Thensæ sunt sacra vehicula, pompa ordinum & officiorum.* Alii loqventes de iisdem carris, eosdem appellant carpenta, atqve ita thensa, carpentum, vehiculum, significant currum sacrum & profanum. Sed verè oportet thensas appellare currus sacros, qvoniam attingere eos nefas, qvod tela impedire voluerunt.

*VI. Del curro Biroto, & Deipaneta, & Vehiculo.*

SOno nel medesimo ordine il carro detto currus, & birotum, i Greci biroton, che alcuni anco lo dicono vehiculo; Perche lo appellano dal nome composito del carro & delle due ruote, il qvale nome l' hanno aggiunto alla biga, & alla qvadriga, & à tutti i carri, che hanno le due ruote, tanto qvelli da far givochi, come qvelli fatti per andare con prestezza & agilita, come sono il plaustro, & il Deipaneta, porti tra lè figure delle celesti stelle erranti. Di due ruote fecero il carro della villa, che mala mente l' huomo qvando è suso, vi puote star in piede fermo, largo in vista, è sodo di mastino corpo, con le ruote grandi & grievi; Et qvando è carco di materie, su'l timone si pone in piè il suo gucdatore. Qvesto noi volgarmente chramiamo carro & è tirato da buoi il minore da cavalli, il maggiore da molti para di bufali, ò di molti para di buoi, ò di cavalli: Perche de' i carri alti è atto à portar pesi, è per l' altezza facile à rompersi per cau-

*VI. De curru Biroto, & Deipaneta, & Vehiculo.*

EJusdem ordinis sunt carri, dicti currus, & birotum. Græci vocant biroton, qvod nonnulli appellant vehiculum: Atq; ita vocant nomine composito ex carro, & duabus rotis, qvod nomen adjecerunt bigæ, qvadrigæ, & omnibus carris, qvi duas tantum habent rotas, sive ludorum sive agilis & citati cursus gratia facti fuerint, qvales sunt plaustrum & Deipaneta, inter cœlestes figuras errantium stellarum collocata. Duarum rotarum carros fecerunt in villis, qvia, cum qvisqve alias parum commodè in edito, ibi pedibus stare poterat. Erant autem paulò latiores, amploqve corpore, cum rotis magnis & crassis. Sed cum pondere essent onusti, ad temonem se in pedes erigebat auriga. Hoc genus nos vulgariter carros appellamus, tractos plurimum à bobus, sed si minutiores essent, ab eqvis, si admodum magni, à mulis bubalorum, boum, eqvorumqve paribus: Nam præ carris altis apti sunt gestandis oneribus, utpote qvi propter altitudinem

casu

cause sinistre. Chiamiamo caretta un carro simile di forma, mà più delicato & fatto alla grossolana, per l' uso della città, tirato da uno ò due cavalli. Mà gl' antichi i carri da portar pesi li fecero anco bassi con ruote solide senza radii con un grosso asso, ò le ruote à uso di barili; Perche erano atti à portaregran machine, & ne facevano non sola mente biroti, mà di dodici ruote; Il cui carro birote in Toscana si dice hoggidi Boroccio da i buoi che lo tirano. L' usavano gl' antichi il medesimo biroto nel recare, da una citta nell' altra delle vittovaglie & viene annumerato trà i vehiculi presso delle cose antiche.

*VII. Del Burdones & Vehiculo.*

CHiamarono ancora il vehiculo burdones, ch' è la sorte del carro biroton sopradetto, perche non è nelle cose civili mà nelle cose rusti, che per nõ essere atto à portar huomini, mà da portar cose in sacchi in faschi, & altre cose gravi, usato da qvei che recavano i legnami & cose simili; Usato anco tal volta nelle fabriche, come si trova nell' arta dell' architettura.

*VIII.*

casu aliqvo facilè rumpi solent. Carettam hodie formæ similis currum appellamus, sed minorem & rudius factum, cujus præcipuè usus est in urbibus, trahiturqve ab uno duobusve eqvis. Sed antiqvi fecerunt etiam perhumiles carros gestandis oneribus, rotis solidis, & absq; radiis, axe crassissimo, ad transferenda dolia ingentia, aut machinas, qvales faciebant non tantum duabus, sed etiam duodecim cum rotis. Hujus generis birotum vehiculũ hodie vocatur in Thuscia Boroccio, à bob⁹, qvib⁹ trahitur. Utebantur etiã antiqvi hujusmodi biroto in trãsferẽdo ab una urbe in aliã commeatu & annona, & accẽseri solet vehiculis ab antiqvitatis investigatorib.

*VII. De Burdonibus & Vehiculo.*

VEhiculum etiam burdonum appellatione interdum venit, qvod est idem carrorum genus, qvod supra biroton vocari diximus, qvorum usus non est in urbibus, sed ruri, qvoniam gestandis hominibus inidonei, & saccis fascibusq; transvehendis reperti, item lignis similibusqve rebus grandioribus. Usitati olim in fabricis, sicuti reperimus in architectonicis.

*VIII.*

*VIII. Del Camulon' vehiculum.*

CAmulon è detto per essere carro basso, una sorte di vehiculo da portare pesi, & cole, che hanno bunghezza & gravezza. Essa voce di camulo par che venga, dalla bassezza, come si dice l' herba, che non sorge in alto, Camula, che viene dal Greco. Della qval sorte di' carro usavano à portar gl' obelyschi, ò vogliamo dire aguglie di grandissimi è sterminatissimi pesi, come dice Ammiano Marcellino. Nell' obelisco del circo massimo portato dal vico di Gordiano dalla ripa del Tevere per la porte Ortiense, nel mezzo di esso Circo. Alcuni lo dicono ΚΑΜΟΥΛΟΣ, altri ΚΑΜΟΥΛΟΝ. I Latini Camulus, Camulum.

*IX. Del Cantherico Vehiculo.*

CAntherion & cantherícum è voce Greca, è genere di vehiculo, cioè carro, secondo ci mortra Seneca nel terzo dell' epistole: *Marcus Cato Censorius*, inqvit, *quem è Republica tam fuit nasci, quam Scipionem: Alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, cantherio vehebatur AEthiopico.* Qvesto era anco sorte di carro

*VIII. De Camulon vehiculo.*

CAmulon dictum est, qvod sit vehiculum humile, portandis oneribus, & rebus, qvæ longitudinem habent cum insigni pondere. Apparet camuli vocem ductam esse ab humilitate, sicut Græcis camula dicitur herba, qvæ non crescit in altum. Hoc carrorum genere usi sunt in transportandis obeliscis, & vastæ magnitudinis ponderisq; colossis, sicut dicit Ammianus Marcellinus de obelisco Circi Maximi, traducto à vico Gordii & ripa Tiberis per portam Ostiensem in Circi medium. Aliqvibus vocatur ΚΑΜΟΥΛΟΣ, aliis ΚΑΜΟΥΛΟΝ, Latinis qvoq; Camulus & Camulum.

*IX. De Cantherio vehiculo.*

CAntherion & cantherium vox est Græca, & genus vehiculi seu carri, ut monstrat Seneca libro tertio epistolarum. *Marcus Cato Censorius*, inqvit, *quem è Republica tam fuit nasci, quam Scipionem: Alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, cantherio vehebatur AEthiopico.* Hoc erat carri genus validum & ferratum,

ro forte & ferrato , & tenuto l' asso dalle teste con forti tenie di ferro , detto perciò canthus. Onde cantherium come ci accenna Qvintiliano & Persio nella qvinta Satyra, parlando da una si fatta machina di carro:

*Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno*
*Vertentem sese frustra sectabere canthum.*

Mortrano tutti qvei , che ne parlano, havere gvardie di ferro , come hoggidi facemo nel qvadriroto chiamato cocchio, portato prima in Italia dal primo Signor Hippolito , Cardinale di Ferrara, da Ungaria, che hanno per ogni verso ritegni di ferro , & nelle cime de gl' assi , per tener forti i barili delle ruote , & per la concatenatione del timone snodato dal coperto del cocchio , loqvale viene , firmato da forti coregie & fibule di ferro ; le ruote attorno all' arme coperte di ferro. Qvesti nostri cocchi sono di tre sorti ; Qvello ch'è piu largo, dicono caretta, qvel ch'è più picciolo,cocchio, qvel tirato da qvattro cavalli , chiuso attorno , il dicono carretto,

ratum , cujus munita erat absis cum radiorum capitibus valida ferri tænia,canthus dicta. Unde cantherium , sicut innuit Qvintilianus , & Persius Satyra qvinta, loqvens de qvadam machina curuli eo modo formata:

*Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno*
*Vertentem sese frustra sectabere canthum.*

Omnes, qvi currus istius meminerunt,ostendunt,præmunitum fuisse ferro, sicut & hodie currus qvadrirotus, qvem nos appellamus cocchio , pariter munitus est , qvali primum in Italia usus est Hippolitus , Cardinalis Ferrariensis , ex Hungaria , & sunt tales currus ab omni parte ferrati , utpote ad extremitates axium ferrei paxilli , ad modiolos rotæ continendos, & ad temonem vinciendum , qvi solutus est à pergula currus, qvæ validis loris & fibulis ei cohæret , tum qvoq; rotarum curvatura ferro est armata. Verum nostri hi currus trium sunt generum. Qvod latissimum est,vocamus carettã, qvod est paulò minus , cocchium, qvod trahitur ab eqvis qvatuor,undiqvaq; contectum, car-

to, che fanno ogni hora in viaggio qvasi otto miglia ; vi portano arme da difendere, & vi si puo andar dormendo. Il cocchio & la carretta l' usano per la città , di più sorti d' ornamenti, secondo le persone, che li vogliono docati & pieni di pretiosi intagli ; Hà tali coperte che la pioggia non li offende, eccetto il cocchero, che stà fuor del corpo coperto. Sono qvesti cocchi pericolosi molte volte , perche spaventati i cavalli , & i cocchieri abbandonate le redene , leqvali per sciocchezza le cascano dimano, ogni furone & spaventa resta superiore ; Nella qval cosa qvelli che sono dentro de cocchi non sene potendo ajutare, vanno in precipitio. Et sono tanto poco auvertiti, che se loro usessero qvel che gl' antichi usavano , di tener ligate alcune falsе retini in uno anello fosso nel carro , non li caderebbero cosi di mano, come qvelle li cadono. Et talvolta se il cocchiero havesse qvalche disgratia , qvei che sono dentro vi possono mettere la mano, & ajutare à firmare il furore ritenendo i cavalli per le retine dell' anello

retto, qvo horæ unius spacio iter conficitur octo milliarium, qvi co vehuntur, arma in sui defensionem ferre secum possunt, & commodè dormire. Cocchio & caretta utimur per urbes, diversimodè ornatis, pro possessorum conditione vel lubitu, deauratis, & pretiosa sculptura insignitis. Pergula pars currus ita contecta est, ut Cœli injurias à vectoribus arceat, excepto auriga, qvi exterius est locatus. Sunt cocchi illi sæpe periculosi, nam territis eqvis & laxatis ab auriga habenis, cui sæpe etiam per oscitantiam excidunt, fit, ut nullum absit furoris terrorisq; exemplum, nec vectoribus supersit , qvam ut præcipites ferantur. Qvo periculo possemus admoneri , ut imitaremur veterum prudentiam, qvi clam secundarias qvasdam habenas annulo insertas & currui alligatas habebant, qvæ, ut priores , ipsis è manibus excidere non possent. Namqve ita , si qvid secius eveniret aurigæ , vectores qvoqve secundariis istis habenis arreptis , in compescendo concitatorum eqvorum furore , ipsum poterant juvare , qvod factu erat facilè , cum haberent annulo

insertas

anello particolare tenuto à tal effetto, per far arrestare i cavalli.

*X. Del Combatus vehiculus & Comba.*

TRoviamo scritto nell' antichi marmi combatus vehiculus, perche qvesto deve venire da comba, che significa lectica, laqvale dovea essere accommodata colle ruote, come sono le lectiche & li cocchi coperti & chiuse dà ogni parte. La voce comba viene dalla lingva Sabina, che à noi significa lectica ò lecticula, secondo i Grammatici. Onde combatus vehiculus è tanto à dire, come carro allecticato da potervi andare coricato in asso; Servira per le pioggie & per li tempestosi tempi, come la lectica; Si vede nell' antichi monumenti con due ruote, & con qvatto, ove si mortrano fameglia andare in viaggi in villa.

*XI. Del Covinus vehiculus.*

COvinus ò pure covino, come lo vogliamo dire in nostra lingva è nome dì vehiculo, cioè carro usato da Britanni tirato senza auriga da piccioli cavalli, di cui Martiali nel libro duodecimo dice:

*O ju-*

*X. De Combato vehiculo & Comba.*

IN antiqvis marmoribus scriptum invenimus, qvod combatus sit vehiculum, qvæ vox deducta est à comba, qvod lecticam significat, qvam rotis instructam esse oportuit, sicut sunt lecticæ & cochi tecti clausiqve ab omni parte. Comba vox est lingvæ Sabinæ, qvæ nobis significat lecticam aut lecticulam, juxta Grammaticos. Unde combatus tantundem significat ac carrum lectica instructum, qvo qvis etiam cubans possit incedere. Usui erat Cœlo pluvio & procelloso, sicut lectica. Apparet in antiqvis monumentis & birota & qvadrirota, cum formantur heri cum tota familia egredi in villas.

*XI. De Covino vehiculo.*

COvinus aut covino, juxta terminationem lingvæ Italicæ, est nomen vehiculi aut currus Britannis usitati, tractum à minutis eqvis, sine auriga, de qvo Martialis libro duodecimo loqvitur:

*O jucunda, Covine, solitudo,*
*carruca magis esse dog; gratum.*

Sulpitio Gallo scrive che'l covino era camerato, & carro usato da Galli. Qvest d'unqve era simile al coperto del combato, che si poteva gvidare da piacevoli cavalli, del padrone istesso, di cui Lucano nell libro primo:

*Et docilis rector monstrati Belga covini.*

Siche qvesto anche nelle attioni belgiche si usava.

*XII. Currus vehiculus & Curritius.*

CUrrus d'onde deriva à noi la voce carro, è nome generale dì tutti qvei carri, ch'erano di volubili ruote agili à correre, loqval gl' antichi usavano nel' correre, & nelle cose belliche, cioè nella gverra, nel correre la porta, & nelle cose rustiche della villa, el all' uso di altre necessità. Che forse per cose della gverra usato, celo insegna Plutarcho, dicendo, che Cesare, Dictatore scorrena velle gverre civili sul curro per l' Italia, havendo sempre scio Marco Antonio; Da qvesto nesce il diminutivo di curricula, cioè di piocio lo carro;

*O jucunda, Covine, solitudo,*
*carruca magis esse dog; gratum.*

Sulpitius Gallus tradit, qvod covinus fuerit currus cameratus, Gallis in usu. Hujus itaqve operta pars similis erat combato, trahebaturqve ab eqvis, ipso Domino aurigante, de qvo Lucanus libro primo:

*Et docilis rector monstrati Belga covini.*

Hujus qvoqve usus erat in bellis.

*XII. Currus vehiculum, & Curritius.*

CUrrus, unde ad nos vox carri derivata, generale nomen omnium carrorum est, qvibus volubiles erant rotæ, atqve ad currendum agiles, qvibusq; usi sunt veteres in cursibus, & bellicis negotiis, in cursibus tabellariorum, in rebus rusticis, in villis, atqve aliis necessitatibus expediundis. Qvod usus ejus fuerit in bello, docet Plutarchus, dicens, qvod Cæsar Dictator in civilibus bellis curru per Italiam vectus sit, comitatus semper Marco Antonio. Hinc descendit diminutivum curricula, id est, currus minutus, qvi appellatur etiam curri-

ro ; & lo dicono curritius , & curriculus , & curricula femininamente ; per essere tirato dà cavalli, & fatto veloce, viene detto curro dal correre, perche molti le fecero per la cursione , in cui l' usavano. Era periculoso di cadere & farsi male con esso , come anco è accaduto ai di nostri nei cocchi, che in fiume talvolta & da un ponte sono i cavalli precipitati , & da una ripa , per difetto ò del cocchiere, ò della imperfettione delle strade. Onde presso gl' antichi auve niva il simile , & perciò Cicerone pro Rabirio dice : *Exiguum nobis vitæ curriculum Natura.* In maniera che currus vuole dire un carro , & curricula un picciolo carretto usati nella prestezza, con qvella si curtà, che si puote. Con qvesto tal carro Tiberio in porta usci d' Italia per andare à trovara Druso in punto della morte , come dice Plinio. Dal andare à casa assisi i Magistrati Romani sul carro , sono detti gl' Ædili curuli & le selle ò sedie curule portate nel curro.

curritius , & curriculus, & curricula, genere fœminino, qvoniam velociter trahatur ab eqvis , & ocyssimè currat , dicitur currus , à currendo scilicet, & qvia cursus causa multi currus fiebant. Periculosum erat olim , si curru subverso caderet qvis, & malo afficeretur, sicuti & nostratibus accidit in cocchis, qvoniam fit nonnunqvam, ut ex ponte in flumen præcipitentur eqvi , aut labantur per riparum abrupta, vel ob defectum aurigæ, vel vitium aliqvod viarum. Eveniebat antiqvis freqventer qvid hujusmodi, propterea Cicero dicit pro Rabirio: *Exiguum nobis vitæ curriculum Natura.* Itaqve currus est qvasi carrus, & curricula parvus currus, qvorum usus in festinatione, cum qvanta poterat, securitate. Hujusmodi vectus carro Tiberius exiit Italia , cum proposito visendi Drusum sub ipsum mortis ejus articulum , ut testatur Plinius. Qvod domum contenderent Romani Magistratus locati in currum , Ædiles curules dicti sunt, & sellæ curules, sedilia curribus imposita.

*XIII. Curro & Esseda.*

ESseda era come il carro detto curro presso de Romani, & presso di Britanni peculiarissimo, loqvale usavano nella gverra, come dice Cesare nei commentarii, il qvale Essedario chiama il soldato Britanno, perche combattevano sul esseda, & con il strepito di essi turbavano gl'ordine di Cesare. Tunne mentione dell' esseda Propertio nel libro secondo:

*Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Et Ovid. del medesimo:

*Rerumq; quamprimum rapientibus esseda mannis.*

Et Virgilio nel lib. 3. della Georgica:

*Belgica vel molli melius feret esseda collo.*

Per tanto dunq. Svetonio in Augusto usa: *Essedo panem & palma gustavimus*; Per essere con esseda recato le vitovaglie; Onde essedarii sono detti gli duttori delle cose nell esseda, il medesimo in Cajo Caligula: *Quum quondam die muneris essedario Porio, ob prosperam pugnam, servum suum manumittenti studiosius plausum esset.* Qvesto si vede sotto di combattonti

*XIII. Currus & Esseda.*

ESseda erat qvidam carrus particularis apud Romanos & Britannos, qvo utebantur in bellis, ut dicit Cæsar in Commentariis, qvi Essedarium vocat militem Britannum, qvoniam essedis insidens pugnabat, & essedorum strepitu Cæsaris ordines turbabat. Essedæ meminit Propertius libro secundo:

*Esseda cælatis siste Britanna jugis.*

Et Ovidius de eodem:

*Rerumq; quamprimum rapientibus esseda mannis.*

Et Virgilius lib. III. Georgicorum:

*Belgica vel molli melius feret esseda collo.*

In hunc sensum utitur Svetonius in Augusto: *Essedo panem & palma gustavimus*; Qvod esseda allatus esset commeatus. Unde essedarii dicti sunt ductores essedarum. Idem occurrit in Cajo Caligula: *Quum quondam die muneris essedario Porio, ob prosperam pugnam, servum suum manumittenti studiosius plausum esset.* Unde videtur hoc genus militare esse cum rotis duabus.

ti essere carro di due ruote. Il maestro dell' esseda si dice essedario, come curruriario, & vehiculariario, & carpentariario.

duabus. Ductor essedæ appellabatur essedarius, sicut curruriarius, vehiculariarius, & carpentarius.

*XIV. Di Arcera, Arcirna, & Plaustrum.*

ARcirna è nome di carro che altrimente si dice plaustrum, atto a portare huomini loqvale alcuni lo chiamano arceram, & lo operavano nelle cose rustiche, & alcuni lo cuoprivano, & era commodo carro per li vecchi & per li giovani, secondo scrive Phavorino presso di Aulo Gellio, ovè dice non essere atto à qvelli che sono infermi, perche è invalido all' egritudine per lo scuotere. Si vede nell' antiche opere essere tirato da buoi ò da cavalli, si vede con due ruote, con le sponde asserate ò fatte à cancelli. Fù usata nelle feste di Cerere & di Saturno, di Baccho dalla moltitudine rustica; come plaustro degl' iddy dell agricoltura. Onde nelle scolture antiche sono in tali offici ornati di festoni, di frutti atterno, alla qvadratura cotti buoi coronati.

*XIV. De Arcera, Arcirna, & Plaustro.*

ARcirna est nomen carri, alias plaustrum dicti, hominibus gestandis aptum, qvod alii vocant arceram, qvo utebantur in rebus rusticis, contegebatur à nonnullis, commodumqve erat senibus & juvenibus, sicut scribit Phavorinus apud Aulum Gellium, ubi dicit, non esse aptum infirmis, qvoniam est incommodum ægris ob concussionem. Conspicitur in antiqvis operibus trahi à bubus aut eqvis, videturqve fuisse cum rotis duabus, & pergula obsepta, cancellisqve clausa. Usus ejus fuit in festo Cereris, Saturni, & Bacchi, apud plebem rusticam, tanqvam esset plaustrum Deorum ruralium. Unde in sculpturis antiqvis reperiuntur ornati corollis, & fasciculis fructuum, circa collum boum coronatorum.



XV.

*XV. Basterna & Vehiculo.*

BAsterna è sorte di carruca, che qvasi sempre si prende per vehiculo cioè carro atto à portar in viaggio strame & à comporto di stramenti contesti il suo corpo, tirato da due cavalli & da alcuni altri animali, è atto anco à condurre le donne, onde Ammiano Marcellino dice: *Quo comitatu*, inqvit, *matronæ complures cooperti capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt.* Et qvesto parimente si vede nell' antichi monumenti con due ruote, con donne sopra, che portano di frutti, degl' vecellami. Sono altri carri con qvattro ruote, & coperti & scoperti pure da portare stramenti, & cose nec sacchi iqvali legavano corrichi con le corde torchinate & ristretti. Altri simili à qvelli che hoggidi usamo, con qvelle due scala congiunte & lunghi con le ruote, come sono, qvelle di cocchi ferrate, da portare materia di strame, ò da fabricare, & altre cose necessarie, ò alla casa, ò alla possessione, che sono tutti carri abbastardati fatti ad ogni uso da condurre vettovaglie.

*XVI.*

*XV. Basterna & Vehiculum.*

BAsterna genus est carrucæ, qvod semper sumitur pro vehiculo, id est, carro apto portandis per vias straminibus, contextumqve habet corpus complicatis straminibus, trahebaturqve ab eqvis duobus, aliisve jumentis, commodum qvoq; erat portandis fœminis, unde Ammianus Marcell. *Quo comitatu*, inqvit, *matronæ complures cooperti capitibus & basternis per latera civitatis cuncta discurrunt.* Hoc qvoqve pariter videri potest in monumentis priscis cum duabus rotis, superimpositis fœminis gestantibus fructus & fasces avicularum. Sunt & alii currus qvadriroti, & contecti, & aperti, qvibus portarunt stramenta, aliasqve res saccis inclusas, qvales colligabant loris & funibus contortis. Alii qvoqve currus erant similes his, qvibus hodie utimur, qvæ duabus scalis longis connectuntur, rotis ferro munitis, ut in cocchis, qvorum usus in portando stramine, aut materia struendis ædibus apta, aut aliis rebus necessariis aut domui, aut rei familiari, qvi omnes sunt carri non genuini facti ad usum congerendæ annonæ.

*XVI.*

*XVI. Benna & Vehiculo.*

BEnna ancora è porta sotto nome di vehiculo ò di carruculo ; è vocabolo Gallico ; come dicono tutti i Scrittori, che fanno mentione delle cose Galliche , ove qvesti , i qvali segono in esso carro sono appellati combennones , cioè sedenti in benna. I Romani havevano , ancora un carro con qvattro ruote, & con due, uve sedevano & andavano & la moglie , & il marito co' figlioli in villa. Qvesto il corpo lango riqvadrato , & qvalche volte in una testa sola uno ambracolo, & talvolta ch'è per lo più , come si veggono , senza ombrocolo.

XVI. *Benna & Vehiculum.*

PRæterea benna collocata est inter vehiculorum seu carruculorum nomina , estqve Gallicum vocabulum, ut testantur Scriptores omnes, qvi Gallicarum rerum usqvam mentionem fecere, vocanturqve illi, qvi simul carro tali vehuntur, combennones, hoc est, una sedentes in benna. Romani etiam habebant cum qvatuor duobusve rotis, qvo simul vehebantur, uxor, maritus , liberi , ituri in villas. Corpus ejus currus forma fuit qvadratè oblonga, atqve interdum umbella unius solum capiti imminebat, plerumqve, ut videmus, sine umbraculo fuit.

XVII. *Biga carro overo curro biuga.*

BIga secundo i Scrittori Latini è il medesimo ch'è currus , per esser atto à corrare velocissimamente & tirato da due cavalli , con due ruote , detta Biga à biuga , cioè congiunta & tirata da due cavalli ò cavalle , come usavano nei giavehi Circensi i Lydi. I Romani tolto dall' Hetruria , & come usavano gl' altri popoli della Grecia , loqvale secondo,

XVII. *Biga carrus, seu currus bijugis.*

BIga juxta Scriptores Latinos idem est, qvod currus, qvia velocissimè currebat , tractus à duobus eqvis, duabusqve rotis. Biga dicta à bijuga, hoc est, conjugata, qvod à duobus eqvis vel eqvabus tracta fuerit, sicut usitatum erat Lydis , in ludis Circensibus. Romani ab Hetruscis id genus currus mutuati sunt , sicut reliqvi populi à Græcis, sed omnium primo re-

do, dice Plinio, fù prima tronatodas li Phrygii. Fanne mentione Svetonio delle biga in Tiberio & Augusto ; & Cassiodoro nelli gviochi Circensi & done à dipinta la biga nel danaro qvelle si chiama bigato come à qvesta che usavano i Romani.

pertum est à Phrygibus, ut Plinius testatur. Mentionem bigæ facit Svetonius in Tiberio & Augusto, & Cassiodorus in ludis Circensibus. Et nummus, cui impressa est figura bigæ, vocatur bigatus, qvi & in usu fuit apud Romanos.

XVIII. *Della Triga carro.*

TRiga ancora era il medesimo carro ,. ch' era la biga , detta à triuga , cioè tirata con la congiuntione di tre cavalli al giugo, come la nominano gl' antiche memorie scritte in marmo delg' agitatori delle fattioni Circensi , secondo havemo detto nel libro di Givochi. Laqval triga si vede anco nel danaro in qvesto modo, pure con la vittoria & con altri, che la gvidano , come potete veder trà gl' altri danari mostrati in qvest opera.

XVIII. *De Triga dicto carro.*

POrro triga erat carrus similis, ut biga, dictus qvasi trijugis, hoc est, tractus ab eqvis tribus ad jugum, sicut nominatur in antiqvis marmoribus agitatorum factionis Circensis, ut diximus in libro de Ludis. Qvalis triga videtur etiam in nummo hunc in modum, ut sit cum Victoria, & cum aliis ipsam ducentibus, sicut qvisqve potest cernere in nummis hoc volumine exhibitis.

XIX. *Della Triga & Quadriga, Pilento, & curro & quadriga.*

TRiga, biga & pilentum trovo esser una medesima cosa, qvanto al corpo; Carro con due ruote velocissimo , che si puo dire biroto , & è leggiero & il simile è la qvadriga. Fù inventata dà Erichtonio, figliolo

XIX. *De Triga, Quadriga, Pilento & quadriga curru.*

TRigam, bigam & pilentum reperio esse idem , qvoad corpus. Carrus cum rotis duabus velocissimus & levis est qvadriga. Inventa fuit ab Erichtonio , Minervæ filio, qvi currus , juxta traditionem

lo di Minerva , il qvale carro per l' autorita di Poëti reluce tra le ſtelle preſſo di Arato , di Proculo , di Hygino & di Avieno. Et lo fingono tirato de qvattro cavalli , onde ne viene appellato qvadriga , ſi come lo veggiamo nel danaro detto da eſſa qvadrigato, con qvattro cavalli del pari congiunti. Della inventione di eſſo cano fanno memoria Ovidio , Pauſania & Aurelio Caſſiodoro & Plinio oltro ac ſubdetti , che ſcrivono d' Aſtronomia. Qveſto carro nelli danari qvadrigati ſi pote veder noll' antiche opere di Apolline , eſſer carro di Apolline , di Marte , di Bellona , di Minerva , di Jove & della Vittoria. Si dicono in ſingulare il carro con due cavalli & con qvattro , con cinqve , con ſei in forma feminina biga , triga, qvadriga, qvinqvejuga & exjuga. Onde i danari in ſingolare bigato & qvadrigato , per l' ordinaria forma victoriato , per eſſervi la imagine della victoria. Dalla triga dunqve ſi dice trigario certamine à abbatimento. Della qvadriga coſi ne dice Aulo Gellio : *Quadrigas Cæſar etiamſi*

nem Poëtarum , relucet inter ſtellas apud Aratum , Proculum , Hyginum & Avienum. Et fingunt tractum ab eqvis qvatuor , unde dicitur qvadriga , ſicut conſpici poteſt in nummo , qvi vocatur qvadrigatus , cum eqvis qvatuor , pariter conjunctis. De inventione carri hujus mentionem fecerunt Ovidius , Pauſanias & Aurelius Caſſiodorus , & Plinius præter ſupra dictos Scriptores Aſtronomiæ. Currus hic in nummis qvadrigatis videri poterit & in operibus antiqvis , in qvibus res Apollinis exprimuntur , fuiſſeqve dicitur currus Apollinis , Martis , Bellonæ , Minervæ , Jovis, & Victoriæ. Numero ſingulari dicitur carrus cum eqvis duobus, qvatuor, qvinqve, ſex, formaqve fœminina , biga , triga , qvadriga , qvinqvejuga, & exjuga. Unde nummi qvoqve tales in numero ſingulari bigatus, qvadrigatus nuncupati, & victoriatus qvoq; cum imagine Victoriæ. A triga qvoqve dictum venit trigarium certamen aut prælium. De qvadriga ita loqvitur Aulus Gellius : *Quadrigas Cæſar etiamſi currus u-*

*si currus unus equorum quatuor victorum agmen unum sit , plurium tamen semper numero dicendas putat.* Veggonsi tali carri esser aperti di dietro , per montrarui , & d' avanti chiusi à parapetto , & l' auriga chel' gvida , cioè l' agitatore , è cinto delle retine con che frena il' corpo coi cavalli oltre a qvelle retine che tiene in mano da far girare i cavalli & firmare. Cosi sone le qvinqvejuges & le sexjuges , & septejuges & octojuges & il nonajuges in fino al numero di dieci cavalli vi conjungsero nei givochi Olympici come si legge nelle cose di Nerone Imperatore , che volse montar , sopra un si fatto carro.

*XX. Del Veha, Carro rustico.*

VEha è il carro detto anco plaustrum , detto à vehitur , cosa nota , simile all' altri sopradetti da andar presto & lodicono vehes , & sono ancora della sorte da portar anco fieno , qvando era fatto largo, etsi dice vehiculum & vehem. La tiravano due cavalli & havea due ruote , come si vede in alcuni monumenti scolpito, & fatta mentione nec testamenti delle cose rustiche della villa.

XXI.

*nus equorum quatuor victorum agmen unum sit , plurium tamen semper numero dicendas putat.* Conspiciuntur tales currus esse retro aperti, ut ea parte possent conscendi , ante verò clausi , ad munitionem, auriga, ductor, vel agitator , cinctus est habenis, qvibus corpus suum coërcet, præter alteras, qvas tenet manibus ad coërcendos eqvos & gyrandos , regirandos , sistendosqve. Atq; tales sunt qvinqvejuges & sexjuges, & septejuges, & octojuges, & nonajuges usq; ad eqvos decem, qvos junxerunt in ludis Olympicis, ut legimus de Nerone, qvi talem currum voluit conscendere.

*XX De Veha, Carro rustico.*

VEha est carrus , plaustrum qvoq; appellatus, ita dicta, qvod vehat, similis reliqvis superius expositis, qvibus usi sunt in cursu. Dicitur & veh es, ejus generis fuit , qvo portari solebat fœnum, præsertim, si factum esset amplum. Dicitur qvoq; vehiculũ & veh es. Trahebant id 2. eqvi, & habebat rotas 2. sicut sculptũ in qvibusdã monumẽtis cernitur, fitq; ejus mẽtio in testamẽtis, & supellectili rustica villarũ.

XXI.

*XXI. Del Octophoro vehiculo & Lectica.*

OCtophoron overo octophorum era un carro con otto ruote, onde octophorario si diceva colui, che con esse gvidava le sue merci. Qvesto haveva qvatro ruote per banda loqvale presso de Romani solo Cajo Caligula lo usò, come era la nave Ptolemaide, che solo Ptolomeo la prima volta che fu fatta, la navigò & haveva qvattro prore, & qvattro pappe. Andana per ogni vento, senza giar più una parte, che un altra, per tutti i lati havea la sua prora. Cosi qvesto vehiculo Cajano octophoro haveva tante commoditá dentro, che per tutto potena stare & vedere nell andare. Di qvesto carro parta Svetonio nelle cose di esso Cajo, & haveva la lettica portala da otto servi, onde ottophora la diceevano. Era portata su le spalle della qvale scrine Martiale, qvando dice:

*Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.*
*Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.*

Havevano ancora la lettica exa-

*XXI. De Octophoro vehiculo, & Lectica.*

OCtophoron vel octophorum erat currus cum rotis octo, unde octophorarius dicebatur, qvi eo qvopiam merces suas conducebat. A qvovis latere habebat rotas qvatuor, qvali apud Romanos solus usus est Cajus Caligula. Huic similis erat navis appellata Ptolemais, qva solus Ptolomæus primum usus erat navigando, postqvam esset facta, & habebat proras qvatuor, & puppes totidem. Ad omnem ventum progrediebatur, non gyrans aut inflectens cursum in unam partem, qvam alteram, ubiqve proram habens. Atqve ita hoc vehiculum Cajanum octophorum eas habebat commoditates, ut vector ubiq; potuerit stare, & in qvamlibet spectare partem. De hoc loqvitur Svetonius in rebus Caji, habebatq; lecticam gestatam à servis octo, unde dicta fuit octophora. Gestata fuit humeris, ut scribit Martialis:

*Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus.*
*Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.*

Habuerunt qvoqve lecticam e-

xaphoro, portata da sei, di cui il medesimo Martiale nel secondo libro ne parla:

*Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.*

Et Juvenale della medesima:

-- -- *Cum jam sexta cervice feratur*

*Hinc atque inde patens.* -- --

Fù la lectica multo usata dalle donne, & dagl' huomini presso gl' antichi, perche difende dalla polvere, dal Sole & dalla pioggia, & dalla tempestà, & dal freddo, capace & alta à starvi in ogni forma. Erano da clientuli & da muli portale secondo erano capaci di due ò dì più persone. Et havevano lectiche portate la due servi molto leggiere le qvali s' usavano per la città, come c' insegna Svetonio parlando di Marone dicendo: *Martis æde lectica per publicum simul vectus est; Ei succollabant deni duodenique servi, quibus longo in itinere vicarium in laborem alii succedebant, conficiebanturque eo vectationis modo & longa simul & inquieta, &, quam libuisset, accelerata itinera.* Seneca ancora dice: *Non facit te beatum turba servorum lecticam tuam per itinera urba-*

xaphoram, à sex bajulis portatam, de qva idem Martialis libro secundo:

*Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.*

Et Juvenalis de eadem:

-- -- *Cum jam sexta cervice feratur*

*Hinc atque inde patens.* -- --

Lectica plurimum usæ fuerunt matronæ, etiam viri, qvoniam arcet pulverem, Solem, pluviam, tempestatem, frigus, & capax est atqve alta, ut pro lubitu qvis in ea posset habere. A clientibus aut mulis portabatur pro magnitudine sua, modò duobus, modò pluribus. Habebant etiam lecticas perleves, à duobus servis portatas, qvalium per urbem erat usus, sicut id nos docet Svetonius de Marone loqvens: *Martis æde lectica per publicum simul vectus est; Ei succollabant deni duodenique servi, quibus longo in itinere vicarium in laborem alii succedebant, conficiebanturque eo vectationis modo & longa simul & inquieta, &, quam libuisset, accelerata itinera.* Seneca porro dicit: *Non facit te beatum turba servorum lecticam tuam per itinera urbana aut pere-*

*urbana aut peregrina portantium.* Plutarcho nella vita di Cicerone, qvando esse misero fuggiva la persequtione di triumviri, audava in lectica portato da servi, la cui clientela non potè tanto correre che non veniſſe aggiunto & elgi porta la testa fuori della lectica, & gli fù spiccata la testa & porcia la mano dritta, che havea scritto contra Marco Antonio. On dunqve la lettica è per la città & fuor di essa s' usava con li clienti portata. Di un tal uso parla ancora Juvenale, qvando dice:

*Namque facit somnum clausa lectica fenestra.*

Dalla lectica dunqve viene il diminutivo lecticula laqvale fu usata da Augusto nelle cose di gverra, onde Svetonio in Augusto dice: *Ocreana in lecticula elucubratoriam recipiebat.* Usolla ancora Cesare lavorata di avorio come anco la camera portatile, laqvale uso sendo ferito in gverra Alexandro Magno secondo scriva Q. Curtio. Si diceva colui che la gvidava, lecticario come dice Svetonio in Vespasiano, che solevo andare in lectica spesso a Cutilia, sua

*peregrina portantium.* Plutarchus in vita Ciceronis: Cum ipse miser fugeret persecutionem triumvirorum, lectica abiit, portatus à servis, sed non ita currendo properare poterant hi clientuli, ut fugientem non assequerentur; Protensum itaq; extra lecticam caput ei præscinditur, & post manus dextra, qva adversus Marcum Antonium scripserat. Itaqve lecticæ usus erat & in urbe, & extra eam, gestabaturqve à clientibus. De usu talium loqvitur etiam Juvenalis, qvando dicit:

*Namque facit somnum clausa lectica fenestra.*

A lectica deducitur diminutivum lecticula, qva usus est in bellis Augustus, unde Svetonius ait in Augusto: *Ocreana in lecticula elucubratoriam recipiebat.* Usus est ea etiam Cæsar, sed ex ebore, ut & camera portatili, qvali vulneratus in acie usus est Alexander Magnus, ut scribit Q. Curtius. Qvi lecticam ducebat, vocabatur lecticarius, ut testatur Svetonius in Vespasiano, qvi freqventer solebat lectica deferri in villam suam Cutiliam,

sed

ſua villa, portata da muli, per eſſer qvella qvaranta miglia discorta da Roma ; Et vi andava per fuggire le gravezze dell' udienze. Onde colui il qvale gvidana la lettica per danari fece fermare i muli, fingendo dì acconciar un ferro alpiede del mulo diede luogo & tempo à colui, che li havea data la mancia, di parlare all' impendore con una ſupplica: Sendo fatta le gratia, Veſpaſiano di mandato il letticario diſſe; Dammi la parle mia di qvello che hai havuto de colui. Ora dunqve la lettica fù uſata nelle militari eſpeditioni preſſo gl' antichi, come il vehícula, il carro detto combato, come molti altri carri ſudetti. Havevano anco la Bara, con che portavano coſe ad offerir agl'iddii grà uſata da Romulo, nell' offerire le ſpolie opime del Rè Acrone à Gione Feretrio, & come fece Coſſo al medeſimo iddio ; Galba alla Fortuna Primigenia ; Tiberio alla Fortuna Eqveſtre & Pertinace alla Fortuna Preneſtina. Fù anco chiamata pherculo, ch' era barela portata in ſpalle come una ſedia.

ſed à mulis, qvoniam qvadraginta milliarium intervallo abeſſet Roma. Eo ſe ſubducebat, ut ſe liberaret ſalutantium officiis. Hinc, qvi lecticam ejus deferebat, ſollicitatoris cujusdam donis corruptus, cum mulis retentis fingeret ſe aptaturam ſoleam ferream pedi unius ex mulis, tempus dabat ſupplici ad porrigendum Imperatori libellum. Audito eo benignè, vocatoqve lecticario, dixit Veſpaſianus: Redde mihi partem munuſculi, qvod ab hoc accepiſti. Liqvet præterea lectica uſos veteres fuiſſe in bellis & expeditionibus, ſicut uſi ſunt vehiculo, & carro, qvi dicebatur combatus, & multis aliis ſupra enumeratis carris. Habebant præterea Baram, qva utebantur, laturi Diis ſuis munera, uſurpatam olim à Romulo, cum ferret Feretrio Jovi opima ſpolia Regis Acronis : Eadem eidem Deo munera ſua tulit Coſſus, & Galba Fortunæ Primigeniæ, Tiberius Fortunæ Eqveſtri, Pertinax Fortunæ Præneſtinæ. Vocabatur & ferculum, qvod erat barela humeris geſtata, ſicut ſella.

XXII.

*XXII. Del Carro, detto Petorito.*

PEtoritum è Gallica voce secondo il Grammatico di cui paria Gellio & lo dice genere del vehiculo con qvattro ruote, duttile, loqvale per che Plinio lo metta col' carro essеda, qvando dice nel libro 34. *Cœpere deinde & esseda & vehicula & petorita exornare.* Horat. Flacco nel 1. de Sermoni dice:

*-- -- -- -- Atq; caballi*
*Pascendi, ducenda petorita, nunc mihi curto*
*Ire licet mulo. -- -- --*

Talche qvesto era carro d'andare per tutto.

*XXIII. Del plaustro vehiculo, di Marte detto plostro.*

PLaustrum è come havemo detto di sopra nel primo luogo carro dagl' iddii: Ma nel vero fù usato anco per combattere nella gverra, da' i Rè & gran Signori ove l' auriga gli sedeva d'avanti al parapetto di esso, & dentro stava il combattente. Fù, secondo alcum, chiama to prima plostrum, onde Horatio diminutivamente disse, plostellum, nel libro secondo di sermoni:

*AEdificare casas, plostello adjungere mures.*

Era

*XXII. De Carro, Petoritum vocato.*

PEtoritum est vox Gallica, juxta Grammaticum, de qvo loqvitur Gellius, & dicit, genus vehiculi fuisse cum rotis qvatuor, ductile, qvod Plinius videtur annumerare carro, essеda dicto, cum ait lib. 34. *Cœpere deinde & esseda & vehicula & petorita exornare.* Horatius Flaccus in primo Sermonum dicit:

*-- -- -- -- Atq; caballi*
*Pascendi, ducenda petorita, nunc mihi curto*
*Ire licet mulo. -- -- --*

Fuit itaq; hoc carrum, qvo uti licuit ubiqve.

*XXIII. De plaustro, Martis vehiculo, dicto plostrum.*

PLaustrum est, qvemadmodum supra diximus, currus Deorum, sed, verè loqvendo, usus ejus erat in conflictibus bellicis Regum & magnorum virorum, in cujus parte primore sedet auriga, intra ipsum verò corpus, depugnans. Juxta nonnullos primum dictum est plostrum, unde Horatius per diminutionem dixit plostellum, libro secundo sermonum:

*AEdificare casas, plostello adjungere mures.*

Era il plaustro aperto di dietro, & d' avanti intero serrato con due ruote ; Et di un altra sorte che sono qvei carri che hanno il corpo qvadrato & adornato di diverse esse per cuoprimento ; è simile à qvelli che non hanno copertura, & si sedeva in cima alla scoperta. Dopò qvesta sorte di plaustro dicono che fù trovato il petorito mà qvesto come dice Varrone nel lib. 4. de lingva Latina, all' eta sua fù portato à Roma dì Hispanga. Del medesimo pilento fà mentione Lattantio, come anche Plauto in Epodon. il qvale carro usavavo i Romani nel andare fuori della città, come ci mortra Cicerone nella morte di Clodio, che fù uccisо in una taberna, fuggendo fuor del plaustro, oltre al sadello della buona Dea s' ascose sotto una scala, ove Milone il trafisse. Del plaustro ancora fà mentione Ovidio nel secondo delle Metamorphose, qvando dice:

*Quamvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.*

Et Virgilio nel prima della Georgica monstra il medesimo:

*Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.* Plau-

Plaustrum apertum erat retrò, ante verò clausum, cum duabus rotis. Aliud qvoqve plaustri genus est, qvo pertinent illi carri, qvi constant corpore qvadrato, adornatum rebus diversis illud cooperientibus. Aliud qvoqve his simile est, non contectum, in cujus fastigio sedebatur sub dio. Post hoc genus plaustri dicunt petorritum fuisse repertum, qvod, ut tradit Varro lib. IV. de Lingva Latina, suo tempore ab Hispanis Romani sunt mutuati. De eodem pilento mentionem facit Lactantius, item Plautus in Epodon. qvali carro utebantur Romani exituri urbe, ut monstrat Cicero de morte Clodii, qvi occisus fuit in taberna qvadam, surripiens se è plaustro, confugiensqve ad sacellum bonæ Deæ, ubi subter scalas abditum transfixit Milo. De plaustro etiam loqvitur Ovidius libro secundo Metamorphoseon, qvando ita dicit:

*Quamvis tardus eras, & te tua plaustra tenebant.*

Et Virgilius Georgicorum primo idem ostendit:

*Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.* Per

Plauſtrum nel vero ſ' intende due imagini di carri porti tra le ſydera, che ſi compongono di ſtelle nell' Aſtronomia finti tirati da tre cavalli & da qvattro, & li fanno di due duote gl' antichi. Ma Ovidio ancora lui non hà laſciata la voce plauſtrum, qvando coſi parca nella Metamorphoſe:

*Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.*

Et qveſte forte di celeſte carro haveva Lajo Rè, qvando audava fuor di Thebe, citta di Beotia, qvando incontiò OEdipo, ſuo figliolo, non conoſciunto per padre, da qvello ucciſo. Onde Seneca Poëta in OEdipode: *Quasque disjectat vertice ſummo ſydus Arcadicum, geminumq; plauſtrum.* Talche non ſolo è carro degl' iddii & nelle ſtelle compoſto, mà anco è degli Rè, come ancora delle donne, cioè matrone, perche è ſimile, ò pure il medeſimo ch' è carpento. Onde Livio nel qvinto libro ab urbe condita dice: *Honoremque matronis ob eam munificentiam habitum, ut plauſtro ad ſacra ludosque, carpentis feſto profeſtoque traherentur.* Et il medeſimo

Per plauſtrum propriè intelliguntur duæ carrorum imagines inter ſydera collocatæ, compoſitæ ex ſtellis in Aſtronomia, finguntqve trahi à tribus eqvis, & qvatuor, faciuntqve cum rotis duabus antiqvi. Nec Ovidius ipſe omiſit vocem plauſtri hoc ſenſu, cum dixit in Metamorphoſi:

*Flexerat obliquo plauſtrum temone Bootes.*

Et ea ſpecie currus cœleſtis uſus eſt Rex Lajus, cum, exiens Thebis Bœotiis, occurreret filio OEdipo, non notum ibi patrem occidenti. Unde Seneca Poëta in OEdipo: *Quasque disjectat vertice ſummo ſydus Arcadicum, geminumque plauſtrum.* Ita, ut plauſtrum non tantum ſit carrum Deorum, & compoſitum ex ſtellis, ſed & Regum, imò qvoqve illuſtrium fœminarum, qvoniam aut perſimile, aut prorſus idem eſt cum carpento. Unde Livius libro qvinto ab urbe condita dicit: *Honoremque matronis ob eam munificentiam habitum, ut plauſtro ad ſacra ludosque, carpentis feſto profeſtoque traherentur.* Idemqve eſt pilentum ſacris

mo è il pilento uſato nolle ſacre ſolennità. Qveſta ſpetie dunus di carpento & di pilento era un vehiculo, che ſi pigliano l' uno per l' altro, & li Greci lo dicono M E T E' A P O N; come anco 'O X H M A, & ſono di due ruote, come ſi rede nella memoria della vehiculatione della gabilla; Che tolſe via di carri il buon Nerva Imperadore: Perche facendoſi mentione preſſo di Scrittori in vari nomi dicono gl' iſteſſi carri da portare le merci nella città. Accada al carro, carpento & pilento, che l' uno per l' altro ſi piglia, come ameiene alla cythera & alla lyra, che ambedue havevano ſimilitudine, & l' una cavata dall' altra, & molle fiate dicono l' uno inſtromento per l' altro, ſe bene l' una è con la teſtugine & l' altra non, ambedue ſi ſuo navano ad un modo. Coſi etiaudio i Greci pigliano Progne per Philomela, & ogni volta che ſi dice Progne, ſ' intende per la ſorella Philomela. Coſi dicendo Philomela, ſ' intende per Progne, per eſſer ambedue nate di un padre, & cangiate in due picciolennibusq; uſitatum. Hæc itaqve carpenti & pilenti ſpecies erat vehiculum, promiſcuè idem ſignificans, & Græci id appellant M E T E A P O N, itemqve OXHMA, cumqve rotis eſt duabus, ut videre licet in commemoratione vehiculationis vectigalibus obnoxiæ, qvæ, ne à carris mercium exigerentur, ſuſtulit bonus Nerva. Nam cum apud Scriptores mentio fit mercium carris advectarum in urbem, variis nominibus rem deſignant eandem. Ita fit, ut carrus, carpentum, pilentum, unum pro altero accipiantur, plane ſicut cythara & lyra, qvoniam una alteri ſimilis, & una deſumpta eſt ab altera, indifferenter pro eodem inſtrumento muſico capiuntur, qvamvis unum conſtet teſtudine, alterum verò non, & utrumqve ſimiliter ſonet. Ita qvoqve Græci Prognen accipiunt pro Philomela, & qvando de Progne, intelligunt ſororem ejus Philomelam. E diverſo nominata Philomela, intelligunt Prognen, qvoniam uterqve eodem genita parente, & ambæ converſæ ſunt in duas avicu-

cioli vecalletti & cantarivi & primi all' accenti amorosi mossi nella prima vera , nel spirar di Zephyro annuntia la novella stagione , & l' uno prattica nelle case della citta , & nell' antri ch' è la roudine ; l' altro per le amene valli & folte selve , ch' è il lusignolo. Et qvantunqve siano dissimiglievoli qvanto vi colori , & non sò che poco della forma , qvalunqve di loro si nomina l' un nome si piglia per l' altro. Si dice Progne al luscinio & Philomela alla rondinè ; perche non si sà , qvale i Poëti pigliani per l' uno ò per le altro vecello , chiamati da qvelle misere sorelle , le qvale segvitate da Tereo si precipitarono della cima , della casa , & s' acqvistarono il nome delg' uccelli , come cosa immortale. Cosi dunqve i Poëti , qvando dicono vehicolo , intendono plaustro, & qvando dicono curro il medesimo carro. Così parimente pilento & carpento & vehicolo , s' intende l' uno per l' altro tutti usati dalle donne, nell' andare à spasso ò à sacrificare. Onde Horatio Flacco , nel' libro secondo dell' episto-

viculas sonoras, & cantibus deditas amatoriis præcipuè , primo Vere spirantibus leniter zephyris novum anni tempus denunciant. Una degit sub tectis urbium & specubus , hirundo scilicet , altera in amœnis vallibus & densis sylvis, scilicet luscinia , & qvantumcunqve sunt dissimiles , qvod ad colores & formam corporis, utram tamen earum nomines, unius nomine sæpe intelligetur altera. Ita Prognes nomen datur luscinіæ , & Philomelæ hirundini , nam nescitur , utrum non pro una aut altera avicularum istarum sumant Poëtæ , ita promiscuè vocitatæ miseræ hæ sorores , qvæ persequente Tereo è domus fastigio se præcipitarunt , conversæ in aves istas , qvarum gestant nomina , ut in argumentum immortalitatis. Ita Poëtæ , cum dicunt vehiculum , intelligunt plaustrum, & qvando nominant currum, idem eis est ac carrus. Pariter qvoqve pilentum , carpentum, & vehiculum, accipere unum pro altero potes, qvia omnia usurpata matronis ad deambulationes aut sacrificia. Unde Horatius Flaccus secundo e-

pistole cel' insigna. Qvest era di corpo, un poco lunghetto, come un navigio; & la voce pilentum senza dubbio è barbara, perche fu trovato in Hispagna, come habiamo detto, & i Galli lo, chiamano petoritum, secondo che scrive Varrone di Lingva Latina, in cui le donne assise fù i pulvini, ò vogliamo dire, cuscini, si libravano & contropesavano del carro che portavano ch'era di qvelle cratelle piene delle cose da sacrificare, colle placente, secondo dice Virgilio nell' ottavo dell' Æneide:

-- -- *Castæ ducebant sacra per urbem*
*Pilentis matres in mollibus.* --

Cioè le portavano pensilmente qvelle ceste in esso carro assise come dice Servio Honorato Grammatico, & il medesimo dice Livio nell' sù allegato libro. Fù detto vehiculo ancora il carro, che conducevano esse matronæ nelle feste & nei sacrifici come chiamano, il carro della madre di Cleobe & Bitone Argivi fratelli che in luoghi di buoi, accoche la madre loco non perdesse l' occasione di andare al tem-

epistolarum idem docet. Primum erat corpore longiusculo, navigii specie, & vox pilenti sine dubio est barbara, utpote cum currus sit inventus in Hispania, ut diximus, vocaturqve à Gallis petoritum, sicut scribit Varro de Lingva Latina, qvo vehebantur matronæ insidentes pulvinis, atqve ita corpora sua librabant, ut cum oppositis sibi cistellis, qvæ repletæ erant placentis & aliis rebus sacrificio destinatis, essent qvasi in æqvilibrio, sicut dicit Virgilius octavo Æneidos:

-- -- *Castæ ducebant sacra per urbem*
*Pilentis matres in mollibus.* --

Hoc est, portabant cistas illas qvasi pensiles, qvæ collocatæ erant in carro, sicut tradit Servius Honoratus Grammaticus, idemqve dicit Livius supra dicto libro. Vehiculum qvoqve nominatum fuit carrum, qvod ducebat matronas in festis & sacrificiis. Sic vocant currum matris Cleobis & Bitonis, fratrum Argivorum, qvi vice boum jugum subiere, ne perderet occasionem eundi ad templum & sacra Junonis. Nonnulli utun-

tur

tempio di Junone ; Alcuni lo dicono carpento parlando della medesima occasione. I Poëti lo dicono plaustro , perche fa risonare il verso. Il medesimo auviene al' carro triumphale , che ha il corpo rotondo con due ruote tirato da qvattro cavalli bianchi. Alcuni lo dicono curro altri carpento, alcuni altro vehiculo & curro, & si potrebbe anco chiamare qvadriga dalli qvattro cavalli. Fù qvesto destinato al triumphante Duce , serrato attorno , ornato di ricche spoglie di trophei & di cose degne della vittoria. Et fù qvesto anché detto vehiculo , come ci mostra Vallerio Massimo nel libro 5. cap. 2. parlando dell humanità di Qvinto Terentio Guleone , che segvitò il curro de triumphante Scipione. Et vehiculo usa poi in un altro luogo, parlando d' un carro istesso triumphale. Et vehiculo & curro usa Plinio nel parlar che fà della velocità de carri di Tiberio , che uscì d' Italia con prestezza , come havemo sopra detto , per andar & Rheno, per trohuar Germanico Druso vivo. Et qvesto basterà di tali

tur vocabulo carpenti, loqventes de negotio eodem. Poëtæ appellant plaustrum , qvoniam sonorum est in carmine. Idem carro triumphali evenit, qvi corpore est rotundo cum rotis duabus , tractus à qvatuor eqvis albis. Aliqvi appellant currum , alii verò carpentum , & rursum alii vehiculum , & currum. Vocari etiam potest qvadriga ob eqvos qvatuor. Destinatus erat usibus Ducis triumphantis , clausus undiqve , ornatus spoliis opulentis , trophæis , & rebus aliis dignis victoria. Et dicebatur vehiculum , ut testis est Valerius Maximus libro qvinto , capite secundo , loqvens de humanitate Qvinti Terentii Guleonis , qvi insequebatur currum triumphantis Scipionis. Vehiculi qvoqve voce utitur alio loco , loqvens de ipso carro triumphali. Vehiculi carriqve vocibus utitur & Plinius sermone , qvem instituit de velocitate carrorum Tiberii , exeuntis celeriter Italia , ut retulimus supra , ut adiret Rhenum cum desiderio videndi Germanicum Drusum vivum. Et hoc dixisse suffecerit.

li carri iqvali s' annumerano in plaustra, & la via d' onde passano i Greci l' appellano ΑΜΑΞΗΛΑΤΟΣ; perche essi chiamano ΑΜΑΞΗ cotal carro cioè: *Via, per quam plaustra trahuntur*, ò veramente, *via vehicularis, idonea ad currum ducendum, plaustralis, curulis, curulia*, & la dissero ΑΜΑΞΙΑ esse via, peronde sono tirati cottali carri come anco qvelli da portar gran pesi, & Armamaxi coloro, che li gvidano. ΑΜΑΞΑ, si dice il carro da combattere, chiaso d' ogni intorno partito in due parti: Nell' una stà il combattente, nell' altra l' auriga, cioè gvidator del carro, come dice Xenophonte, di cui havemo detto nel libro dell' armi & del vertire delle nationi.

*XXIV. Rheda, Vehiculo, & Epirrhedia.*

SE bene più di sopra havemo fatto mentione del vehiculo detto rheda, insieme con la carruca, ci pare di far an trattato, particulare di essa, come l' hanno tutti gl' altri carri. Rheda dunqve è vocabulo Gallico, tratto dal Græco, come à dire Gallo-Greco

cerit de carris talibus, qvi annumerantur plaustris, Via, qva incedunt, appellatur à Græcis ΑΜΑΞΗΛΑΤΟΣ, qvia ipsis talis currus ΑΜΑΞΑ, hoc est, *via, per quam plaustra trahuntur*, aut verius, *via vehicularis, idonea ad currum ducendum, plaustralis, curulis, curulia*, ipsis qvoqve est ΑΜΑΞΙΑ, per qvam ducti tales carri, sicut etiam cæteri, qvi vehendis magnis ponderibus sunt inventi, & Armamaxi illi, qvi illos agitabant. ΑΜΑΞΑ carrus militaris, intus totus clausus, inqve duas partes divisus, in qvarum una stat pugnator, in altera auriga seu rector currus, sicut dixit Xenophon, de qvo egimus libro de armis & diversarum nationum vestibus.

*XXIV. Rheda, Vehiculum, & Epirhedia.*

QVamvis supra, ubi facta à nobis mentio vehiculi, rheda dicti, item, ubi de carruca egimus, satis fusè de ea egisse videamur, hic tamen nobis visum est commodum in specie de eo agere, & carris cæteris. Rhedæ itaq; vocabulum est Gallicum, tractum à Græco, aut potius

co nome, ch' è tanto come carruca, da cui Rhedario si dice l' auriga, fatto die due ruote, tirato da cavalli ò da mule, atto à portar onere, cose da mangiare & herbaggi. Si usava in villa, & vi si portavano le donne, & li fanciulli. Fù usato degl' huomini in viaggio, & l' usava Milone Lanuvino, di cui parla Cicerone, qvando dice: *Quum hic Milo cum uxore veheretur in rheda penulatus, magno & impedimento ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu.* Nel cui uso tenevano le mule, secondo scrive Lampridio in Commodo Imperatore, dicendo: *Dedit & vehicula cum mulabus & mulionibus, & juncturis argenteis, ut ita à convivio redirent.* Rheda, secondo alcuni, e detta dalla voce composto dal verbo Gallo-Greco epirrhedium, cive ΕΠΙΡΗΑΙΟΝ, dal rhedere & portare. Et Virgilio non lasciò cotal voce, qvando disse:

*Tritoque trahunt epirhedia collo.*

*XXV. Del Sarraco Vehiculo.*

SArracum, i Greci Sarracon, è sorte de vehiculo usato à portare legne, & pietre dagl' anti-

tius Gallo-Græcum, qvod tantundem est, ac carruca, cujus auriga dicitur Rhedarius, duabus constabat rotis, trahebaturq; ab eqvis aut mulis, apta portandis oneribus, rebus esui aptis, vel herbis. Usus ejus in villis, ad portandas matres villarum cum liberis. In itineribus qvoq; utebantur, ut Milonis Lanuvini exemplo liqvet, cujus meminit Cicero, cum ait: *Quum hic Milo cum uxore veheretur in rheda penulatus, magno & impedimento ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu.* In usum istius rei habuerunt qvoqve mulas, ut scribit Lampridius in Commodo Imperatore, dicens: *Dedit & vehicula cum mulabus & mulionibus, & juncturis argenteis, ut ita à convivio redirent.* Rheda, secundum qvosdam, est, dicta voce composita ex verbo Gallo-Græco, epirrhedium, sive ΕΠΙΡΗΑΙΟΝ, à rhedere & portare. Nec Virgilius intermisit uti tali voce, cum dixit:

*Tritoque trahunt epirhedia collo.*

*XXV. De Sarraco Vehiculo.*

SArracum, Græcè Sarracon, est genus vehiculi usitati in portandis lignis & lapidibus a-

antichi, à porto trà le servigi delle fabriche, & nel portar le provisioni nelle città. Trà i Poëti ne fa mentione Juvenale, nella Satyra terza:

*Scinduntur tunicæ sartæ, modò longa coruscat*
*Sarraco veniente abies, atq; altera pyrum*
*Plaustra vehunt, nutant altè, populoque minantur.*

*XXVI. Del Staticulo Vehiculo.*

STaticulum è anco spetie di vehiculo, & di essedа, di cui fà memoria Plinio dicendo: *Cæpere inde esseda & vehicula & petorita exornari.* Del qvale uso, come diceneo di sopra è celebre nel lasso de carri, & cose fatte in argento, leqva li nel tempo della Republ. Rom. tra le gverre civili da censori furono già cassate, di poi ritornate dalla persone licentiose che gvastarono ogni costume di vivere, colla bonta di qvella buona osservanza della legitima liberta.

XXVII. *Della Traha & Tribula.*

TRaha era un carro senza ruote, detta da noi tribula & traglia, perche si stranscinava, detta à trahendo, onde trascina

pud veteres, annumeraturq; instrumentis architectonicis, qvæ usui erant congerendæ in urbem annonæ. Meminit Juvenalis Poëta Satyra III.

*Scinduntur tunicæ sartæ, modò longa coruscat*
*Sarraco veniente abies, atq; altera pyrum*
*Plaustra vehunt, nutant altè, populoque minantur.*

XXVI. *De Staticulo Vehiculo.*

STaticulum qvoq; species est vehiculi & essedæ, cujus meminit Plinius, dicens: *Cæpere inde esseda & vehicula & petorita exornari.* Qvo de more, ut supra diximus, res nota est in celebri carrorum luxu, & rerum factarum ex argento, qvales tempore Reipubl. Romanæ, bellis civilibus interjecto, à Censoribus prorsus abolitæ fuerunt, post rursus inolevere, reductæ ab hominibus licentiosis, qvibus volupe perdere sanctum vivendi morem, cujus observantia legitima libertas consistit.

XXVII. *De Traha & Tribula.*

TRaha erat carrum sine rotis, dictum à nostratibus tribula & traglia, qvia per terram trahatur, à trahendo, unde trascinam

ſcina aliuvi l' appellano. Fù uſata da coloni & nelle coſe della villa, da traportare da un luogo ad un altro delle biade ò fratti, & ſi traſcinavavo anco delle imagini per portacle ſicare, come facemo hoggidi noi col traſcino. Traglia & traha ſi dice ancora il raſtello à mangano dentato, conche ſi raſtellano i campi per nettarli, doppò che è arato; ò per ſpianare i ſolchi, dopò che ſementato, trahendone con eſſe l' herba & li ſterpi d'ai campi. Fanne di qveſto chiara mentione Virgilio, qvando dice della tribula, ch' è la medeſima coſa:

*Tribulaque trahæque & iniquo pondere raſtri.*

Audava ſopra di eſſe l' aratore & gvidatore du buoi. Con eſſe tribula dentata nettavano i campi faſſoſi, come erano qvelli della tribu papivia. Qveſte dunq. tribula & traha ſono ſpecie de traſcini. Tribula è uno inſtromento comporto de qvattro legni lunghi, atteſtati inſieme, larghi un paluco & mezo l' un dall'altro, tutti per la lunghezza fatti à denti lunghi un palmo & piu ancora, in qval raſtello in campagna ſi appella.

ſcinam qvidam vocitant. Fuit uſitata colonis in convehendis rebus ad villam ſpectantibus, frumentis ſcilicet & fructibus; Traha terram leniter radente ſecure & ſine periculo vectabantur qvoq; ſtatuę ac moles, ſicut & fit hodie. Traglia & traha qvoq; dicitur raſtellum aut crates dentata, qva raduntur & purgantur novalia, poſtqvam verſa ſunt aratro, aut æqvantur ſulci, poſt ſementem injectam, aut extrahuntur herbæ & ſtipulæ agrorum. Facit hujus claram mentionem Virgilius, cum dicit de tribula, qvæ eandem rem ſignificat:

*Tribulaque trahæque & iniquo pondere raſtri.*

Illis tota corporis mole incumbebat nonnunqvam arator & bubulcus. Tribula dentata purgabant arva ſaxoſa, qvalia erant tribus Papiniæ. Tribula itaqve & traha ſpecies vehiculi tractorii. Tribula eſt inſtrumentum qvatuor longis lignis conſtructum, clavis totum confixum, qvorum ſinguli palmi unius & dimidii intervallo à ſe mutuò diſtant, tota in longum ferreis vel ligneis dentibus, palmum unũ longis aut paulò plus,

la. Alcuni lo chiamano tribulum, altri vehiculum dentatum, altri tribuli & trascino, altrimente trahecia, è qvella con che si traschinano tutté le cose necessarie in villa, nel portar il frumento all arca perche i granelli, non s' abessino fuori delle spiche, accoché andasse piu posato qvel che si portava sopra, loqvale è sicurissimo instrumento da portar cose, che sono periculose di rompersi.

cõfixa, qvod in supellectile rustica rastellũ dicitur. Qvidã id appellant tribulum, qvidam vehiculum dentatum, alii trascino, alii trahecia, qva trahunt omnis generis res necessarias in villa, ut fruges, ne grana excidant è spicis, nam incedit leniter & sine succussione ulla, ut, qvod supra est impositum, securissimè possit, qvoqvo velis, portari. Est itaq; aptissimum instrumentum portandi, qvæ obnoxia periculo confractionis.

## XXVIII. *Del Vectabulum.*

VEctabulum è sorte di carro detto à vectando, è simile à una lectica volubile, cioè volgitiva, nella qvale le donne la poteva volgere dove volevavo, che alcuni dicono carrivola.

## XXVIII. *De Vectabulo.*

VEctabulum est species carri, à vectando sic dictum, lecticæ volubili simile, qvod fœminæ versari in omnem partem & volvere poterant pro lubitu, qvod qvidam vocant carrivolam.

JOAN-

# JOANNIS SCHEFFERI
## Argentoratensis
# NOTÆ.

### Ad Præfationem.

IN *rei alicujus sacræ.*) Fuerunt & aliæ causſæ, cur nummis signa ejuscemodi imponerentur. Sic enim significabantur sæpe tributi honores, item munera publica, & id genus, qvod ex nummis Cæsarum & Augustorum liqvet. Sæpe sic gestarum rerum servabatur memoria. Sæpe nummi ipsi pretiumq; illorum sic indicabantur, qvod ex bigatis, victoriatis & similibus est notum.

*De carrorum.*) Ita noster voce Italica. Rectius *vehicula* dicerentur. Nam carrus species vehiculi, non genus.

Ὀχήμασι.) Hoc nihil differt à præcedenti, qvippe cujus casus est secundus. Videtur Pignorius exiguam Græcarum litterarum peritiam habuisse.

*Sub nomine plaustri sunt multi carri.*) Putat, plaustrum qvoqve generale nomen esse. Ac sic sæpe in seqventibus. Sed hoc falsum.

### Cap. I.

Ἁμάξης.) Occurrit in hac voce, qvod supra in voce ὀχήμασι à nobis observatum est.

Παρὰ τῶν.) Hæc ex Suida sunt desumpta, qvi sic explicat ἀμαξείαν. Itaq; nil faciunt ad ἄμαξαν, cum ἀμαξεία sit ab ἄμαξα non hoc ab illo.

*Quadriga Erichtonii.)* Hoc non lectum mihi; Vellem itaqve, ut auctorem idoneum nominasset.

*Syselli.)* Videtur Cypselum intelligere. Sed de curru ejus talis nil reperio apud alios.

*Equis appositæ erant alæ.)* Nec hoc lectum mihi. Et vide, qvæ de curru Solis dixi libro primo. Pelopis eqvos facit alatos Pausanias in Eliacis I. verum ibi agit de statua eorum sic formata: Ἑκατέρῳ μὲν δὴ δύο ἀὐλῶν εἰσιν ἵπποι, τοῖς ὃ τοῦ Πέλοπός ἐστι πτερυκότα καὶ πτερά. Qvæ sic vertit Interpres: *Bigis uterque invehitur, sed pinnati sunt Pelopis equi*; Cum debuisset: *Quisque equis utitur duobus*; Cum sit sermo de ἀμίπποις.

*Quæ vocabula idem notant.)* Falsum hoc, nec, ubi Græcum ἅμαξα, ibi statim de plaustro cogitandum. Sæpe generalis vox est.

*Pilenti, Carpenti.)* Omnia hæc distincta sunt, qvod ipse noster non dissimulare potest in seqventibus.

*Carpentophorus.)* Hunc ego nusquam reperio, & ex explicatione liqvet, καρπόφορον in animo habuisse. Sed nec καρπόφορος, seu carpophorus, de vehiculo invenitur, & plane imperitia lingvæ Græcæ obstitit Ligorio. Ad postremum decimæ, qvas hic memorat, Romanis penitus fuerunt ignotæ.

*Carpentum fastigiatum.)* Qvid est, *fastigiatum?* & qvare *fastigiatum?* Seqvitur apud Tacitum: *Suum quoque fastigium Agrippina altius extollere.* Hinc natum carpentum fastigiatum, qvod est prorsus ineptum.

Cap. II.

*Plane sicut carpentum.)* Hoc verò falsum esse docent, qvæ de vehiculo utroq; disserui.

*Fuisse repertum in Hispania.)* Dicam infra, cap. 23.

*Sculptos in hunc modum.)* Utinam nobis eos exhiberet qvispiam delineatos diligenter, multum sine dubio juvarent institutum hoc. Nunc ignorare cogimur, nunqvam, qvod sciam, publicatos.

Cap. III.

Δύτροχον.) Hoc propriè non est cisium, sed vehiculum qvodlibet,

libet, cum rotis duabus. Vide tamen, qvæ de ciſio notavimus.

*De eadem re.*) Cleobis & Bitonis intelligit hiſtoriam. Primum autem qvis ex Græcis δύτροχω ſcribat uſos, haud recordor. Deinde, ſi vel maximè qvis hoc ſcriberet, non tamen inde ſeqveretur, δύτροχον eſſe ciſium.

*Ciſarius.*) Scribendum erat *ciſiarius.*

*De jure ciſario.*) Nulla lex de jure ciſario, nullum jus ciſarium extat apud veteres. De ciſiario agitur, ſi ciſium everterit, in l. 13. ff. Locati, ex qvo jus hoc noſter eſt commentus.

*Plauſtra, vehicula & ciſia.*) Totum hoc eſt falſum. Nunqvam enim bigæ, trigæ, ac id genus, plauſtra ciſiave dicta.

*Anterior erat pro auriga.*) Hoc tantum valet in vehiculis generis Cyrenaici, non in eis, qvæ à Cyro ſunt excogitata.

*Et alias appellatus ſit carruca.*) Sed à nullo idoneo Scriptore.

*Tornus eſt carrus.*) Ineptiſſimè. Nunqvam tornus vehiculis annumeratus eſt. Vitruvius ſic ait, lib. X. cap. 1. ubi agitur de machinis in univerſum: *Non minus ſunt innumerabiles moderationes machinationum, de quibus non neceſſe videtur disputare, quoniam ſunt ad manum quotidianæ, ut ſunt rotæ, folles fabrorum, rhedæ, ciſia, torni, cæteraque, quæ communes ad uſum conſvetudinibus habent opportunitates.* Qvia hic rhedæ, ciſia & torni mutuò ſe excipiunt, omnia hæc vehicula putavit, ſed eadem ratione folles qvoqve ac rotas facere vehicula potuiſſet, qvæ præcedunt. At qvis non videt abſurditatem.

## Cap. IV.

*Carruchi argentei in vico Sigillari dicto.*) Primum non argentei, ſed argentati fuere, inter qvæ duo plurimum eſt discriminis. Deinde nullus Romæ vicus fuit Sigillaris, ſed Sigillarius, in regione ſeptima, à qvo, niſi fallor, differebat locus peculiaris *ad Sigillaria* vocatus, qvem in animo noſter habuit, cum iſta ſcriberet. Nec enim dubitari debet, qvia reſpexerit Svetonium, ſic loqventem vita Claudii, cap. 16. *Eſſedum argenteum ſumptuosè fabricatum ac venale ad Sigillaria redimi concidiq; coram imperavit.* Verum ex his verbis id colligere, qvod facit Ligorius, eſt ex qvovis qvidvis facere.

*Per*

*Per diminutionem.*) Hoc nemo demonstraverit. Qvodlibet (per se est.

*Duabus rotis.*) Imò qvatuor, qvod jam docui.

Cap. V.

*Pro carpento.*) Hoc verò nusqvam legi hactenus.

*Quæ instituuntur oblectationis gratia.*) Etiam hoc est falsum. Non ad oblectationes pertinebant, verum sacra.

*Qui dicti sunt Armamaxi.*) Putavit, aurigarum esse hoc vocabulum. Et repetit inferius, cap. 23. At nulli apud veteres armamaxi, verum harmamaxæ, Græcis ἁρμάμαξαι, nec homines, sed vehicula. Neq; aliud Tertullianus voluit, qvod alibi ostendi.

Cap. VI.

*Biroton.*) Docet & hic locus, Græcarum litterarum imperitiorem Ligorium fuisse. Nam biroton non est Græcum, verũ δίτροχον.

*Bigæ, quadrigæ.*) Nunqvam hæc vehicula birota nuncupata. Birotum enim ad portanda onera spectabat, non sic bigę qvadrigęve.

*Deipanetta.*) Qvid hoc sit vocabuli, fateor me ignorare.

*Duodecim aliquando.*) Hoc verò frustra dicitur, nec ex ullo veterum probari poterit vel verbulo.

Cap. VII.

*Burdonum.*) Falsissimum hoc est. Burdones eqvi fuerunt, vel muli, qvod prolixè nobis etiam post alios est demonstratum.

Cap. VIII.

*Camulon.*) Etiam hoc falsum. Camulon nihili est vocabulum, & ignotum Græcis pariter ac Latinis. Chamulcum habes apud Ammianum, sed pro alio prorsus genere.

*Sicut apud Græcos camula dicitur herba.*) Camulam herbam nullam scio. Chamælæam reperio, sed eanil huc facit. Alias est χαμηλὸς qvibusdam, qvod Latinis *humilis*. An hoc respexerit, ignoro.

Cap. IX.

*Vehiculi, hoc est, carri.*) Imò verò eqvi, muli, asini, vel hominis, qvod ostendi capite de elitellis.

*Sectabere canthum.*) Liqvet, *canthum* & *cantherium* habuisse pro eodem, qvod haud magnam eruditionem arguit.

*Covinus pars currus.*) Imò integrum, suiq; generis vehiculum, qvod ipse in seqventibus fatetur. *Secunda-*

*Secundarias quasdam habenas.)* Totum hoc est commentitium. De habenis observavit, quod & nos ostendimus, trajici per annulos consveviſſe. Sed fuerunt illæ habenæ ordinariæ, nec annuli in capsa, verum jugo, quod abunde monstravimus.

Cap. X.

*Combatus.)* Omnia hæc falsa sunt, & inepta, & vox ipsa prorsus ignota classicis scriptoribus.

*Comba, quod lecticam.)* Hoc ex cubandi vel accumbendi voce arbitror collegisse. At *comba* veteribus, quæ & *cumba*, & *cymba*, navigium, non lectica, quod in libris nostris de Militia Navali demonstravimus.

*Vox est linguæ Sabinæ.)* Hæc vero ficta sunt à nostro, neq; usquam apud veteres leguntur.

*Apparet ex antiquis monumentis.)* Supra jam optavimus ab amantibus antiquitatis ista publicari, quod hic repetimus.

Cap. XI.

*Sulpitius Gallus.)* Hunc ego Sulpitium Gallum penitus ignoro, neq; visum hactenus, aut in lucem datum arbitror.

Cap. XII.

*Comitatus semper Marco Antonio.)* Nihil tale apud Plutarchum legas. Antonium Roma profugisse ad Cæsarem scribit ἐπὶ μισθίων ζευγῶν, quod non video, quid huc faciat.

*Curricula.)* Feminino genere non legi hactenus, quod sciam.

*Curritius.)* Penitus ineptum etiam hoc vocabulum existimo.

*Propterea Cicero.)* Nil ex hoc Ciceronis loco colligas ad confirmandum, quod præcedit. Imo curriculum ibi non vehiculum est, sed spatium currendi, quod cuivis mediocriter perito appareat.

*Vt testatur Plinius.)* Lib. VII. cap. 20. Sed ibi nihil tale, tantum ait, *nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensum.*

Cap. XIII.

*Panem & palma.)* Scribe, *panem & palmulas*, sic enim habet Suetonius cap. 26.

*Quod esseda allatus esset commeatus.*) Hoc inane interpretamentum est. Nam Svetonius quidem testatur Augustum ipsum, vectum esseda, cœpisse cibum, quod alij, tanquam in loco inconvenienti facere detrectabant. Itaq; hic nil de commeatu in essedis vehi solito vel verbulo.

*Hoc genus militare esse.*) Imo verò hinc colligitur, circense esse. Nam de victoria in Circo loquitur, non in bello.

*Curruriarius, vehiculariarius.*) Omnia hæc sunt barbara, & Latinis auribus ignota.

Cap. XIV.

*Quoniam est incommodum agris.*) Nihil tale, imo omnia contraria legas apud Gellium, ut ex iis constat, quæ de hoc vehiculo tradidimus.

Cap. XV.

*Portandis per vias straminibus.*) Hæc ex Isidoro male intellecto hausit, quia scripserat, esse *mollibus stramentis positam*. De straminibus enim nemo quidquam habet, quod Ligorianis conveniat.

*Trahebaturq; ab equis.*) Imo portabatur, quoniam destitutum erat rotis, & vehiculum, quod in monumentis vidit, generis non hujus fuit, sed alterius.

*Sunt & alij currus quadriroti.*) Qui nil faciunt ad basternas, propter causas, quas jam dixi.

*Carri non genuini.*) Cur hos minus genuinos vocitet, quam alios, haud equidem excogito, nisi fiat in respectu ad basternas. Verum ita currus nulli genuini erunt.

Cap. XVI.

*Qui simul carro tali vehuntur.*) non simpliciter & ubiq;, verum in militia & prælio.

*Corpus ejus.*) Ita nominat ex ingenio linguæ Italicæ, quod Latini appellarunt *capsam*, sive *sellam*, quod semel fuit annotandum.

*Atq; interdum umbella.*) Hoc ex Glossis suspicor hausisse, in quibus legitur σκιωάρχης, *bennarius*. Quia enim mentio hic fit σκιάδος, ipse de umbella cogitavit.

Cap.

## Cap. XVIII.

*Equis tribus ad jugum.*) Imo à duobus subjugis, & uno funali, quod abunde declaratum est.

*Hoc volumine.*) Quod scripsit de Familiis Romanis, & cujus pars est hoc opusculum. Alias qui nummos volet cernere, consulat Ursinum in familia Claudia, Nævia, & aliis.

## Cap. XIX.

*Ab Erichthonio.*) Hoc non sic simpliciter est verum, quod monstravi alibi.

*Iuxta traditionem poetarum relucet inter stellas.*) Ne hoc quidem verum est. Nunquam quadrigas retulerunt inter sydera, sed Erichthonium, quem Aurigam nuncuparunt. Consule Germanicum, ejusq; veterem Scholiasten.

*Quinquejuga.*) Talis mihi hactenus non est observata.

*Exjuga.*) Scribendum *hexjuga*, vel potius *sexjuga*.

*Victoriatus cum imagine victoriæ.*) Vide Plinium lib. XXXII. cap. 3.

*Trigarium certamen.*) Hoc totum esse commentitium, & ex lectione prava natum, pridem demonstrarunt eruditi, & nos quoque aliqua habemus, ubi egimus de trigis.

*Præter alteras, quas tenet manibus.*) Putat duplices habenas habuisse, sicut liquet etiam ex sequentibus. At nemo veterum hoc prodidit. Repugnant etiam imagines. Vide quadrigas exemplo Rubenianarum delineatas nobis.

*Octajuges & nonajuges.*) Vellem ostendisset nobis, ubi currus hi legantur. Nobis enim hactenus sunt incogniti.

## Cap. XX.

*Vsi sunt in cursu.*) Imo verò ad onera vehis plaustrisq; utebantur, non ad cursum. Nam de cursu publico ne ipse quidem loquitur.

*Octophorarius.*) Ficta barbaraq; vox, & incognita scriptoribus.

*Solus usus est Caius Caligula.*) Hoc sine dubio hausit ex Suetonio. Sed is nihil tale, tantum ita habet cap. 43. *Iter confecit in-*

*terdum adeo segniter & delicate, ut octophoro veheretur.* Quia legit *veheretur* noster, de curru eum loqui arbitratus est.

*Appellata Ptolomais.*) Hæc ex sacris navibus seu publicis Athenienſium, nec cum ea confundenda, quam describit statim ex Plutarcho, ut conjicio. Meminit sane ejus Ulpianus ad Demosthenis Midianam, sed ea, quæ de Ptolomæo habet noster, non agnoscit.

*Proras quatuor.*) Tales ego nullas usquam legi. Et Athenæus Ptolomæi naves facit biproras & bipuppes tantummodo. Itaq; hic quidem mihi omnia pro commentitiis habentur.

*Habebat q; lecticam gestatam à servis.*) Hæc non satis cum præcedentibus conveniunt. Nam si à servis fuit portata, quid ita octo debuit instructa esse?

*A clientibus aut mulis.*) Quasi genus unum idemq; jam ab hominibus, jam à mulis fuerit portatum; quod est falsissimum.

*Suetonius de Marone loquens.*) Nihil de Marone hoc apud Suetonium reperio. Sed nec ex verbis, *ei succollentibus*, & quæ sequuntur, quidquam habet Suetonius. Puto inveniſſe alicubi, & credidiſſe Suetonij, cum essent alterius, cujuscunq; denique, qui Suetonium laudaverat.

*Seneca porro dicit.*) Ne hæc quidem Senecæ sunt verba, sed alterius, qui habuit in animo, quæ leguntur apud ipsum in libello de Tranquillitate: *quod refert, quantum habeat, quot lecticarios*, &c.

*Ocreana.*) Plane suspicor, scriptores ipsos non consuluisse Pyrrhum, verum habuisse nescio à quo confecta quædam excerpta, ipsi quoque non intellecta satis. Suetonius sic habet c. 78. *Acœna lucubratoriam se in lecticulam recipiebat.* Porro longe alia est hæc lecticula, quam de qua hic agitur.

*Vsus est ea etiam Cæsar, sed ex morbo.*) Hoc quoq; nusquam legitur.

*Curtius.*) lib. VII. c. 6. ubi & ipse tantum habet ita: *Castris inde motis lectica ferebatur militari.*

*Suetonius in Vespasiano.*) Rursum alienis oculis Ligorius est usus. Nam in Vespasiano quidem nullam lecticariorum facit mentio-

tio-

tionem, nec perlatum per lecticarios in villam suam scribit, omnium vero minime de mulis docet ad lecticam.

*Vocatoq; lecticario.*) Mulionem vocat clare, non lecticarium.

*Baram.*) Hoc barbarum, & à Gothis Germanisq; in Italiam translatum est vocabulum, Latinis pænitus ignotum.

*Humeris gestata sicut sella.*) Quantum conjicio, putat ferculum Romuli fuisse formatum instar feretri sepulchralis, cum asseribus duobus, sic, ut à qvatuor ferri posset hominibus in humeris. Verum totum hoc, qvantumcunqve, commentitium est, qvod ex iis liqvet, qvæ de eo ferculo tradidimus.

## Cap. XXIII.

*Currus Deorum.*) Fortsitan ex Tertulliano habet, qvi currum Jovis in Circo *plaustrum* nominat. Verum ipse per contemptum ita loqvitur, qvod jam alibi notavi.

*In conflictibus bellicis.*) Hoc mihi qvidem nunqvam lectum est.

*Parte prima sedet auriga.*) Firmat Curtius, qvando ait lib. IV. cap. 16. *Auriga Darii, qui, ante ipsum sedens, equos regebat, hasta transfixus est.* Nec tamen perpetuum hoc fuit.

*Apertum erat retro.*) Non de plaustro, verum curru hoc intelligendum, eoq; militari.

*In cujus fastigio sedebatur sub dio.*) Hæc verò prorsus non intelligo. De fastigio currus dixi supra ad caput primum.

*Varro de Lingva Latina libro IV.*) Nusqvam Varro petorriti facit mentionem in his qvidem libris, qvi nunc extant. Deceptus noster rursus ab amanuensi suo videtur, qvi ex Gellio excerpserat hæc verba, occurrentia lib. XV. cap. 38. *Petorritum vox est Gallica. Id scriptum est in libro M. Varronis decimo quarto rerum divinarum. Quo in loco Varro, cum de petorrito dixisset, esse id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, sed Hispanicum.* Qvia Varro lanceam Hispanicam dixit vocem, noster etiam de petorrito hoc tradere putavit.

*Plautus in Epodon.*) Neq; Plautus scripsit Epodus, neq; vox pi-

lenti apud ipsum legitur. Horatius habet libro II. Epist. An fortassis compilator, cujus noster opera est usus, scripsit Flaccus, qvod non bene adspectum Pyrrhus putavit esse Plautus.

*In taberna quadam.*) Mox tamen ait subter scalas in sacello bonæ Deæ. Qvanqvam neutrum verum sit, nam juxta ad sacellum, extractus ex taberna, ubi latebras qvæsiverat, in via publica, est interfectus. Vide Asconium ad hanc orationem.

*Vnde Livius lib. V.*) Cap. 25. sed ibi libri omnes habent non *plaustro*, verum *pilento*, ut nil hinc seqvatur.

*Promiscuè idem significantes.*) Nusqvam, ubi Scriptores accurati sunt.

*Horatius Flaccus secundo epistolarum idem docet.*) Imò facit contrarium, istaq; ut diversa ponit. Verba ejus: *Essedа festinant, pilenta, petorrita, naves.* E qvibus nil elicias ejusmodi, qvod vult noster.

*Sicut tradit Servius Honoratus.*) Nullam litteram hac de re apud ipsum possum reperire.

*Alii carpentum.*) Ego nusqvam hoc inveni.

Cap. XXIV.

*Tantundem est ac carruca.*) Si impropriè loqvaris, non si propriè.

*Duabus constat rotis.*) Imò qvatuor, qvod manifestè docui.

*Nec Virgilius.*) Imò Juvenalis Sat. VII. Unde liqvet manifestè, nostrum non consuluisse ipsos auctores, verum aliena usum esse opera, in congerendis ipsorum locis atq; verbis.


Cap. XXVI.

*Staticulum quoque species est vehiculi.*) Totum hoc falsissimum esse, alibi abunde demonstravimus.

Cap. XXVII.

*Lectica volubili.*) Qvæ qvalisve hæc volubilis lectica sit, mihi qvidem incompertum est. Puto plane natam ex ingenio Scriptoris nostri. Nam ejus apud veteres neqve vola extat nec vestigium.

FINIS.


Th
6091